

IOANNIS CALVINI OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUilielmus Baum Eduardus Cunitz Eduardus Reuss

Theologi Argentoratenses.

VOLUMEN LV.

BRUNSVIGAE,

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1896.

Verlag von C. A. Schwetschke und Sohn in Braunschweig.

Lexikon für Theologie und Kirchenwesen

von
Dr. H. Holzmann und **Dr. R. Böpfel,**
ord. Professor seitl. Professor
an der Universität Straßburg.

Lehre, Geschichte und Kultus,
Verfassung, Bräuche, Feste, Sekten und Orden der christlichen Kirche; das Wichtigste bezüglich der übrigen Religionsgemeinschaften.

Dritte, durch einen Anhang vermehrte Auflage. — Erscheint in ca. 13 Lieferungen à 1 Mark.

Geist und Leben. Ein Jahrgang Predigten über die altkirchlichen Episteln.

Unter Mitwirkung namhafter Prediger
herausgegeben von
Curt Stage,
Pastor zu St. Petri in Hamburg.

Preis broschiert 9 Mk., gebunden 10 Mk., gebunden mit Goldschnitt 10 Mk. 50 Pf.

M. Gottfried Büchner's Biblische Real- und Verbal-Hand-Concordanz oder Eregetisch-homiletisches Lexikon,

worin die verschiedenen Bedeutungen der Worte und Nebensachen angezeigt, die Sprüche der ganzen heiligen Schrift, sowohl den Nominibus, als auch Verbis und Adjektivis nach, ohne weiteres Nachschlagen ganz gelesen, ingleichen die eigenen Namen der Länder, Städte, Patriarchen, Richter, Könige, Propheten, Apostel und Anderer angeführt, die Artikel der christlichen Religion abgehandelt, ein saftamer Verrat zur geistlichen Redekunst dargebracht und was zur Erklärung dunkler und schwerer Schriftstellen nützlich und nötig, erörtert wird.

Durchgesehen und verbessert von
Dr. Heinrich Leonhard Heubner.

22. Auflage. — 2 Bände. (XVI, 1148 S.) Preis 6 Mk., geb. 8 Mk.

CLASSIFICATION
NUMBER
READING-ROOM COPY
STACK COPY

IOANNIS CALVINI OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.


VOLUMEN LV.

BRUNSVIGAE,

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1896.

THE LIBRARY
WITHDRAWN FROM
KNOX COLLEGE
CAYENNE LIBRARY
TORONTO



B. 9220

A.J.

1930

v. 55

C O R P U S
R E F O R M A T O R U M.

VOLUMEN LXXXIII.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUilielmus Baum Eduardus Cunitz Eduardus Reuss
Theologi Argentoratenses.

VOLUMEN LV.

BRUNSVIGAE,
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1896.

644
withdrawn from
cave in library

CONTINENTUR HOC VOLUMINE:

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

COMMENTARIUS IN EPISTOLAS CATHOLICAS.

COMMENTARIUS IN EPIST. PETRI I.


COMMENTARIUS IN EPIST. IOHANNIS.

COMMENTARIUS IN EPIST. IACOBI.

COMMENTARIUS IN EPIST. PETRI II.

COMMENTARIUS IN EPIST. IUDAЕ.

COMMENTAIRE SUR L'EPITRE DE IUDE 1542.



**IOANNIS CALVINI
OPERA EXEGETICA ET HOMILETICA**

AD FIDEM

**EDITIONUM AUTHENTICARUM
CUM PROLEGOMENIS LITERARIIS
ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET INDICIBUS**

EDIDERUNT

EDUARDUS REUSS ALFREDUS ERICHSON

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOL. XXXIII.



COMMENTARIUS
IN
EPISTOLAM AD HEBRAEOS.



ARGUMENTUM.

Non tantum de autore huius epistolae varie olim disputatum fuit, sed ipsa quoque vix sero recepta fuit in latinis ecclesiis. Suspectam habebant quasi Novato suffragaretur in neganda lapsis venia: sed quam vana fuerit illa suspicio, suis locis tractabitur. Ego vero eam inter apostolicas sine controversia amplector: nec dubito Satanae artificio fuisse quondam factum ut illi autoritatem quidam detraherent. Nullus enim est ex sacris libris qui de Christi sacerdotio tam luculente disserat, unici quod morte sua obtulit sacrificii vim dignitatemque tam magnifice extollat, de caeremoniarum tam usu quam abrogatione uberioris tractet: qui denique plenius explicet Christum esse finem legis. Quare ne patiamur Dei ecclesiam et nos ipsos tanto bono spoliari: sed eius possessionem constanter nobis asseramus. Quis porro eam composituerit, non magnopere curandum est. Putarunt alii Paulum esse, alii Lucam, alii Barnabam, alii Clementem, ut refert Hieronymus. Quamquam Lucae tantum et Clementis Eusebius meminit, libro sexto ecclesiasticae Historiae. Scio Chrysostomi tempore passim inter paulinas a Graecis fuisse receptam. Sed Latini aliter sensebunt: praesertim qui propriores fuerunt apostolorum temporibus. Ego ut Paulum agnoscam autorem, adduci nequeo. Nam qui dicunt nomen fuisse de industria suppressum, quod odiosum esset Iudaeis, nihil afferunt. Cur enim mentionem fecisset Timothei, si ita esset? Hoc enim indicio se prodebat. Sed ipsa docendi ratio et stylus alium quam Paulum esse satis testantur: et scriptor ipse unum se ex apostolorum discipulis profitetur, capite secundo: quod est a paulina consuetudine longe alienum. Praeterea quae de catechismi consuetudine adducit capite 6, Pauli aetati minus congruerent. Alia sunt quae suis locis adnotabimus. Scio qualis de stylo excusatio adduci soleat: non posse scilicet iudicium inde fieri, eo quod epistolam hanc ex hebraica lingua in graecam vel Lucas, vel alias quispiam transtulerit. Atqui ea coniectura nullo ne-

gotio refellitur. Ut enim alios locos, qui ex scriptura citantur, praeteream: si hebraice scripta fuisset epistola, nulla in nomine testamenti fuisset allusio, in qua scriptor immoratur. Non potuit inquam ex alio fonte hauriri quod de iure testamenti capite nono disputat, quam ex greca voce. Nam διαθήκη ambiguam apud Graecos significationem habet. בְּרִית autem Hebreis non nisi foedus significat. Haec una ratio sani iudicii hominibus sufficiet ad probandum quod dixi, greco sermone scriptam fuisse epistolam. Quod autem obiicitur ex adverso, probabilius esse Iudaeis nonnisi sua lingua apostolum scripsisse, nihilo plus habet ponderis. Quotus enim quisque tunc fuit qui avitam linguam intelligeret? quam quisque regionem incolebat, eius idioma didicerat. Porro lingua graeca latius patebat quam aliae omnes. Iam venio ad argumentum. Principio, non hic est status causae, ut Iesum filium Mariae Iudaeis persuadeat esse Christum et redemptorem illis promissum. Quia enim ad eos scribit qui iam Christo nomen dederant, caput illud pro confesso sumit. Sed in hoc cardine versatur, ut probet quale sit officium Christi: unde pateat, eius adventu finem esse caeremoniis impositum. Hanc distinctionem notare operae pretium est. Nam sicuti apostolo supervacuus fuisset labor, hunc esse Christum qui exhibitus fuerat, apud eos probare qui iam ita persuasi erant: sic eos doceri qualis esset oportuit, quia finem, vim et fructum adventus eius nondum tenebant, sed falsa legis interpretatione occupati, umbram prehensabant pro corpore. Eiusmodi hodie negotium nobis est cum papistis. Nobiscum enim fatentur Christum esse filium Dei, qui redemptor mundo promissus fuerat: sed quam ad rem ventum est, eum plusquam dimidia virtutis suae parte nudant. Orditur autem a Christi dignitate: quia Iudaeis absurdum videbatur, legem evangelio posthaberi. Ac primum quidem illud statuit de quo erat disceptatio, allatam a Christo doctrinam primas tenere, quia sit omnium prophetiarum clausula. Sed

quoniam reverentia, quam Mosi deferebant, obstarre poterat, docet Christum longo omnibus praecellere. Ae postquam summatim attigit quibus nominibus praecellat, nominatum angelos illi submittit, ut cum illis reliquos omnes cogat in ordinem. Prudenter autem hac ratione progreditur: nam si a Mose coepisset, magis odiosa fuisse comparatio. Ubi autem ex scripturis constat, coelestes quoque principatus subsidero infra Christum: non est cur recuset Moses, vel ullus quispiam mortalium, illis aggregari: ut supra omnes tam homines quam angelos filius Dei emineat. Itaque postquam angelos apostolus sub Christi dominium et potestatem redegit, mox quasi sumpta fiducia, quanto inferior sit Moses, pronuntiat: nempe quantum differt servus a domino. Quod ergo tribus primis capitibus Christum in summo gradu principatus collocat, hue tendit, ut eo loquente omnes sileant, nec quidquam nos impedit quomodo eius doctrinae solidam audientiam praestemus. Quamquam secundo capite eum nobis fratris loco in carne nostra proponens, hoc modo nos allicit, ut libentius nos totos illi devoveamus ac tradamus. Et simul exhortationes minasque admisces, si quis vel ad obsequendum sit tardior, vel contumaciter repugnet: idque agit prope ad finem usque quarti capituli. Inde transit ad explicandum Christi sacerdotium: cuius vera et pura cognitio omnes legis caeremonias abolet. Sed ubi breviter tantum indicavit quam debeat nobis illud esse amabile, et quam suaviter acquiescere in eo liceat, paulisper ad increpandos Iudeeos digreditur, eo quod in primis elementis, tanquam pueri, haesitarent, ubi etiam gravi et severa denuntiatione eos terret. Periculum enim esse ne si ad proficiendum adeo sint segnes, tandem abiciantur a Domino. Verum hanc asperitatem mox temperat, quem dicit meliora se sperare: ut eorum potius animos erigat ad studium profectus quam deiiciat. Postea ad sacerdotii tractationem reddit: in qua docet primo, differre ipsum a veteri sacerdotio quod sub lege fuit, deinde esse praestantis, quod in eius locum succedat, et iureiurando sanciatur: quod aeternum sit, semperque vigeat:

quod qui eo fungitur, Aaronem et reliquos omnes ex genere levitico, honore superet. Quorum omnium adumbratam fuisse imaginem in persona Melchisedec ostendit. Quo autem certius abrogatas esse legis caeremonias probet, in aliud finem institutas una cum tabernaculo fuisse commemorat: nempe ut coelesti prototypo servirent. Unde sequitur, non esse in illis manendum: nisi velimus contempta meta in medio viae desidere. Ad hoc Ieremiae locum adducit, ubi promittitur novum testamentum, quod nihil aliud est quam veteris correctio. Unde sequitur, infirmum illud fuisse et caducum. Postea de similitudine congruentiaque umbrarum et veritatis in Christo exhibitae disputans, concludit, unico Christi sacrificio abrogatos fuisse ritus omnes a Mose institutos: quia perpetua sit huius sacrificii efficacia, et in eo non modo absoluta sit novi testamenti sanctio, sed verum et spirituale complementum externi illius sacerdotii, quod sub lege viguit. Doctrinae rursus exhortationem annectit instar stimuli: ut impedimentis omnibus valere iussis, Christum quadecet reverentia excipiant. Tot patrum exempla, quae recenset capite undecimo, mihi videntur in hunc finem esse adducta, ut agnoscerent Iudei, si a Mose traducti essent ad Christum, adeo se a sanctis patribus non discedere, ut hac maxime in re illis conjuncti forent. Nam si praecipua in illis virtus fuit fides, radixque omnium virtutum: sequitur, hanc esse praecipue quam censeantur Abrahæ et prophetarum filii. Contra, degeneres esse omnes qui patrum fidem non sequuntur. Hoc ad evangelii commendationem non parum valet, quod nobis in eo cum universa quae ab initio mundi fuit ecclesia consensus est ac societas. Duo quae supersunt capita, varias formandas vitae præceptiones continet, de spe, de tolerantia crucis, de perseverantia, de gratitudine erga Deum, de obedientia, de misericordia et caritatis officiis, de castitate, et similibus. Demum epistolam preicatione claudit: nisi quod spem illis facit adventus sui.

CAPUT I.

1. *Deus olim multifariam multisque modis loquutus patribus per prophetas, 2. Extremis hisce diebus loquutus est nobis per filium, quem constituit haeredem omnium, per quem etiam saecula condidit.*

1. *Deus olim, etc.* Hoc exordium ad commendationem doctrinae Christi pertinet. Neque enim reverenter tantum excipiemad esse docet, sed in ea sola acquiescendum. Quo id melius intelligatur, notanda est singulorum membrorum antithesis. Primum, filium Dei prophetis opponit: deinde nos patribus: tertio variam ac multiplicem loquendi rationem, quam Deus apud patres tenuit, postremae revelationi, quae nobis per Christum allata est. Sed in hac diversitate unum tamen Deum nobis proponit: ne quis putet legem cum evangelio pugnare, vel alium esse huius, quam illius autorem. Itaque ut summam huius propositionis teneas, haec tibi figura pingenda est:

Deus loquutus est

Olim per prophetas: Nunc per filium.

Tunc patribus: Nunc autem nobis.

Tunc multifariam: Nunc ut in fine temporum.

Hoc iacto fundamento, consensus inter legem et evangelium statuitur: quia Deus qui semper est sui similis, et cuius sermo constans est, ac immobilis veritas, utrisque communiter est loquutus. Sed notandum est inter nos et patres discribens: quia aliter olim apud eos sermonem temperavit quam hodie apud nos. Ac primum quidem apud illos prophetis usus est: nobis vero proprium filium legatum constituit. Conditio igitur nostra in hac parte iam potior est. Porro in ordine prophetarum censetur et Moses: ut sit unus ex eorum numero, qui filio sunt longe minores. In modo quoque revelationis excellimus. Nam visionum et reliqui regiminis diversitas, quae fuit sub veteri testamento, argumento erat, nondum statum esse, fixumque regimen, quale rebus optime compositis esse decet. Huc pertinet quod dicit, multifariam multisque modis. Eadem enim formam perpetuo usque in finem prosequutus esset Deus, si fuisse illa numeris omnibus absoluta. Sequitur ergo, varietatem fuisse

imperfectionis notam. Porro has duas voces ita accipio, ut multifariam referam ad diversas temporum vices. Est enim graece πολυμερῶς: quod licet ad verbū transferre, per multas partes. Quemadmodum fieri solet, quum in posterum plenus loqui instituimus. Πολυτρόπως vero diversitatem (meo iudicio) in forma ipsa designat. Quum nobis loquutum esse dicit, bis postremis temporibus, significat non amplius esse causam cur exspectatione novae revelationis simus suspensi. Neque enim particularis est sermo quem attulit Christus, sed extrema clausula. Hoc sensu, novissimum tempus et dies novissimos accipiunt apostoli. Atque id etiam est quod intelligit Paulus quum scribit (1. Cor. 10, 11), in nos fines aetatum incidisse. Quod si nunc postremum loquutus est Deus, hue usque progredi convenit: quemadmodum etiam quum eo perveneris, sistendus est gradus. Quorum utrumque cognitu valde necessarium est. Nam et Iudeis magnum erat impedimentum quod non reputabant Deum in aliud tempus distulisse pleniorē doctrinā. Itaque lege sua contenti non properabant ad metam. Ex quo autem Christus apparuit, contrarium malum grassari coepit in mundo. Appetunt enim homines ultra Christum pergere. Quid enim est aliud totus papatus quam huius limitis transgressio, quem fit apostolus? Proinde sicut omnes invitati hoc loco spiritus Dei ut ad Christum usque perveniant: ita novissimum sermonem cuius meminit, transsilire prohibet. Denique sapientiae nostrae terminus hic in evangelio locatur.

2. *Quem constituit haeredem.* His encomiis ornat Christum, ut nos in eius reverentiam adducat. Nam quum illi omnia subiecerit pater, ad eius imperium nos quoque pertinemus. Et simul indicat, nihil inveniri posse extra ipsum boni, quum haeres sit universalis. Unde sequitur, nos et miserrimos esse, et bonorum omnium inopes, nisi ille nos suis opibus iuvet. Porro hunc honorem iure deberi filio Dei addit, ut omnium habeat potestatem, quia per ipsum omnia sint condita: quamquam haec duo Christo tribuunt diverso respectu. Per ipsum enim creatus est mundus, quatenus aeterna est Dei sapientia: quae omnium eius operum ab initio directrix fuit. Atque hinc colligitur Christi aeternitas. Fuisse

enim prius oportet quam per ipsum mundus crearetur. Quod si diuturnitas temporis quaeritur, nullum invenietur principium. Neque hoc eius derogat potestati, quod per ipsum dicitur eratus mundus: quasi nou ipse creaverit. Haec usitata est loquendi ratio, patrem vocari creatorem: quod autem quibusdam locis additur, per sapientiam, vel sermonem, vel filium, perinde valet ac si ipsa sapientia creatrix nominaretur. Sed interea personalis distinctio notatur, non tantum respectu hominum, sed ut est in Deo ipso, inter patrem et filium. Unitas ergo essentia facit ut quidquid essentialie in Deo est, tam patri quam filio competit: deinde ut quidquid simpliciter Deo competit, utriusque sit commune. Sed hoc non impedit quin utriusque personae sua sit proprietas. Nomen vero haeredis Christo in carne manifestato tribuitur. Nam quatenus homo factus eandem nobiscum induit naturam, hareditatem hanc accepit: idque, ut nobis recuperaret quod perdideramus in Adam. Hominem enim quasi filium Deus constituerat initio, bouorum omnium suorum haereditem. Sed per peccatum a Deo alienatus primus homo, se et posteritatem suam, tam Dei benedictione quam bonis omnibus privaverat. Tunc ergo incipimus iure frui Dei bonis, quum nos Christus, qui universalis est haeres, in societatem suam admittit. Nam ideo ille haeres, ut non suis opibus ditet. Quin hoc elogio nunc eum ornat apostolus ut sciamus nos sine ipso bonorum omnium esse inopes. Si omnium in masculino genere accipias, hoc spectabit membrum istud: debere nos Christo subjectos esse, quia illi a patre dati simus. Sed ego potius in neutro genere lego: ut significet legitima coeli et terrae omniumque creaturarum possessione nos arceri, nisi Christo communicemus.

3. Qui quum sit splendor gloriae, et character substantiae eius, portetque omnia verbo suo potenti, peccatorum nostrorum purgatione per se ipsum facta, consedit in dextera magnificentiae in excelsis.

3. Qui quum sit splendor gloriae. Haec partim de divina Christi essentia, partim de ipso carne nostra induito praedicantur. Nam quod vocatur splendor gloriae, et character substantiae, divinitatis est proprium: alia ad humanam quoque naturam pertinent. Omnia tamen ad commendandam Christi dignitatem sunt posita. Porro eadem ratione filius splendor gloriae dicitur, et substantiae character. Utraque loquutio translatitia est. Nam de tantis rebus tamque reconditis nihil potest dici, nisi similitudine a creaturis mutuo sumpta. Quare non est quod nimis subtiliter disputemus qualiter filius qui unam cum patre essentiam habet, splendor sit ex illius lumine resplendens. Fatendum est, improprium quodammodo esse quod a creaturis ad ar-

canam Dei maiestatem transfertur. Sed tamen haec quae sensibus nostris conspicua sunt, apte ad Deum accommodantur, ut sciamus quid in Christo querendum sit, et quid nobis utilitatis afferat. Nam hoc quoque notandum est, non hie doceri frivolas speculationes: sed tradi solidam fidei doctrinam. Quare debemus in usum nostrum haec Christi elogia applicare: scienti ad nos relationem habent. Num igitur audis filium esse splendorem paternae gloriae, sic apud te cogita, gloriam patris esse tibi invisibilem donec in Christo resplendet: ideo vocari characterem substantiae, quod patris maiestas sit recondita donec se veluti in imagine impressam ostendat. Qui haec relatione non observata, altius philosophantur, frustra se macerant, quia non tenent apostoli consilium. Neque enim hic tradere voluit quid simile intus habeat pater cum filio: sed quemadmodum dixi, fidem nostram aedificare eum fructu voluit: ut discamus, non aliter Deum nobis patefieri quam in Christo. Tam enim in Dei essentia immensus est fulgor, ut oculos nostros perstringat donec irradiet nos in Christo. Unde sequitur, nos caecutire ad lucem Dei, nisi in Christo nobis affulget. Haec vere utilis est philosophia, ex serio fidei sensu et experimento discente Christi excellentiam. Idem (ut iam dixi) et de charactere sentiendum est. Nam quum Deus per se nobis sit incomprehensibilis, in filio demum eius forma nobis apparet. Ergo ἀπόγεια hic nihil aliud significat quam lumen visibile, aut resplendentiam, cuius oculi nostri sint capaces: et χρωμάτης, vivam formam ocellae substantiae. Priore voce admonemur, extra Christum nihil esse lucis, sed meras tenebras. Nam quum Deus unica lux sit, qua nos omnes illuminari oportet, hae tantum irradiatione (ut ita loquar) se in nos diffundit. Secundo admonemur, vere et solide Deum in Christo cognosci. Neque enim obscura est vel adumbrata eius imago duntaxat: sed expressa effigies quae ipsum refert, quemadmodum nummus matricem cunei, quo percussus est, formam. Quamquam plus etiam dicit apostolus: nempe patris substantiam quodammodo Christo insculptam esse. Nomen ὑποστάσεως, quod ego alios sequutus, verti substantiam (meo iudicio) non esse vel essentiam patris denotat, sed personam. Nam illud absurde diceretur, Dei essentiam in Christo impressam esse: quum eadem sit, et quidem simplex utriusque essentia. Sed vere apteque dicitur, quidquid proprium habet pater, in Christo expressum esse: ut qui hunc tenet, quidquid in patre est, simul teneat. Atque in hac significacione orthodoxi patres hypostasin usurpant: ut triplex in Deo sit, unica vero οὐσία. Et Hilarius passim latinum nomen substantiae pro persona accipit. Caeterum etsi hic non est propositum apostolo, disserere qualis in se sit Christus, sed qualem se nobis re ipsa declareret: tamen Arianos et Sabel-

lianos satis confutat, quum Christo vendicat quo solius sunt Dei, et simul duas in patro et filio distinctas hypostasis notat. Nam hinc colligimus, filium esse unum cum patre Deum, et proprietate nihilominus distingui: ita ut sua cuique subsistentia constet.

Portetque omnia. Portare hic pro tueri accipitur, facereque ut in suo statu maneant creaturae. Intelligit enim omnia mox casura, nisi cius virtute sustinerentur. Quamquam pronomen demonstrativum $\alpha\delta\tauος$ tam de patre quam de filio exponi potest: verti enim potest, vel ipsius, vel suae. Quia tamen secunda expositio magis est recepta, et optime quadrat contextui: ego eam libenter amplector. Ad verbum est, verbo potentiae. Sed genitivus more hebraico epithetum valet. Nam quod noonulli ita torquent, Christum omnia sustinere verbo patris, hoc est, se ipso qui verbum est: nihil habet coloris. Deinde nihil opus est tam coacta expositione. Neque enim solet Christus vocari $\phi\eta\mu\zeta$, sed $\lambda\acute{e}\gamma\zeta\sigma$. Quare verbum hic simpli citer nutum significat. Et sensus est, Christum, qui solo nutu totum mundum conservat, non tamen recusasse munus peragendae nostrae purgationis. Atque hoc secundum est membrum doctrinae, quae in hac epistola tractatur. Status enim totius disputationis in his duobus capitibus versatur: Christum, quia summa autoritate praeditus est, praे omnibus aliis esse audiendum: et quia morte sua nos patri reconciliavit, veteribus sacrificiis finem imposuisse. Ideo prima haec sententia, quum sit generalis propositio, etiam bimembris est. Porro quum dicit, per se ipsum, subaudienda est antithesis: quod legis mosaicae umbris ad id non fuerit adiutus. Praeterea disserimen inter ipsum et leviticos sacerdotes ostendit. Nam et hi dicebantur peccata expiare: sed hanc vim aliunde mutuabantur. Denique excludere voluit omnia alia media, vel adminicula, quum purgationis et pretium et virtutem in Christo statuit.

Consedit in dexteru. Ac si diceret, salute hominibus parta in mundo, receptus est in gloriam coelestem, ut omnia gubernet. Hoc autem subiicit, ut indicaret non esse temporariam salutem, quam nobis acquisivit. Nam aliqui potestatem metiri solemus ex praesenti adspectu. Christum ergo non ideo minoris faciendum admonet quia oculis non cernatur: sed potius hunc esse cumulum eius gloriae, quod receptus est ac elevatus in summum: illud imperii fastigium. Nam dextera per similitudinem ad Deum transfertur, qui neque inclusus est loco, nec latus habet vel dextrum vel sinistrum. Sessio itaque Christi nihil aliud est quam regnum, quod illi a patre datum est, ac potestas illa cuius meminit Paulus (Philip. 2, 10), ut in nomine eius omne genu flectatur. Ergo sedere ad patris dex-

teram, nihil aliud est quam gubernare vice patris: qualiter solent principum legati, quibus libera rerum omnium potestas est concessa. Et ideo additum est epithetum magnificientiae: deinde, in excelsis: ut significet collocatum esse in excelso throno Christum, unde maiestas Dei resplendet. Ergo sicuti amandus est redemptionis nomine, ita in hac magnificientia adorandus.

4. *Tanto præstantior angelis factus, quanto excellentius præ ipsis sortitus est nomen.* 5. *Cui enim unquam angelorum dixit: filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursus: ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?* 6. *Rursus autem quum introducit filium in orbem, dicit: et adorent eum omnes angelii Dei.*

4. *Tanto præstantior.* Postquam Christum Mosi et reliquis omnibus prætulit, nunc angelis etiam comparando, gloriam eius magis amplificat. Tritum erat apud Iudeos, legeum per angelos esse datam: audiebant quae passim de ipsis in scriptura leguntur honorifice dicta: et ut mire in superstitionem proclivis est mundus, angelos nimium extollendo, Dei gloriam obscurabant. Ergo opportuit ipsos cogi in suum ordinem, ne Christi splendori obstatent. Ac primum ex nomine argumentatur, Christum longe supra eos excellere, quia vocetur filius Dei. Hoc autem titulo Christum fuisse insignitum probat duobus scripturae testimoniosis: quorum utrumque exequendum nobis est: deinde summam rei colligimus.

5. *Filius meus es tu.* Non est negandum quin de Davide hoc prædicetur: nempe quatenus Christi personam sustinuit. Ergo quae habentur in hoc psalmo, in Davide oportuit adumbrari: sed in Christo sunt expressa. Nam quod multis hostibus circum circa domitis, regni sui fines ampliavit ille: fuit aliqua huius promissionis adumbratio, Dabo tibi gentes in haereditatem. Sed quantum hoc fuit præ amplitudine regni Christi, quae ab oriente in occidentem usque patet? Eadem ratione filius Dei vocatus fuit: hoc est, peculiariter a Deo selectus ad res egregias gerendas. Sed haec vix modica scintilla fuit eius gloriae, quae in Christo respluit, cui pater imaginem suam insculpsit. Ita nomen filii singulari prærogativa in solum Christum competit: nec potest in alium quemvis transferri quin profanetur. Huic enim et neminem alium signavit pater. Sed parum adhuc firmum etiam hoc modo videtur argumentum apostoli. Unde enim Christum superiorem esse angelis contendit, nisi quia nomen habet filii? Quasi vero nou sit hoc illi commune cum principibus, et quicunque potestate eminent: de quibus scriptum est: vos dii estis, et filii excelsi omnes. Quasi non honorificentius de toto Israele

loquuius sit propheta, quum dixit (Ierem. 31, 9), Primogenitum Dei. Nam filii appellatio passim illi tribuitur. Quin etiam angelos ipsos David alibi nominat Dei filios, Psal. 89, 7; Quis similis, inquit, Iehovae inter filios Elohim? Responsio est facilis, principes secundum quid vocari hoc nomine: in Israele designari communem electionis gratiam: angelos vocari deorum filios figurare, propterea quod spiritus sunt coelestes, et qui in beata immortalitate gustum aliquom habent divinitatis. Verum quum David sine adiectione se in Christi persona Dei filium appellat, singulare quiddam designat, et honore tam angelorum quam principum, nendum totius Israelis excellentius. Alioqui impropria esset ac inepta loquutio, si per excellentiam vocaretur Dei filius qui nihilo plus haberet quam alii. Eximitur enim ex grego et numero aliorum. Quum itaque exclusive hoc dictum sit de Christo: Filius meus es tu: sequitur nulli angelorum convenire talem honorem. Si quis rursum excipiat Davidem quoque hoc modo supra angelos evehit: respondeo, nihil esse absurdum si angelis praferatur, quatenus imago est Christi: quemadmodum nulla siebat angelis iniuria, quum summus sacerdos, mediator vocabatur qui peccata expiaret. Neque enim id habebant proprio iure: sed quum referrent Christi regnum, nomen quoque ab ipso mutuabantur. Quin etiam sacramenta, quum res sint per se mortuae, insigniuntur titulis quos angeli sibi absque sacrilegio non arrogarent. Hinc apparet validum esse argumentum a filii nomine. De generatione sic breviter babendum est: relative hoc loco accipi. Frivola enim Augustini argutia est, qui hodie aeternum et continuum fingit. Christus certe aeternus est Dei filius: quia sapientia eius est ante tempus genita. Sed hoc nihil ad praesentem locum, ubi respectus habetur ad homines: a quibus agnitus fuit Christus pro filio Dei, postquam eum pater manifestavit. Haec igitur declaratio, cuius etiam Paulus meminit ad Romanos cap. 1, 4, species quaedam fuit aeternae (ut ita loquar) generationis. Nam arcana illa et interior, quae praecesserat, hominibus erat incognita: nec in rationem venire poterat, nisi eam pater visibili revelatione approbasset.

Ero illi in patrem. In hoc etiam secundo testimonio valere debet illa observatio: tametsi designatur hic Solomo, qui alioqui erat angelis inferior, tamen ipsum ex communi omnium ordine segregari, quum Deus se promittit illi fore in patrem. Neque enim illi in patrem futurus erat tanquam uni ex Abraham filiis, aut uni ex principibus: sed tanquam ei qui reliquos omnes supereminet. Privilegio igitur eodem, quo filius constituitur, omnes alii excluduntur a pari honore. Porro non aliter id de Solomone esse dictum, nisi quatenus Christum figurabat, patet ex loci contextu. Nam et totius mundi

imperium filio cuius illic fit mentio, destinatur et asseritur imperii perpetuitas. Constat autem ex adverso, regnum Solomonis angustis finibus suis inclusum: et adeo non fuisse diuturnum, ut statim post eius mortem accisum, aliquanto post tempore conciderit. Atqui in psalmo citantur testes sol et luna, iuratque Dominus, quamdiu in celo fulgebunt, regnum illud staturum incolume. Contra vero regnum Davidis brevi temporis spatio collapsum, tandem prorsus interit. Deinde ex compluribus prophetarum locis colligere promptum est, illam promissionem nunquam aliter quam de Christo fuisse acceptam: ut cavillari nemo queat, esse istud novum commentum. Nam et inde invaluerat vulgo apud Iudeos hic usus, ut Christum appellarent filium Davidis.

6. *Rursus autem quum introducit filium.* Nunc alia ratione Christum supra angelos attollit: quia iubeantur angeli ipsum adorare. Sequitur enim, ipsorum esse caput ac principem. Verum videri possit perperam hoc ad Christum torquere quod simpliciter de Deo praedicatur. Si respondeamus Christum esse Deum aeternum, ideoque iure in eum competere quaecunque Dei sunt: nondum omnibus satisfactum erit. Parum enim ad rei dubiae probationem valeret, ex communibus Dei elogiis in hac causa argumentari. Agitur enim de Christo in carne manifestato: et nominatim dicit apostolus, ita loquutum spiritum, quum introducitur in orbem: quod non esset vere dictum, nisi proprie psalmus de Christi manifestatione disserat. Et sane ita est: exordium enim psalmi exhortatio est ad laetitiam. Neque Iudeos alloquitur David: sed totam terram usque ad insulas: hoc est, transmarinas regiones. Ratio ponitur: quia Dominus regnabit. Si deinde totum psalmum percurras, nihil aliud videbis quam regnum Christi, quod ab evangelii publicatione coepit. Nec aliud est argumentum psalmi quam veluti solenne diploma, quo in eius regni possessionemmittitur Christus. Porro quae laetitiae materia ex eius regno, nisi toti mundo salutare foret, hoc est, tam gentibus quam Iudeis? Quamobrem apte hic apostolus quum dicit ipsum introduci in orbem: quia scilicet illic eius ad homines adventus describitur. Caeterum vox hebraica, pro qua hic angelos reddidit, est Elohim, quae et deos significat. Sed minime dubium quin de angelis loquatur propheta: quia sensus est, nullam esse tam sublimem potentiam quae non subiici debeat huius regis imperio, cuius adventus totum orbem exhilarare debet.

7. *Et ad angelos quidem dicit, Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammat ignis.* 8. *Ad Filium vero, Thronus tuus o Deus in saeculum saeculi: virga directionis, virga regni tui.* 9. *Dilexisti iusti-*

tiam et odisti iniqutatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae p[ro]ae consortibus tuis.

7. *Ad angelos quidem.* Ad angelos, pro de angelis. Sed locus, quem citat, videtur in alienum sensum trahi. Nam quum illic David ordinem describat, quem in mundi administratione cernimus, nihil certius est quam hic fieri mentionem ventorum, quos dicit a Domino fieri nuntios, quia pro cursoribus illis utatur: quemadmodum fulminibus dum terram perlustrat, quam celeres et expeditos ad obeunda sua iussa ministros habeat, ostendit. Nihil hoc ad angelos pertinet. Quidam ad allegoriam confugiunt, quasi apostolus apertum et literalem (ut vocant) sensum allegorice de angelis exponeret. Mibi autem magis placet hoc testimonium sic ad ductum esse, ut per similitudinem angelis accommodetur, hoc modo, David angelis comparat ventos, ut hic in mundo idem exerceant officium quod in coelo angeli: sunt enim venti quasi visibles spiritus. Et sane quemadmodum Moses in creatione mundi tantum ea commemorat quac sub sensus nostros cadunt, et tamen vult superiora etiam intelligi: sic David in illa mundi et naturae descriptione, quasi in tabula nobis depingit quod etiam ex ordine coelesti intelligendum est. Quare argumentum a simili esse puto, quum ad angelos transfert apostolus quod proprie de ventis dictum est.

8. *Ad filium vero.* Fatendum est quidem de Salomone hunc psalmum fuisse compositum instar epithalamii: quia illie celebratur eius coniugium cum filia regis Aegypti. Sed negari rursus non potest quod hic refertur, multo esse excelsius quam ut in Salomonem competit. Iudei ne cogantur agnoscere Christum esse Deum, cavillantur dici thronum Dei, vel subaudiendum esse verbum stabilivit. Ita secundum priorem expositionem, nomen ἀλλά vertendum foret thronus tuus, in genitivo easu thronus Dei. Altera expositio fingit orationem defectivam. Verum apparet eos quaerere mera effugia. Quisquis ergo composito animo, et citra rixandi studium hunc versum leget, non infitiabitur Messiam vocari Deum. Nec est quod excipias nomen hic ponni angelis et iudicibus promiscuum. Nusquam enim legitur uni et simpliciter attributum, nisi soli Deo. Praeterea ut de voce non pugnem, enius thronus in perpetuum stabilis praedicabitur, nisi solius Dei: Ergo regni perpetuitas testimonium est Divinitatis. Postea sceptrum regni Christi vocatur sceptrum rectitudinis. Cuius rei in Salomone quae-dam fuerunt linea menta, sed obscura: quatenus scilicet iustum et aequitatis studiosum regem se praestit. Sed rectitudo in regno Christi latius patet: quia scilicet evangelio suo, quod sceptrum est spirituale, nos in Dei iustitiam reformat. Idem et

de directione iustitiae sentiendum. Ideo enim quia diligit, facit ut in suis regnet.

9. *Propterea unxit.* Hoc quidem vere de Salomone dictum fuit: qui ideo rex creatus est quod Deus ipsum reliquis fratribus praetulit, qui alioqui aequales erant, et perinde ut ipse, regis filii. Sed hoc in Christum magis proprio competit, qui nos sibi adoptavit consortes, tametsi iure proprio non eramus. Unctus autem fuit supra nos omnes, quia sine mensura, nos autem ad certam quisque portionem, prout singulis ipse distribuit. Deinde nostra causa unctus fuit, ut hauriamus omnes ex eius plenitudine. Quare ipse Christus, nos ab eo Christiani, quasi rivuli a fonte. Quia vero unctionem hanc in carne sua recepit Christus, ideo dicitur hic unctus a Deo suo. Absurdum enim esset Deo subiici, nisi humanae naturae respectu.

10. *Et tu ab initio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.* 11. *Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes quasi vestimentum veterascent,* 12. *Et tanquam amictum involves eos, et mutantur: tu autem idem es, et anni tui non deficient.* 13. *Ad quem vero angelorum dixit unquam: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* 14. *Annon omnes sunt administratorii spiritus, qui in ministerium emituntur, propter eos qui haereditatem capiunt salutis?*

10. *Et tu ab initio.* Hoc testimonium prima specie ad Christum inepte trahi videri posset, praesertim in causa dubia qualis hic tractatur. Neque enim disputatio est de gloria Dei, sed quid proprio Christo conveniat. Atqui nulla illie Christi mentio, sed nuda proponitur Dei maiestas. Fateor quidem, toto psalmo non nominari Christum: sed palam est ita designari, ut nemo dubitet, ex professo nobis commendari eius regnum. Itaque accommodanda sunt eius personae quaecunque illie habentur. Non enim hoc nisi in Christo impletum est, Tu exsurgens misereberis Sion, ut timeant gentes nomen tuum, et omnes reges terrae gloriam tuam. Item, quum populi congregati fuerint simul, et regna ut serviant Domino. Frustra certe hunc Deum per quem totus mundus in unam fidem ac Dei cultum coaluit, nisi in Christo quaeremus. Ergo reliqua etiam, quae in psalmo continentur, apte quadrant Christi personae: atque hoc inter alia, quod Deus est aeternus, coeli et terrae creator: quod illi perpetuitas tribuitur ab omni mutatione exempta, quo et eius maiestas extollitur in summum fastigium, et ipse ab ordine omnium creaturarum eximitur. Quod David coelos perituros docet, ita quidam resolvunt, etiamsi ita contingere: quasi nihil affirmet. Verum quid opus est hac coacta expositione, quum sciamus creaturas omnes vanitati esse subiectas? Quorsum enim re-

novatio, quam coeli quoque veluti parturientium desiderio exspectant, nisi quod ad interitum nunc inclinant? Caeterum perpetuitas Christi, quae hic commendatur, eximiam asserti piis consolationem, quos eius fore participes psalmus tandem concludit. Quemadmodum Christus se et sua corpori suo communicat.

13. *Ad quem vero angelorum.* Rursus alio testimonio Christi praestantiam extollit: ut inde pateat quantum emineat supra angelos. Locus est ex Psalmo 110, 1, qui nonnisi de Christo exponi potest. Nam quum regibus nefas fuerit attingere sacerdotium, teste Uziae lepra: et constet neque Davidem, neque alium quempiam ex regni successoribus sacerdotem fuisse ordinatum: sequitur, tam novum regnum quam novum sacerdotium hic induci, quum idem rex et sacerdos constituitur. Praeterea aeternitas sacerdotii in solum Christum competit. Iam initio psalmi collocatur ad Dei dexteram. Quae loquutio (ut iam dixi) perinde valet ac si daretur illi secundus a patre locus. Est enim metaphora, quae significat illum patris esse vicarium, et primarium legatum in potestate exercenda, ut pater regnet par manum eius. Nemo est angelorum qui tam honorificam personam sustineat. Ergo longe omnibus praececellit Christus.

Donec ponam. Quoniam nunquam desunt hostes Christo qui regnum eius oppugnant, videri posset non esse extra periculum: praesertim quum polleant magnis viribus qui illud evertere moliuntur, varias habeant artes, furioso rursum impetu omnia conentur. Certe si reputemus quae sunt ante oculos, videtur subinde ruiturum Christi regnum. Sed haec promissio metum nobis omnem adimit, quod nunquam detrahetur Christus ex sua sede: quin potius hostes suos omnes prostrernet. Duo igitur haec notanda sunt, nunquam quietum fore Christi regnum, sed multos fore illi infestos a quibus turbetur: deinde quidquid agant hostes, nunquam praevalituros: quia Christi sessio ad patris dexteram non est temporaria, sed usque ad finem mundi. Itaque omnes qui eius imperio se non submiserint, proterendos esse et pedibus eius calcandos. Si quis autem roget an tunc finiendum sit Christi regnum quum hostes suos prostraverit: respondeo, perpetuum quidem fore, sed eo modo quem Paulus declarat prioris ad Corinthios capite 15, 25. Sic enim habeendum est, Deum tunc nobis in se ipso apparitum, qui nunc in Christo tantum vult cognosci. Neque tamen desinet Christus caput esse hominum et angelorum: nec propterea quidquam ex eius honore minuetur. Verum huius quaestionis solutio ex eo loco pertenda est.

14. *Annon omnes.* Quo melius eluceat comparatio, nunc subiicit qualis sit conditio angelorum. Quod spiritus vocat, id quidem est excellentiae.

Nam hac parte superiores sunt corporeis creaturis. Sed λειτουργία quam ipsis continuo post assignat, cogit eos in ordinem: utpote quao opposita est dominio. Idque expressius declarat quum dicit in ministerium. Prius enim epithetum perindo valet ac si dixisset esso officarios. Ministri vero nomen humilius est ac abiectius. Est quidem honorifica servitus quam iniungit Deus angelis: hoc tamen ipso quod serviant, patet longe dispares esse Christo qui Dominus est omnium. Si quis obiiciat, Christum similiter vocari compluribus locis et servum et ministerum, nec Dei modo, sed nostrum quoque, solutio in promptu est, non esse hoc naturae, sed voluntariae exinanitionis, quemadmodum testatur Paulus (Philipp. 2, 7): et interea manere illi nihilominus illibatum suum principatum. Contra autem angelos in hunc finem creatos esse ut serviant, totamque eorum conditionem ministerio contineri. Ergo magnum est discrimen: quia quod his naturale est, Christo est quasi adventitium, carnis nostrae quam induit respectu. Quod illis est necessarium, hic sponte subiit. Praeterea sic minister est Christus, ut nihil illi ex imperii maiestate decedat etiam in carne. Ex praesenti loco eximiam consolationem percipiunt fideles, quum ministros sibi attribui audiunt coelestes exercitus, ut salutem ipsorum procurent. Est enim non vulgare divini in nos amoris pignus, habere illos nostra causa assiduos in opere. Hinc etiam manat rara fidei confirmatio, quod salus nostra talibus praesidiis munita sit extra periculum. Optime ergo infirmitati nostrae consultit Deus quum tales dat nobis adiutores qui Satanae nobiscum resistant, suamque operam modis omnibus impendant ad nos tuendos. Sed hoc beneficio electos suos peculiariter dignatur. Ergo ut angeli nostri sint, Christi membra nos esse oportet. Quamquam possent exadverso obiici scripturae testimonia: unde constat reproborum etiam causa angelos interdum emitti. Nam apud Danielem (10, 20) commemorantur angeli Persarum et Graceorum. Sed respondeo, ita angelorum ope illos fuisse adiutos, ut Dominus hoc modo populi sui salutem promoveret. Successus enim et victoriae, quas obtinebant, semper ad ecclesiam tanquam ad scopum suum referebantur. Hoc certum est, quia exsulamus a regno Dei per peccatum, nullam nobis cum angelis esse communicationem, nisi reconciliatione per Christum facta: idque in scala, quae in visione patriarchae Iacob proposita fuit, cernere licet.

CAPUT II.

1. *Quamobrem oportet nos magis attendere iis quae audivimus, ne quando diffluamus.* 2. *Si enim qui per angelos enuntiatus erat sermo, firmus fuit, et*

omnis transgressio et inobedientia iustum accepit re-pensionem mercedis: 3. Quomodo nos effugiemus tanta neglecta salute? quae quum initio coepisset enarrari per Dominum, ab iis qui audierant, erga nos confirmata fuit: 4. Simul attestante Deo, signis et prodigiis et virtutibus variis et distributionibus spiritus sancti, secundum eius voluntatem.

1. *Quamobrem oportet.* Iam declarat quorsum hactenus spectaverit, Christum cum angelis comparando: nempe ut eius doctrinae summam autoritatem comparet. Nam si lex, quae per angelos data fuit, non debuit contemptum recipi, et eius transgressio gravibus poenis sancita fuit: quid futurum est, inquit, evangelii contemptoribus, quod et filium Dei habet autorem, et tot miraculis fuit confirmatum? Haec summa est, quo maior est Christi dignitas quam angelorum, eo plus reverentiae deberi evangelio quam legi. Ita ab autoris persona doctrinam commendat. Si cui autem videatur absurdum, quum utraque doctrina, tam legis quam evangelii, ex Deo sit, alteram alteri praeferriri, quasi lege posthabita imminuatur Dei maiestas: responsio facilis est, semper quidem aequa audiendum quoties loquitur: quo tamen plenius se nobis manifestat, aequum esse ut pro modo revelationis simul crescat timor, et obediendi studium. Non quod Deus se ipso minor sit uno tempore quam alio: sed quia nos eius magnitudinem non aequaliter semper agnoscimus. Exoritur etiam hie quaestio, annon lex etiam data sit per manum Christi. Quod si ita est, videtur absurdum esse argumentum apostoli. Respondeo, in hac comparatione haberi rationem hinc occultae, illuc manifestae revelationis. Iam quum in lege ferenda Christus obscure se et quasi sub involucris insinuaverit: non mirum est si praeterita eius mentione, dicatur per angelos allata. Neque enim palam illic apparuit. At vero in evangelii promulgatione conspicua fuit eius gloria, ut iure censeatur eius autor.

Ne quando diffluamus. Si mavis, praeterfluamus. Quamquam in ea re parum est momenti: quia ex antitheto verus sensus colligi potest. Nam attendere et praeterfluere sunt opposita. Prius significat continere, secundum vero instar cribri aut pertusus dolii effundere quidquid iniectum est. Neque enim eorum opinionem probo qui pro interire accipiunt, qualiter dicitur secundi Samuelis 14, 14, Omnes perimus, et quasi aqua dilabimur. Potius (ut dixi) consideranda est antithesis inter retentionem et profusionem. Nam attenta mens similis est vasi bene obstructo: vaga autem et ignava, perforato.

2. *Firmus fuit.* Hoc est, obtinuit pondus suum: quia Deus fidem illi asseruit. Quod ex sanctionibus melius patet: quia nemo impune contempsit legem. Ergo firmitas haec autoritatem significat: et quod de-

poenis additur, expositive intelligi debet, quia doctrinam minime inanem vel irritam esse constat, cuius Deus vindicem se ostendit.

3. *Tanta neglecta salute.* Non tantum evangelii reiectio, sed etiam neglectus gravissimam poenam meretur: nempe pro magnitudine gratiae quae illie offertur. Ideo dicit, tanta salute. Deus enim dona sua vult a nobis pro dignitate aestimari. Ergo quo pretiosi ora sunt, eo foedior est nostra ingratitudo, si pretium suum apud nos non habent. Denique quantus est Christus, tam severa erit Dei vindicta in omnes evangelii contemptores. Et observa salutis nomen hie metonymice ad doctrinam transferri. Quia sicuti non aliter Dominus salvos vult fieri homines quam per evangelium: ita ipso neglecto respuitur omnis Dei salus: potentia enim Dei est in salutem credentibus. Ergo qui alibi salutem quaerit, vult eam consequi alia quam Dei virtute: quod nimiae est dementiae. Hoc vero encomium non modo ad evangelii commendationem valet, sed est eximia fidei nostrae fulta: quia testatur verbum minime esse inane, sed in eo contineri certam salutem.

Quae quum initio. Hic filium Dei primum evangelii praeconem angelis opponit, et simul anticipatione utitur ad tollendam dubitationem, quae multis obrepere poterat. Neque enim edocti erant ore Christi ipsius: quem magna ex parte nunquam viderant. Si ergo solos homines intuiti essent, quorum magisterio adducti erant ad fidem, minoris fecissent quod ab illis didicerant. Ergo admonet apostolus, a Christo nihilominus profectam esse doctrinam, quae sibi per aliorum manus fuit tradita. Dicit enim fuisse Christi discipulos, qui a Christo sibi mandata fideliter pertulerint. Ideo verbum confirmandi usurpat: ae si diceret, non fuisse rumorem sparsum sine capite, vel a dubiae fidei testibus, sed qui graves habeat autores. Cæterum hie locus indicio est, epistolam a Paulo non fuisse compositam. Neque enim tam humiliter loqui solet ut se unum fateatur ex apostolorum discipulis: neque id ambitione, sed quia improbi eiusmodi praetextu, tantundem detrahere eius doctrinae moliebantur. Apparet igitur non esse Paulum qui ex auditu se habere evangelium scribit, non autem ex revelatione.

4. *Simul attestante.* Praeterquam quod habebant a filio Dei apostoli quod praedicarunt, Dominus etiam miraculis tanquam solenni subscriptione, eorum praedicationem approbavit. Ergo iniuriam faciunt non tantum verbo Dei, sed etiam operibus, qui non reverenter amplectuntur evangelium quod talibus testimoniis commendatur. Tribus nominibus miracula designat ad maiorem amplificationem. Porro signa ideo vocantur, quod hominum mentes exercitant ad considerandum altius quiddam quam quod

apparet: prodigia autem, quod novum aliquid et inusitatum continent: virtutes, quod Dominus in illis singulare et extraordinarium virtutis suae specimen edit. In vocabulo attestandi, notatur rectus miraenorum usus, nempe quod stabiliendo evangelio servire debent. Fere enim omnia quibuscumque saeculis edita fuerint miracula, hunc sinem habuisse reperiemus, ut verbi Dei essent sigilla. Quo magis praepostera est papistarnm superstitione, qui fictitia sua miracula ad veritatem Dei labefactandam detorquent. Coninnetio σὺν vel simul, hunc habet sensum, nos in fide evangelli confirmari symphonia quadam Dei et hominum: quoniam miracula Dei quasi testimonii vice cum hominum voce consentiant. Addit spiritus sancti distributiones, quibus etiam ornata fuit evangelii doctrina, cuius appendices fuerunt. Quorsum enim distribuit Deus spiritus sui dona, nisi partim ut illius promulgandae adiumenta essent, partim vero ut admiratione per moverent hominum animos ad obsequendum? Unde Paulus dicit, linguis esse in signum infidelibus. Particula, secundum eius voluntatem, admonet virtutes istas, quarum meminit, non posse adscribi nisi Deo: nec temere fuisse editas, sed certo eius consilio, ut evangelii fidem obsignarent.

5. Non enim angelis subiecit orbem futurum, de quo loquimur. 6. Testatus est autem quidam alieni, dicens: Quid est homo quod memor es eius? aut filius hominis, quod visitas eum? 7. Minuisti eum paululum ab angelis: gloria et honore coronasti eum, et constitueristi eum super opera manuum tuarum: 8. Omnia subieciisti sub pedibus eius. Subiiciendo certe illi omnia, nihil reliquit non subiectum. Atqui nunc nondum videmus illi omnia subiecta: 9. Iesum autem qui paululum imminutus fuit ab angelis, intuemur propter passionem mortis gloria et honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

5. Non enim angelis. Alio argumento rursus probat obediendum Christo esse: quia illi pater totius orbis imperium contulit, a quo honore precul absunt angeli. Unde sequitur, nihil angelicum debere esse impedimento quominus is, qui primatum solus tenet, emineat. Sed primo loco excludendus est psalmus quem adducit: quia videtur inepte ad Christum trahi. Commemorat illic David beneficia, quibus humanum genus prosequitur Deus. Postquam enim in coelo et stellis consideravit Dei potentiam, ad homines descendit, in quibus peculiariter appareat mirabilis eius bonitas. Ergo non de uno quopiam homine loquitur, sed de universis. Respondeo, hoc totum non obstare quominus restringi debeant istae sententiae ad Christi personam. Fateor quidem initio collocatum fuisse hominem in possessione mundi, ut omnibus Dei operibus praeesset:

verum sua defectione promeruit ut dominio hoc abdicaretur. Hace enim iusta in beneficio ingratitudinis poena est, ut Dominus, quem agnosceret et debita fide colere recensat, iure prins a se concessu eum spoliaret. Ergo simul atque Adam se per peccatum a Deo alienavit, bonis omnibus, quae accepérat, merito privatus est. Non quod usum perdidit: sed quia ius legitimū retinere non potuit postquam Deum reliquerat. In usu etiam ipso Deus signa extare privationis voluit: quale est quod belluae ferociter in nos insurgunt, et quae nostrum conspectum revereri debuerant, sunt nobis formidabiles: quod ad obsequium aliae nunquam, aliae vix assuecant: quod nocent variis modis: quod terra culturae non respondet: quod coelum, aer, mare, et alia nobis saepe infesta sunt. Verum ut omnes creature in officio subiectionis manerent, quidquid tamen usurpant filii Adae, illis in furtum imputatur. Quid enim suum esse dicent, quum ipsi Dei non sint? Hoc iacto fundamento, patet istam Dei beneficentiam nihil ad nos pertinere, donec per Christum restitutum fuerit ius quod in Adam perdidimus. Qua ratione docet Paulus (1. Tim. 4, 5), sanctificari nobis cibos per fidem. Et alibi pronuntiat infidelibus nihil esse mundum, quia pollutam habeant conscientiam. Hoc est quod habuimus initio huic epistolae, Christum a patre ordinatum esse haeredem universorum. Certe totam uni haereditatem vendicando, reliquos omnes excludit tanquam alienos. Et merito: exsulamus enim omnes a regno Dei. Quae ergo suis domesticis alimenta destinavit, ad nos rapere fas non est. At Christus, per quem in familiam cooptamus, simul in societatem iuris sui nos admittit, ut toto mundo cum Dei benedictione fruamur. Unde et Paulus fide docet (Rom. 4, 13) Abraham factum esse haeredem mundi: quatenus scilicet in Christi corpus insitns fuit. Quod si ab omni Dei beneficentia arcentur homines, donec per Christum facti compotes fuerint: sequitur, dominium illud, cuius psalmus meminit, nobis periisse in Adam: ideoque de integro oportere nobis donationem instaurari. Porro instauratio a Christo tanquam a capite incipit. Non est ergo dubium quin respicere in ipsum debeamus quoties agitur de hominis principatu in omnes creature. Huc quoque pertinet quod nominatim dixit apostolus, orbem futurum: accepit enim pro renovato. Quod ut clarius fiat, concipiamus animis dupliecum mundum: priorem vetustum qui peccato Adae corruptus est: alterum ordine posteriorem, ut est per Christum instauratus. Status enim primae creationis obsolevit, et una cum homine cecidit quoad ipsum hominem. Ergo quoad nova fiat restitutio per Christum, psalmus hic locum non habebit. Nunc appetit non vocari orbem futurum duntaxat qualem e resurrectione speramus, sed qui coepit ab exordio regni Christi: comple-

mentum vero suum habebit in ultima redemptione. Caeterum eur nomen Davidis suppresserit, mihi non constat. Certe quendam non contemptim, sed honoris causa, tanquam unum ex prophetis vel classicis scriptoribus appellat.

7. *Minuisti eum paululum ab angelis.* Nunc in verborum expositione emergit nova difficultas. Iam quidem ostendi locum apte exponi de filio Dei: sed nunc videtur apostolus verba trahere in diversum sensum quam intolleranter David. Nam βραχύτι videtur ad tempus referre, ut sit paulisper, et imminutionem intelligit quum exinanitus fuit Christus: et gloriam ad resurrectionis diem restringit, quum David generaliter extendat ad totam hominis vitam. Respondeo, non fuisse propositum apostole, genuinam verborum expositionem referre. Nihil enim est incommodi, si allusiones in verbis quaerat ad ornandam praesentem causam. Quemadmodum Paulus quum Rom. 10, 6, testimonium citat ex Mose: *Quis ascendet in coelum, etc.* statim non interpretationem, sed exornationem attexit, de coelo et inferis. Mens Davidis haec est, Domine, eo dignitatis extulisti hominem, ut parum distet a Divino vel angelico honore: quandoquidem praefectus est toti mundo. Hunc sensum neluit evertere apostolus, neque alio deflectere: sed tantum in Christo considerare iubet diminutionem quae ad exiguum tempus apparuit, deinde gloriam qua in perpetuum coronatus est. Idque facit alludens magis ad verba quam exprimens quid intellexerit David. *Memorem esse et visitare pro eodem accipit,* nisi quod secundum aliquanto plenius est: quia Dei praesentiam ab effectis designat.

8. *Subiiciendo certe illi omnia.* Pesset aliquis putare tale esse argumentum, Homini, de quo loquitur David, emnia subiectuntur. Atqui humano generi non sunt emnia subiecta. Ergo non de quolibet homine sermo est. Verum non staret hoc argumentum, quia minor etiam Christo convenit. Nam ne huic quidem subiecta sunt adhuc omnia: sicut Paulus tractat prioris ad Cerinthios 15, 28: quare alius est contextus. Nam postquam illud posuit, Christum sine exceptione dominari omnibus creaturis, vice contrariae obiectionis addit: Atqui nondum omnia parent Christ imperio. Cui ut satisfaciat, docet, in Christo tamen iam cerni completum quod continua post sequitur de gloria et honore. Ac si dixisset: Tametsi nondum universalis illa subiectio nebis patet, contenti simus quod morte obita in supremum honoris gradum fuerit evectus. Nam quod adhuc deest, tandem suo tempore complebitur. Sed primum hoc quosdam offendit, quod nimis argute colligit apostolus, nihil esse non subiectum Christo, quenam generaliter emnia comprehendat David. Nam species, quas postea enumerat, nihil tale ostendunt: nempe agrestia animalia, pisces maris, et

aves coeli. Respondeo, generalem sententiam non debere ad istas species restringi: quia nihil aliud voluit David quam dominationis illius specimen monstrare in rebus maxime conspiciens: vel certe extendere ad res usque infimas, ut sciamus nihil esse nostrum nisi Dei beneficio et Christi participatione. Quare sic orationem resolvere licet, Omnia subiecti, non modo quae ad aeternam beatitudinem faciunt, sed usque ad haec minuta quae serviunt corporis usibus. Quidquid sit, inferius istud in animalia dominium ex superiore pendet. Quaeritur iam quomodo neget videre nos emnia Christo subesse. Sed huius quaestionis solutionem invenies in loco Pauli nuper citato. Et primo capite huius epistolae aliquid attigimus. Quia assiduum cum variis hostibus bellum gerit Christus: nondum illi certe constat tranquilla regni sui possessio. Quamquam necessitate non cogitur ad bellandum, sed hoc fit eius voluntate quod non subiguntur hostes eius usqne ad extremum diem: ut nos talibus exercitiis probemur.

9. *Iesum autem qui paululum imminutus fuit.* Quia ambigua est huius particulae significatio βραχύτι, rem ipsam qualis exstetit in Christi persona, magis intuetur quam germanam verborum expositionem, ut iam dixi. Et gloriam in resurrectione considerandam proponit, quam David extendit ad omnes dotes quibus Dei beneficentia ornatus est homo. Verum nihil in hac exornatione est absurdum, quae sensum literalem integrum relinquit. Propter passionem mortis, tantundem valet ac¹⁾ si dictum esset, *Christum obita morte ad hanc gloriam, quam adeptus est, fuisse evictum: sicut et Paulus docet ad Philip.* capite 2, 8. Non quod sibi quidquam privatum acquisicerit Christus, sicut sophistae fingunt, primo sibi vitam aeternam fuisse promeritum, deinde nobis. Medium enim (ut ita loquar) obtainet gloriae tandemmodo indicateur. Porro in hoc coronatus gloria Christus est, ut omne genus eorum eo fleetatur. Itaque a causa finali ratiocinari licet, omnia illi in manum esse data.

Ut gratia Dei. Causam fructumque mortis Christi refert, ne quid putetur eius dignitati detrahente. Nam quum audimus tantum boni nobis partum esse, nullus despectui locus relinquitur: quia totum occupat Divinae bonitatis admiratio. Quum dieit, pro omnibus, non tantum intelligit ut aliis exemplo esset: quemadmodum Chrysostomus similitudinem mediei adducit, qui potiem amaram praegustat, ne recusat aegrotus bibere: sed intelligit Christum pro nobis esse mortuum, quia vicem nostram subeundo a mortis maledictione nos redemit. Et ideo additur: *Gratia Dei id esse factum:* quia redemptionis causa fuit immensus ille erga nos

¹⁾ mortem patiendo.

Dei amor, quo factum est ut ne proprio quidem filio pepereerit. Quod Chrysostomus ḡn stare mortem exponit, quasi summis labris delibare, eo quod Christus victor e morte emerserit, nou refello, neque improbo. Quamquam nescio an adeo subtilater loqui voluerit apostolus.

10. *Decebat enim cum propter quem omnia, et per quem omnia, quum multos filios gloriam adduceret, ducem salutis eorum per passiones consecrare.* 11. Nam qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes: propter quam causam non erubescit fratres ipsos vocare, 12. *Dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae canam te.* 13. *Et rursum: Ego ero fidens in ipso.* Et rursum: *Ecce ego et pueri quos mihi dedit Deus.*

10. *Decebat enim.* Hie status est, ut Christi humilitatem apudpios gloriosam reddat. Nam quum induisse carnem nostram dicitur, videtur vulgo hominum aggregari. Crux autem iufra omnes homines eum deiicit. Ergo cavendum ne minor censeatur Christus, quia sponte se propter nos exiunavit: quod nunc agitur. Nam ostendit apostolus hoc ipsum debere filio Dei esse honorificum, quia ita consecratus sit dux salutis nostrae. Principio istud pro confesso sumit, standum esse Dei decreto: quia sicuti eius virtute sustinentur, omnia ita illius gloriae servire debeant. Ergo non alia melior causa investiganda est quam ita placuisse Deo. Huc pertinet periphrasis qua utitur, propter quem et per quem omnia. Poterat uno verbo Deum appellare: sed admonere voluit pro optime id habendum quod statuit ipse, cuius et voluntas et gloria rectus est omnium finis. Nondum tamen videtur constare quod intendit, decuisse Christum hoc modo consecrari: sed hoc pendet ex ordinaria ratione quam Deus in tractandis suis tenet. Vult enim eos variis aerumnis exerceri, totamque vitam sub cruce degere. Christum ergo ut est primogenitus, opportuit cruce inaugurarī in suum primatum: quando ista est communis omnium lex et conditio. Haec est conformatio capitū cum membris, de qua disserit Paulus ad Romanos capite 8, 29. Hac autem est eximia consolatio ad mitigandam acerbitudinem crucis, quum audiunt fideles miseriis et tribulationibus se una cum Christo sanctificari in gloriam: adeoque vident causam esse cur amanter osculentur potius crucem quam horreant. Id porro fieri nequit quin opprobrium crucis Christi protinus absorbeatur, et gloria resulgeat. Quis enim vilipendat quod sacrum est, imo quod Deus sanctificat? Quis ignominiosum ducat quo praepararamur ad gloriam? Atqui utrumque hic de Christi morte praedicatur.

Per quem omnia. Quum de creatione agitur,

hoe filio tribuitur quasi proprium, quod per ipsum creata sint omnia: sed hic nihil aliud significat apostolus quam stare omnes creature, vel conservari in suo statu Dei virtute. Ubi nos consecrare vertimus, alii reddunt perficere. Sed quum verbum τελεῖσθαι, quo usus est, ambiguac sit significacionis, perspicuum esse arbitror quam posui melius contextu quadrare. Nam solennis quadam et legitima ordinatio notatur, qua initiantur filii Dei ut gradum suum obtineant, adeoque separantur a reliquo mundo: et mox subiicitur mentio sanctificationis.

11. *Nam qui sanctificat.* Probat quod dixerat, decuisse impleri in Christi persona, propter coniunctionem ipsius cum membris. Et interea docet singulare hoc esse specimen divinae bonitatis, quod carnem nostram induit. Dicit ergo ex uno esse, hoc est, ex una natura (ut ego quidem interpretor) autorem sanctitatis, et nos qui sumus eius participes. Communiter intelligunt ex uno Adam: non nulli ad Deum referunt, neque absurde. Sed ego potius eandem naturam designari existimo, et unum intelligo in neutro genere: ac si diceret ex una massa nos esse compositos. Hoc vero ad augendam nostram fiduciam non parum valet, nos cum filio Dei tam areto necessitudinis vinculo cohaerere, ut sanctitatem, qua indigemus, reperire in natura nostra liceat. Neque enim tantum quatenus Deus est, nos sanctificat, sed humanae quoque naturae vis sanctificaudi inest: non quod eam habeat a se ipsa, sed quod solidam plenitudinem sanctitatis in eam effudit Deus, ut inde hauriamus omnes. Quod pertinet illa sententia: *Ego propter eos sanctifico me ipsum* (Iohan. 17, 19). Ergo si nos profani et immundi, non procul querendum est remedium quod nobis offertur in carne nostra. Si de unitate spirituali accipere quis malit, quae alia est piis cum filio Dei, quam sit hominibus vulgo inter se: non repugno. Libenter tamen sequor quod magis receptum est, ubi non est a ratione dissentaneum.

Non erubescit fratres ipsos vocare. Locus hic sumptus est ex Psalmo 22, 23. Christum autem illie, vel Davidem in Christi persona loquentem iudici, testes primum sunt evangelistae, qui plures versus inde citant: nempe, partiti sunt sibi vestimenta. Item, Dederunt in escam meam fel. Item, Deus meus, Deus meus utquid me dereliquisti? deinde res ipsa idem ostendit. Nam in historia passionis cernere licet vivam rerum omnium, quae illie narrantur, effigiem. Et psalmi clausula quae est de vocatione gentium, nonnisi uni Christo appetari potest: Convertentur ad Dominum universi fines terrae: adorabunt coram eo cunctae familiae gentium. Domini est regnum, et ipse dominabitur gentibus. Horum omnium veritas in solo Christo exstat, qui non exiguis spatiis (ut David) ampliavit regnum Dei, sed extendit per totum mundum:

quum ante certis finibus quasi conclusum foret. Quare non dubium quin haec quoque sit vox ipsius quae hec loco adducta est. Proprie autem et significanter dicit eum non erubescere. Quantum enim inter nos et ipsum interest? Multum ergo se demittit, quum nos dignatur fratrum nomine: alias indigni sumus quos infra servos habeat. Atque hanc tantam eius erga nos dignationem amplificat circumstantia: loquitur enim Christus non amplius mortal is homo in specie servi, sed induitus immortal i gloria post resurrectionem. Itaque perinde valet hic titulus ac si nos secum in coelum echeret. Et nos quies audimus fratres nos a Christo vocari, meminerimus eum hac (ut ita dicam) qualitate vestire, ut simul cum fraterno nomine beatam vitam et quidquid est coelestium bonorum, apprehendamus. Praeterea netandum est quas sibi partes sumat Christus: hoc est, praedicandi nominis Dei. Quod fieri coepit est promulgato evangelio, et fit quotidie ministerio pastorum. Unde colligimus, in hunc finem offerri nobis evangelium, ut in Dei notitiam nos adducat, quo bonitas eius inter nos celebretur. Deinde Christum esse evangelii autorem, utcunque offeratur per homines. Atque hoc est quod dicit Paulus (2. Corin. 5, 20), se et alios pro Christo legatione fungi, et tanquam Christi nomine exhortari. Quod non parum addere debet reverentiae evangelio: si quidem non tam homines ipsos loqui reputandum est, quam Christum ipsorum ore. Nam quo tempore praedicaturum se hominibus Dei nomen premitit, desit versari in mundo: neque tamen frustra hoc sibi officium vendicat. Ergo vere hec per discipulos suos praestitit.

12. *In medio ecclesiae.* Hinc melius etiamnum patet, semper in evangelii doctrina contineri laudum Dei praecconium: quia simulatque innotescit nobis Deus personant in cordibus et auribus nostris infinitae eius laudes. Ac interea suo exemplo nos hortatur Christus ad eas publice canendas, ita ut a quamplurimis exaudiantur. Neque enim satis fuerit, unumquemque apnd se Deo esse gratum pro acceptis beneficiis, nisi gratitudinis nostrae testimonium palam edentes, mutuo alii alios invitamus ad idem agendum. Atque haec doctrina acerrimi stimuli vice nobis est, quo ferventiore studio feramur ad laudandum Deum, quum audimus Christum nobis praecinere, et primum esse hymnorum modulatorem.

13. *Ero fidens in ipso.* Quando haec sententia habetur Psalmo 18, 3, credibile est inde hue fuisse adductam. Praeterquam enim quod Paulus ad Rom. capite 15, 9, alium versum de gentium vocatione regno Christi accommodat, ipsa argumenti series satis demonstrat Davidem sub aliena persona illic loqui. Si quidem tantae amplitudinis quae illic magnifice praedicatur, vix tenuis umbra in Davide appa-

ret. Glieriatur se caput fuisse constitutum gentibus, et quidem alienos et incognitos ulti ad solam nominis famam in deditonem venisse David paucas gentes sibi vicinas et notissimas vi armorum subegit ac tributarias reddidit. Sed quid hoc aliorum multorum regum amplitudinem? Deinde ubi voluntaria subiectio? ubi populi tam remoti ut eos non cognosceret? Ubi denique selenne gratiae Dei praecconium inter gentes, cuius mentionem facit Psalmi clausula? Christus ergo est qui populis diversis in caput praeficitur, cui se alienigenae subiicint ab ultimis usque terrae finibus, et quidem solo auditu exciti: quia non armis cognuntur ad suscipiendum ingum, sed doctrina subacti in spontaneum obsequium se offerunt. Perspicitur etiam in ecclesia simulata illa et mendax obediendi professio quae ibidem notatur, quia multi quotidie dant nomen Christi non ex corde. Si igitur extra controversiam, Psalmum apte de Christo exponi. Sed quid hoc ad praesentem causam? Neque enim videtur sequi, nos et Christum ex uno esse, ut maxime ipso in Deum fidat. Respondeo, valere argumentum: quia nisi homo esse necessitatibus humanis obnoxius, nequaquam opus haberet tali fiducia. Ergo quum ab auxilio Dei pendeat, communis illi nobiscum est conditio. Non frustra certe aut de nibilo in Deo fidimus: sed quia destituti eius gratia, miseri et perditi essemus. Fiducia ergo, quam reponimus in Deo, nostrae inopiae testimonium est. Quamquam in hoc differimus a Christo, qued iufirmitatem, quae necessitate nobis est imposta, sponte ipse subiit. Porro non leviter hoc animare nos debet ad fidendum Deo, quod Christum habemus ducem et magistrum. Quis enim vereatur eius vestigia sequendo ne erret? Periculum, inquam, non est ne fides nostra sit irrita quam habemus cum Christo communem, quem scimus non posse falli.

Ecce ego et pueri. Certum est quidem Iessaiam (Iesa. 8, 18) de se loqui. Nam quum ipse spem liberationis daret populo, et promissio nullam inventret fidem: ne tam obstinata vulgi incredulitate fractus deficiat, iubet Dominus illum obsigquare inter paucos fideles doctrinam quam annuntiat: ac si diceret: Etiam si a multitudine respuatur, fore tamen aliquis quamvis paucos, qui recipient. Hoc responso fretus Iessaias animum colligit: seque et discipulos, qui sibi dati sunt, testatur fore semper promptos ad sequendum Deum. Nunc videndum cur sententiam hanc apostolus ad Christum trahat. Primum, quod ibidem legitur, Dominum fore in petram scandali et lapidem offensionis regno Israel et Iuda, in Christo impletum esse nemo sanus negat. Et sane sicuti restitutio ab exilio babylonico praeludium quoddam fuit praeccipuae redemptions quae nobis simul et patribus, Christi manu, fuit

comparata: ita etiam quod tam pauci ex Iudaeis illo Dei beneficio usi sunt, ut pauxillae tantum reliquiae salvae fuerint, praesagium fuit exaeccationis futurae: qua factum est ut Christum reiicientes, ipsi vicissim a Deo reieci perirent. Observandum est enim, quae de instaurazione ecclesiae apud prophetas exstant promissiones, a tempore quo reducti sunt ab exilio Iudaei ad regnum usque Christi pertinere. Quemadmodum hunc reduceendi populi finem habuit Dominus, ut staret ecclesia ad filii sui adventum, per quem vere demum constitueretur. Quum ita sit, non solum Iesaiam alloquitur Deus, quam iubet obsignare legem et testimonium: sed in eius persona omnes suos ministros, quibus futurum erat certamen cum populi incredulitate. Ideoque Christum in primis, quem maiore contumacia impetranti erant Iudaei quam superiores omnes prophetas. Et nunc videmus qui in locum Israelis subrogati sunt, non modo repudiare eius evangelium, sed furiose quoque in ipsum ruere. Verum uteunque evangelii doctrina ecclesiae domesticis lapis sit scandali: non vult tamen Deus ipsam intercedere, quin potius obsignari iubet inter discipulos, et Christus doctorum omnium nomine tanquam eorum caput, imo unicus doctor qui eorum ministerio nos regit: prouuntiat, in tam deplorata mundi ingratitudine semper tamen fore aliquos qui se Deo obsequentes reddant. En quomodo locus Iesaiac Christo recte aptetur. Hinc colligit apostolus nos cum eo unum esse, quia se nobis aggregat, dum se et nos pariter offert Deo patri. Unum enim corpus efficiunt qui sub eadem fidei regula Deo obsequuntur. Quid aptius ad fidei commendationem dici possit quam in ea nos esse filio Dei comites, qui suo exemplo nos hortatur ac viam praemonstrat? Ergo si verbum Dei sequamur, certo scimus nos habere Christum ducem: quemadmodum nihil ad Christum pertinent qui a verbi obedientia deflectunt. Quid, obsecro, magis optabile quam ut consentiamus cum filio Dei? Hic autem consensus fidei constat. Ergo infidelitate ab eo dissidemus: quo nihil est magis detestabile. Nomen pueri, quod servum multis locis significat, hic pro discipulo capitur.

Quos dedit. Hic notatur prima obedientiae causa: nempe quod Deus sibi nos adoptavit. Nullos adducit Christus ad patrem, nisi ab ipso sibi datos. Hanc vero donationem ex aeterna electione pendere scimus: quia quos pater destinavit ad vitam, eos in custodiā filio suo tradit ut ipsos tueatur. Hoc est quod dicit apud Iohannem (6, 37), Quidquid dedit mihi pater, ad me veniet. Quod ergo nos Deo subiiciimus in obsequium fidei, discamus hoc totum eius misericordiae acceptum ferre: quia nunquam aliter ad eum adduceremur Christi manu. Praeterterea raram fiduciae materiam suppedit haec doctrina. Quis enim sub fide tutelaque Christi trepidet?

Quis tali custode fretus secure pericula omnia non contennat? Et sane quum dicit Christus: Ecce ego et pueri: implet re ipsa quod alibi (10, 28) promittit, se non passurum ut quisquam ex iis, quos a patre accepit, pereat. Postremo hinc notandum est, etiamsi mundus furiosa contumacia respuat evangelium, oves tamen semper agnitas vocem Pastoris. Quaro ne ordinum fere omnium et aetatum et gentium impietas nos conturbet, modo suos colligat Christus, qui eius fidei commissi sunt. Si renunt in mortem sua impietate reprobi, eradicantur hoc modo plantae, quas Deus non plantavit. Interea sciamus suos illi notos esse, et obsignatam apud eum omnium salutem, ne quis excidat. Hoc sigillo contenti simus.

14. *Quando igitur pueri carni et sanguini communicant, ipse quoque similiter eorum fuit particeps, ut per mortem aboleret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum:* 15. *et redimeret quiunque metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

14. *Quando igitur pueri.* Conclusio est superiorum, et simul plenior causae redditio quam prius breviter attigerat, cur oportuerit filium Dei carnem nostram induere: nempe ut eadem nobiscum participaret natura, et mortem subeundo nos ab ea redimeret. Locus hic observatu dignus est: quia non tantum veritatem humanae in Christo naturae asserit, sed quia fructum quoque ostendit qui inde ad nos emanat. Factus, inquit, homo est filius Dei ut conditionis eiusdem ac naturae nobiscum esset particeps. Quid ad fidei nostrae confirmationem aptius dici poterat? Inaestimabilis enim erga nos eius amor hic apparet. Sed cumulus exstat in eo, quod naturam nostram induit ut moriendi conditioni se subiiceret: mortem enim subire Deus non poterat. Quamquam autem breviter fructum mortis attingit, est tamen in hac verborum brevitate viva in primis et efficax rei expressio: nempe quod nos a diaboli tyrannie ita asseruerit, ut iam simus ab eo securi: et ita a morte redemerit, ne amplius nobis sit timenda. Caeterum quia pondus habent singulæ particulae, diligentius paulo executiendas sunt. Primum, ista diaboli abolitio, de qua loquitur, hue pertinet, ne quid in nos possit. Tametsi enim viget adhuc diabolus, et nobis assidue exitium molitur: tamen extinctae vel retusae sunt eius vires ad nocendum. Haec ingens est consolatio, quod scimus, cum eo nobis hoste esse negotium qui nihil in nos potest. Nam id dictum esse respectu nostri, colligere licet ex proximo membro, aboleret eum qui habebat mortis imperium. Significat enim apostolus abolitum esse diabolum quatenus in nostrum exitium regnabat. Nam ab effectu sic vo-

catur, eo quod nobis sit exitiale et mortiferum. Non ergo tantum abrogatam morte Christi fuisse docet Satanae tyrannidem, sed ipsum quoque ita prostratum ut pro nihilo habendus sit ac si nullus foret. De diabolo in singulari numero loquitur, usitato scripturae more: non quia unus tantum sit, sed quia omnes simul corpus unum efficiunt quod sine capite non potest cogitari.

15. *Quicunque metu mortis.* Hic locus optime exprimit quam misera sit eorum vita qui mortem horrent: ut necesse est omnibus sentiri horribilem, qui eam extra Christum considerant: nam tunc in ea nihil appetit nisi maledictio. Unde enim mors nisi ex ira Dei adversus peccatum? Hinc ista servitus per totam vitam: hoc est, perpetua anxietas qua constringuntur infelices animae. Nam semper ex peccati conscientia Dei iudicium obversatur. Ab hoc metu nos Christus liberavit, qui maledictionem nostram subeundo sustulit quod in morte formidabile erat. Tametsi enim nunc quoque morte defungimur, vivendo tamen et moriendo tranquilli sumus et securi, ubi Christum habemus nobis praecountem. Quod si quis animum pacare non potest mortis contemptu, is sciat parum se adhuc profecisse in Christi fide. Nam ut nimia trepidatio ex ignorantia gratiae Christi nascitur: ita certum est infidelitatis signum. *Mors* hic non separationem modo animae a corpore significat, sed poenam quae ab irato Deo nobis infligitur: ut aeternum exitium comprehendent. Ubi enim coram Deo reatus, protinus etiam inferi se ostendunt.

16. *Nusquam enim angelos assumit: sed semen Abrahae assumit.* 17. *Unde fratribus debuit per omnia esse similis, ut misericors esset et fidelis pontifex in iis quae sunt erga Deum, ut peccata expiat populi.* 18. *Ex quo enim ipsi contigit tentari, potest et iis, qui tentantur, succurrere.*

16. *Nusquam enim angelos.* Hac comparatione amplificat beneficium ac honorem, quo nos dignatus est Christus carnem nostram induendo: quia nunquam angelis tantum praestitit. Quo igitur magis necessarium erat singulare remedium tam horrendae hominis ruinae, voluit exstare filius Dei incomparabile quoddam amoris erga nos sui pignus quod non angelis quidem esset commune. Quod ergo nos angelis praetulit, non factum est excellentiae nostrae, sed miseriae respectu. Quare non est quod nos esse angelis superiores gloriemur: nisi quia ampliore misericordia, qua indigebamus, nos prosequutus est coelestis pater, ut tantam bonitatem in terras effusam angeli ipsi ex alto suspicerent. *Praesens verbi tempus ad scripturae testimonia refero, ac si ante oculos statueret quod ante a prophetis testatum fuerat.* Caeterum hic locus unus

ad prosternendum Marcionem, Manichaeum et eiusmodi deliros homines, qui Christum negant verum hominem ex semine humano procreat, abunde sufficit. Si enim hominis figuram gestavat duntaxat: prius etiam sub angeli specie saepius apparuit itaque nullum esset discrimen. Sed quia dici non potest, vere unquam angelum fuisse Christum, angelica natura vestitum: ideo dicitur hominom potius assumpsisse quam angelos. Loquitur autem apostolus de natura: ac significat Christum carne induitum, verum fuisse hominem: ut in duabus naturis sit personae unitas. Neque enim hic locus Nestorio suffragatur qui duplarem fingebat Christum, ac si filius Dei non verus fuisse homo, sed tantum in hominis carne habitasset. Videmus longe aliud fuisse consilium apostoli: docere enim vult in persona filii Dei nos fratrem, propter societatem communis naturae invenire. Quare hominem vocare non contentus, dicit ex humano semiue progenitum. Nominatim exprimit semen Abrahae, quo plus fidei habeat quod dicit, quia ex scriptura sumptum.

17. *Unde fratribus.* In humana Christi natura duo consideranda sunt, essentia carnis et affectus. Quare apostolus docet, non carnem modo hominis ipsum induisse, sed affectus quoque omnes qui sunt hominum proprii. Fructum quoquo inde manantem ostendit. Quae vera est fidei doctrina, dum in nobis sentimus cur nostras infirmitates suscepit filius Dei. Friget enim sine hoc fructu omnis scientia. Porro obnoxium fuisse Christum docet passionibus humanis, ut misericors esset ac fidelis pontifex. Quae verba sic interpretor: ut misericors esset, ideoque fidelis. Nam in sacerdote, cuius partes sunt iram Dei placare, opitulari miseri, origere lapsos, sublevare laborantes: misericordia in primis requiritur, quam in nobis generat communis sensus. Rarum enim est ut tangantur aliorum aerumnis qui perpetuo beati fuerunt. Certe hoc Virgiliandum ex quotidiana hominum consuetudine sumptum est:

Non ignara mali, miseris succurrere disco.¹⁾

Non quod experimentis necesse habuerit filius Dei formari ad misericordiae affectum: sed quia non aliter persuaderi nobis posset, ipsum esse clementem et propensum ad nos iuvandos, nisi exercitatus fuisse in nostris miseriis. Hoc enim ut alia, nobis datum est. Itaque quoties nos urgent quaevis malorum genera, mox succurrat, nihil nobis accidere quod non in se expertus sit filius Dei, ut nobis condoleat: nec dubitemus ipsum nobis perinde adesse ac si nobiscum angeretur. Fidelis, verum et legitimum significat. Ficto enim, aut partes suas non implenti opponitur. Experiencia nostrarum miseriuarum ita ad compassionem

¹⁾ Aen. 1. 630.

Christum fleetit, ut do imploranda nobis Dei ope sit sollicitus. Quid praeterea? Peccatorum expiationem facturus, naturam nostram induit, ut reconciliationis pretium haberemus in carne nostra: denique ut communis naturae iure nos secum in Dei sanctuarium introduceret. Tà πρὸς τὸν θεόν intelligit quao hue spectant ut conciliet homines Deo. Quia autem primus ad Dicūm accessus est fidei libertas, mediatore opus est qui omnem dubitationem eximat.

18. *Ex quo ipsi contigit.* Exercitatus, inquit, malis nostris, propensus est ad opem ferendam. Nam hic tentatio, nihil aliud quam experimentum vel probationem significat: et posse pro Idoneum esse, vel proelivem, vel accommodatum.

CAPUT III.

1. *Unde fratres sancti, vocationis coelestis participes, considerate apostolum et sacerdotem confessionis nostraræ, Christum Iesum,* 2. *qui fidelis est ei qui constituit ipsum: quemadmodum et Moses in tota domo eius.* 3. *Maiores quippe gloria hic dignus habitus est quam Moses, quanto maiorem habet honorem architectus domus quam ipsa.* 4. *Omnis enim dominus construit ab aliquo. qui autem omnia construxit, Deus est.* 5. *Et Moses quidem fidelis in tota domo eius tanquam minister, in testimonium eorum quae post dieenda erant.* 6. *Christus autem tanquam filius supra domum ipsius: cuius nos domus sumus, si fiduciam et gloriationem spei ad finem usque firmam tenuerimus.*

1. *Unde fratres sancti.* Claudit superiorem doctrinam utili exhortatione, ut attente agnoscant Iudei qualis et quantus sit Christus. Quia enim prius eum doctorem et pontificem nominando, breviter contulit eum Mose et Aarone, nunc utrumque membrum complectitur. Duobus enim elogiis ipsum ornat, sicuti duplē sustinet personam in ecclesia Dei. Moses prophetæ et doctoris officio, Aaron sacerdotio funetus est. At Christo utrumque munus est impositum. Proinde si volumus eum rite suscipere, considerare oportet qualis sit: sua inquam virtute induendus est ne pro ipso inanem eius umbram apprehendamus. Princípio verbum considerandi pondus habet: significat enim singularem attentionem requiri, quia impune contemni nequeat: et simul veram Christi notitiam discutiendis omnium errorum tenebris sufficere. Quo autem magis eos animet ad hoc studium, admonet suac ipsorum vocationis. Ac si diceret: Deus non vulgari gratia vos dignatus est, quum in regnum suum vocavit. Nunc restat ut in Christum tanquam viæ ducem coniectos habeatis oculos. Neque enim aliter rata

esse potest piorum vocatio, quam si totos se ad Christum convertant. Ideo non debemus existimare hoc Iudacis solis dici: sed generalem proponi omnibus doctrinam qui in regnum Dei pervenire cupiunt, ut sedulo attendant ad Christum: quia et unicus fidei nostrae magister est, et eam sacrificio suo sancivit. Confessio enim pro fide hic capit. Ac si diceret: fidem, quam profitemur, vanam et nihil esse nisi in Christum referatur.

2. *Qui fidelis est.* Commendatio est apostolatus Christi, ut tuto acquiescant in eo fideles. Ac duplice quidem nomine eum commendat: quod pater cum nobis doctorem praefecerit: et Christus ipse in iunctum sibi munus fideliter exsequutus sit. Duo haec semper necessaria sunt ad comparandam doctrinæ autoritatem. Deus enim solus audiendus est, ut tota scriptura clamat. Ideo testatur Christus (Iohan. 7, 16), non suam esse doctrinam quam profert, sed patris. Et alibi (Luc. 9, 48): Qui me recipit, cum recipit qui misit me. Loquimur enim de Christo, quatenus carne nostra induitus patris minister est ad perferenda eius mandata. Ad Dei vocationem accedit fidelis sinceraque in Christo administratio, quae in veris ministris requiritur, ut fidem in ecclesia obtineant. Quod si utrumque in Christo invenitur, contemni certe non potest quin Deus in ipso spernatur.

Quemadmodum Moses. Omissa paulisper sacerdotii mentio, de apostolatu hic disserit. Nam quum duae sint partes foederis Dei, promulgatio doctrinae, et realis (ut ita loquar) confirmatio: non aliter constaret solida foederis perfectio in Christo nisi utrumque ius in eum competeteret. Postquam ergo utriusque meminit scriptor epistolae, tandem quoque brevi exhortatione attentionem excitavit. Nunc vero longiorem tractationem ingreditur. Et a doctoris quidem officio incipit: ideo cum Mose tantum nunc Christum comparat. Quod autem dicit, in tota domo, ad Mosen posset referri. Ego tamen ad Christum malo: ut dicatur fidelis patri in tota domo administranda. Unde sequitur, nullos ex ecclesia Dei esse nisi qui Christum agnoscunt.

3. *Maiores quippe.* Ne videatur parem facere Christum Mosi, admonet quanto sit excellentior. Idque duobus argumentis probat: quia Moses sic praeceps ecclesiae, ut tamen pars eius ac membrum esset: Christus vero architectus est toto aedificio superior. Ille alios regendo, simul regebatur, quia servus: hic autem, quia filius est, principatum obtinet. Frequens est et scripturæ familiaris metaphora, ut vocetur ecclesia domus Dei. Quia autem ex fidelibus componitur, ideo singuli nominantur vivi lapides: interdum etiam vasa quibus instruitur domus. Nemo ergo unus sic eminet quin membrum sit, et sub corpore universo contingatur. Solus Deus architectus supra opus suum collocandus est.

Porro Deus in Christo habitat: ut in eum competitat quidquid de Deo praedicatur. Si quis obiciat, Christum quoque esse partem aedificii, quia fundamentum est, quia frater noster, quia societatem nobiscum habet: deinde non esse architectum, quia et ipse a Deo formatus sit: prompta est solutio, fidem nostram ita in eo fundatam esse, ut nihilominus nobis praesideat: sic esse fratrem nostrum, ut sit interea et dominus: sic formatum esse a Deo quatenus homo est, ut spiritu suo vivificet tamen omnia et instauret quatenus aeternus est Deus. Variis translationibus utitur scriptura ad exprimendam erga nos Christi gratiam: sed nulla est quae deroget ipsius honori, de quo nunc disserit apostolus. Hic enim status est, ideo cogendos esse omnes in ordinem, quia subesse debent capiti: solum Christum eximi hac conditione, quia caput est. Si rursus obiciatur, Mosen non minus fuisse architectum quam Paulum qui hoc titulo gloriatur: respondeo, transferri ad prophetas et doctores hoc nomen, sed improprie: quum sint duntaxat organa et quidem mortua, nisi Dominus e coelo efficaciam insipiret: deinde sic eos laborare in exstruenda ecclesia, ut ipsi quoque ad aedificium accedant: at Christi diversam esse rationem. Ipsum enim propria spiritus sui virtute semper aedificasse ecclesiam: praeterea eum extitisse supra communem sortem: quoniam ita erat verum Dei templum, ut simul Deus esset inhabitans.

4. *Qui autem omnia construxit.* Quamquam ad totius mundi creationem extendi possunt haec verba, tamen ad praesentem causam restringo. Ut intelligamus nihil fieri in ecclesia quod non Dei virtuti acceptum ferri debeat. Is enim est solus qui manu sua fundavit eam, Psalmo 87, 5. Et de Christo Paulus dicit (Ephes. 4, 15), eum esse caput ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministracionis, secundum effectum in mensura cuiusque membrae augmentum sumit. Quare et ministerii sui successum illius esse opus saepc praedicat. Denique si vere reputemus, utcunq; hominum opera utatur in ecclesiae aedificationem, solus tamen ipse peragit omnia: nam instrumentum opifici nihil derogat.

5. *Moses fidelis ut minister.* Secundum disserimen, quod Mosi commissa fuit doctrina, cui ipse quoque una cum aliis subbesset. Christus vero tametsi personam servi induit, magister tamen est ac dominus cui subesse omnes oportet. Constitutus est omnium haeres, ut habuimus capite 1, 2. In testimonium eorum quae post dicenda erant, simpliciter interpretor, ut Moses dum est eius doctrinae praeco, quae pro temporis ratione veteri populo erat publicanda:¹⁾ simul testimonium

evangelio, cuius nondum matura prædicatio erat, reddidit. Nam certe constat, finem et complementum legis esse hanc perfectionem sapientiae quao evangelio continetur. Atque hanc expositionem exigere videtur futurum participii tempus. Summa vero est,¹⁾ Mosen scilicet fideliter populo tradidisse quae illi Dominus mandaverat: sed mensuram illi præscriptam fuisse, quam excedere fas non fuerit. Multifariam multisque modis loquuntur est olim Deus per prophetas: ita ut differret in tempus plenitudinis solidam evangelii revelationem.

6. *Cuius nos sumus domus.* Quemadmodum Paulus ubi se gentibus destinatum esse apostolum præfatus est (Rom. 1, 6), addit ex earum numero esse Romanos quibus scribit, ut fidem sibi apud eos conciliet: ita nunc autor epistolæ Iudeos hortatur, qui iam Christo nomen dederant, ut perseverent in fide, quo in Dei familia censeantur. Dixerat prius Christi imperio domum Dei subiectam esse. Huic sententiae commodum additur haec admonitio, tunc eos in Dei familia locum habituros si Christo pareant. Porro quum iam coepissent evangelium amplecti, conditionem apponit, Si in cius fide perstiterint. Nam speci vocabulum, pro fide accipio: et profecto spes alioqui nihil aliud est quam fidei constantia. Fiduciam et gloriationem ponit, ad vim eius magis exprimendam. Atque hinc colligimus, eos, qui trepide et vacillantium instar assentiuntur Evangelio, nihil minus quam credere. Fides enim sine composita animi tranquillitate esse non potest, unde secura gloriandi audacia emergit. Adeoque isti sunt duo perpetui fidei effectus, fiducia et gloriatio, ut diximus in quintum caput ad Romanos et tertium ad Ephesios. Quibus quum tota Papistarum doctrina sit adversa, hoc ipso etiamsi nihil aliud haberet mal, Dei ecclesiam diruit potius quam aedificat. Certitudinem enim, qua sola nos in templo Deo consecrari docet apostolus, non obscurant modo suis commentis, sed palam temeritatis damnant. Practerea qualis confidentiae firmitudo esse potest, ubi ignorant homines quid credendum sit? Atqui monstrum illud fidei implicitae quod comminiscuntur, nihil aliud est quam errandi licentia. Hic locus admonet semper ad mortem usque esse progrediendum: quia tota vita quidam est veluti cursus.

7. *Quare (sicut dicit spiritus sanctus: Hodie si vocem ciuius audieritis, 8. ne obduretis corda vestra, sicut in exacerbatione in die tentationis in deserto, 9. ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea 10. quadraginta annis. Quamobrem infensus fui generationi illi, et dixi, Semper errant corde. Ipsi vero non cognoverunt vias meas:*

¹⁾ Alii trahunt ad evangelium. Et fateor quidem

¹⁾ Sed aliud voluit apostolus,

11. sicut iurari in ira mea, Si ingressuri sint in quietem meam). 12. Videte fratres, ne quando sit in ullo vestrum cor pravum incredulitatis, defieiendo a Deo vivente: 13. sed exhortamini vos ipsos quotidie, quandiu vocatur dies hodiernus: ne quis ex vobis induretur deceptione peccati.

Pergit in sua exhortatione, ut Christo loquenti obdiant. Ae quo plus gravitatis habeat, confirmat eam Davidis testimonio. Nam quum acrius pungendi essent, melius fuit vitaudae offendiculis causa opponere alienam personam. Si simpliciter illis exprobrassem patrum incredulitatem, minus benigne fuisset auditus. At quum Davidem adducet, res minus est odiosa. Summa autem est: Sicut ab initio Deus voci suae obediri voluit, pervicaciam autem ferre non petnit quin severe uelisceretur: ita hodie nisi dociles nos illi praebeamus, non leviores de nostra contumacia poenas sumpturum. Caeterum suspensa est oratio usque ad illam partem ubi dicit, Vide fratres, ne quando sit in ullo, etc. Ideo ut melius contextus fluat, reliqua in parenthesin includere conveniet. Nunc singula ordine tractemus.

7. *Sicut dicit spiritus.* Hec longe plus afficiens animis valet, quam si Davidem nomine citaret. Et his loquutionibus utile est assuescere, ut meminerimus, Dei, non hominum esse voces quae ex prophetarum libris proferuntur. Porro quia haec sententia: Hodie si vocem eius audieritis, pars est superioris versus, quidam non male vertunt, utinam. Certum quidem est, quum David Iudeos appellasset Dei populum et oves, inde statim inferre, audiendam ergo ab illis esse Dei vocem. Illie enim quos ad canendas Deo laudes bonitatemque eius celebrandam invitat, simul admonet obedientiam praecipuum esse cultum quem exigit, et sacrificiis omnibus potiorem. Hoc ergo primum est, ut se Dei verbo subiiciant. Sequitur deinde, Ne obduretis corda: quibus verbis indicatur non ex alio fonte manare nostram adversus Deum rebellionem, quam ex voluntaria improbitate, dum illius gratiae aditum obstruimus. Natura quidem iam cor habemus lapideum: estque omnibus ingenita haec durities ab utero, quam solus Deus emollire et corrigerem potest. Qued tamen respuimus Dei vocem, id fit spontanea contumacia, non extraneo impulsu. Cuius rei quisque sibi testis est. Proinde merito spiritus omnes incredulos accusat quod se Deo opponant, et pervicacie sibi magistri sint ac autores, ne forte culpam alio derivent. Inde tamen perperam colligitur, penes nos vicissim esse liberam formandi in Dei obsequium cordis facultatem. Quin potius id perpetuo accidere hominibus necesse est, ut cor suum obdurent, donec aliud e coelo datum fuerit. Nam ut sumus ad malitiam propensi, nunquam desinemus Deo resistere, donec eius manu domiti subactique fuerimus.

8. *Sicut in exacerbatione.* Duplici ratione utile fuit eos de patrum suorum inobedientia commonefieri. Nam quum stulte generis sui gloria inflati essent, patrum vitia saepe imitabantur pro virtutibus, et ab eorum exemplis defensionem captabant. Deinde quum audiebant patres Deo fuisse tam immerigeros, melius inde agnoscabant quam non supervacua foret ista admonitio. Quoniam tempore quoque apostoli utraque ratio valebat, libenter accommodat quod olim dictum erat a Davide in suum usum: ne patribus nimium addicti sint isti quoque quos alloquitur. Atque hinc colligenda est generalis doctrina, quousque patrum autoritate deferendum sit, ne scilicet nos ab uno Deo abducatur. Nam si qui unquam patres fuerunt honore digni, Iudei certe inter alios principatum obtinent. Atqui nominatim filii praecipit David cavendum esse ne sint illorum similes. Non dubium autem mihi est quin hic ad historiam respiciat, quae legitur Exod. cap. 17. Nam duobus hic nominibus ntitur David, quae loco fuisse ex re imposita, narrat Moses. מִרְבָּה, quod iurgium aut exacerbationem significat: מִרְבָּה, quod perinde valet ac tentatio. Nam et Deum tentarunt, illum negantes in medio sui esse, propterea quod aquae penuria laborabant: et eundem exacerbarunt, cum Mose rixando. Porro quum plurima suae incredulitatis exempla edidissent, hoc praecipue eligit David, quia prae aliis memorabile erat. Deinde quoniam reliqua, magna saltem ex parte, temporis ordine subsequutum est, quemadmodum ex quarto libro Mosis melius constat: ubi perpetua multarum tentationum species contexitur a capite deciui, haec autem habentur vicesimo. Quae circumstantia non parum sceleris indignitatem auget. Nam quod toties experti Dei virtutem, adhuc tam proterve cum eo disceptant, et omnem illi fidem derogant, quantae est ingratitudinis? Ergo speciem unam posuit pro omnibus. Tentandi verbum in malam partem capit, pro eo quod est superbe et quasi per contumeliam provocare: quod gallice dicimus, defier comme en despitant. Nam quum saepius illis auxilium Deus tulisset, omnium immemores, per ludibrium quaerebant ubinam esset eius potentia.

9. *Probaverunt.* Ita resolvi debet hoc membrum: Quum tamen probassent et vidissent opera mea. Nam impietas crimen exaggerat, quod tot experimentis edocti tam male profecerant. Mira enim socordia fuit ac stupiditas, quod Dei virtutem tam solide comprobata nihil aestimabant. Quod sequitur de quadraginta annis, apud Davidem cum sequentibus cohaeret. Scimus autem apostolos in citandis testimoniis magis attendere ad summam rei, quam de verbis esse sollicitos. Et certe ideo populum hunc annis quadraginta molestum sibi fuisse Deus conqueritur, quod tot beneficia nihil ad eum erudiendum profecerint. Quum enim assidue

indignis benefaceret Deus, in eum insurgere non desinebant. Hinc continua indignatio. Ac si diceret: Non semel aut exiguo tempore me provocarent: sed assiduis per annos quadraginta sceleribus. Generatio aetatem sonat, vel unis saeculi homines.

10. *Et dixi.* Sententia Dei, qua eos pronuntiat sana mente alienatos esse: et rationem addit, Quia vias suas non cognoverint. In summa, pro desperatis ipsis habet, quia sensu et ratione careant. Atque hic personam hominis suscipit qui post longa demum experienta se agnoscere dicit obstinatam amentiam dicit enim eos semper errare, quia nulla spes resipiscentiae apparcat.

11. *Sicut iuravi.* Amentiae poena, quod promissa sibi requie fuerunt privati. Porro Dominus requiem suam appellat terram ubi illis deberat fixa esse sedes. Peregrinati enim erant in Aegypto, per desertum vagabantur. At terra Chanaan illis ex premissione perpetua esse haereditas debebat. Et promissionis respectu Deus suam vocat, quia nusquam stabilis est nobis sedes, nisi ubi sumus eius manu collocati. Ius autem certae possessionis in eo fundatum erat, quod Abrahae dixerat Deus: Semini tuo dabo terram hanc. Quod Deus iurat, eo clarius et vehementius exprimitur atrocitas mali. Est enim signum irae magis inflammatae.

Si ingressuri sint. Formula est iuramenti in qua aliquid subaudiendum est: ut imprecatio, vel aliquid simile quum homines loquuntur: ubi autem loquitur Deus ipse, perinde valet ac si diceret: Ne existimer verax, aut nulla posthac fides habeatur mihi, nisi ita sit. Defectiva tamen loquutio timorem et reverentiam commendat: ne temere prosiliamus ad iurandum, quemadmodum multi horrendas execrationes subinde effutire solent. Sed quod ad praesentem locum attinet, non debemus existimare, tunc primum Dei iureiurando fuisse deiectos a terrae ingressu quum eum tentassent in Raphidim, iam multo ante exclusi fuerant: ex quo scilicet auditis exploratoribus ultra progredi detrectaverant. Non ergo assignat hic Deus temptationi, tanquam primae causae, depulsionem a terra: sed nulla castigatione ad sanam mentem revocari potuisse significat, quin priores offensas novis subinde cumularent. Atque ita dignissimes fuisse ostendit quos tam severe mulcetaret, quia non cessaverint iram eius variis peccatis magis ac augere: ac si diceret: Haec est generatio cui negavi missae terrae possessionem, quae per totes postea quadraginta annos innumeris peccatis obstinatam suam amentiam prodidit.

12. *Videte fratres ne quando.¹⁾* Retinere malum quod ad verbum posuit apostolus, quam periphrasin accersere, nempe cor pravum incredulitatis: quo significat coniunctam cum pravitate et malitia

fore incredulitatem, si percepto Christi gustu ab eius fide discedant. Eos enim allequitur qui imbuti erant Christianismi rudimentis. Ideo mox subiicit, deficiendo: nam defectionis crimen perfidia non caret. Remedium quoque hoc esse ostendit ne labantur in hanc pravitatem: ut scilicet exhortentur se mutuo. Nam ut natura sumus ad malum propclives, opus habemus variis adminiculis quae nos in Dei timore retineant. Nisi subinde erigatur fides nostra, iacet: nisi calefiat, congelascit: nisi excitetur, torpet. Vult ergo ut se mutuis hortationibus acuant, ne in eorum corda obrepat Satan, et suis fallaciis a Deo abducat. Quae ratio loquendi notanda est. Neque enim primo statim impetu ruimus in hunc furorem ut Deo reluctemur: sed obliquis artibus sensim nos adoritur Satan, donec irretitos suis imposturis teneat. Tum vero excaecati, in manifestam rebellionem erumpimus. Ergo mature occurrentum est. Et omnibus imminet periculum: quia nihil facilius est quam decipi. Atqui ex deceptione demum nascitur cordis durities. Hinc videmus quam necessarium nobis sit assiduis exhortationum stimulis incitari. Nec tantum in universum praecipit apostolus ut sibi omnes caveant: sed vult ita de salute cuiusque membris esse sollicitos, ne quem omnino ex iis, qui semel vocati fuerint, sua negligentia perire siuant. Atque in eo boni pastoris officium facit, qui ita excubare pro totius gregis salute debet ut nullam ovem negligat.

13. *Quamdiu vocatur.* Iam proprius ad suum institutum sententiam Davidis accommodat. Nam illud hodie cuius mentio fit in psalmo, admonet non debere ad sacculum Davidis restringi: sed complecti totum tempus quo nos Deus compellat. Ergo quoties et quamdiu sacrum os aperit ad nos docendos, veniat istud in mentem, hodie si vocem eius audieritis. Eadem ratione Paulus, quum nobis praedicatur evangelium, tempus esse illud acceptum docet quo nos Deus exaudit, et diem salutis quo adiuvat. Porro hac opportunitate utendum est: quia si per nostram socordiam elabi passi fuerimus, frustra postea deplorabimus ablatam. Quemadmodum Christus dicit (Iohan. 12, 35), Ambulate dum lucem habetis: veniet brevi nox. Ergo particula quamdiu, subindicat non semper fore commodum si pigri fuerimus ad sequendum ubi Dominus nos vocabat. Pulsat nunc Deus ad ostium nostrum. Nisi illi aperiamus, fiet ut vicissim regni sui ianuam nobis claudat. Denique seri erunt eorum gemitus, qui oblatam hodie gratiam contemnunt. Ergo quia nescimus an Deus in crastinum usque pretendere vocationem suam velit, ne differamus. Hodie vocat, quamprimum respondeamus. Neque enim fides est nisi ubi talis est ad obsequendum promptitudo.

14. *Participes enim facti sumus Christi: si qui-*

¹⁾ Ad verbum est: cor pravum infidelitatis.

dem initium fiduciae ad finem usque firmum tenuerimus,
 15. in hoc quod dicitur: hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra, sicut in exacerbatione.
 16. Quidam enim quum audissent, exacerbarunt: at non omnes qui egressi fuerant ex Aegypto per Mosen.
 17. Quibus autem infensus fuit quadrangula annis? annon iis qui peccaverant, quorum membra ceciderunt in deserto? 18. Quibus autem iuravit, non ingressuros in quietem suam, nisi incredulis? 19. Et videmus non potuisse ingredi propter infidelitatem.

14. *Participes enim.* Laudat quod bene coepi-
 rint. Sed ne praetextu gratiae quam consequunti
 sunt, carnis indulgeant securitati, dicit opus esse
 perseverantia. Nam plerique delibato tantum evan-
 gelio, quasi ad summum pervenerint, de profectu
 non cogitant. Ita fit ut non modo in medio stadio,
 adeoque prope ipsos careeres desideant, sed alio
 vertant cursum suum. Speciosa quidem est ista
 obiectio, Quid ultra volumus postquam adepti sumus
 Christum? Verum si fide possidetur, in ea per-
 standum est ut nobis perpetua maneat possessio.
 Ergo hac lege se nobis fruendum dedit Christus,
 ut eadem qua in eius participationem admissi su-
 mus fide, tantum bonum conservemus usque ad
 mortem. Ideo dicit *initium*, significans fidem
 duntaxat esse inchoatam. Quum hypostasis fidu-
 ciā interdum significet, posset hie in eo sensu
 accipi. Non tamen displicet nomen substantiae
 quod alii reddiderunt. Quamquam paulo secus in-
 terpreter. Illi enim sic dici fidem putant, quia
 totum esse hominis absque ea, nihil aliud sit quam
 vanitas. Ego autem, quia in eam recumbamus:
 sicuti nulla est alia fulta in qua possimus stare.
 Et convenit epitheton firmi: stabiles enim et extra
 vacillandi periculum erimus, modo in fide simus
 fundati. Summa igitur est, ut fides cuius initia
 duntaxat nobis constant, usque in finem constans et
 firma progrediatur.

15. *In hoc quod dicitur.* Significat proficiendi
 occasionam quamdiu vivimus, nunquam cessare,
 quia nos quotidie Deus vocat. Nam quum evan-
 gelii praedicationi respondeat fides: sicuti continuus
 est praedicationis usus toto vitae cursu, ita in fidei
 incrementis pergendum est. ἐν τῷ λέγεσθαι: perinde
 valet ac si dixisset: Quandoquidem loquendi finem
 nunquam Deus facit, non satis fuerit prompto animo
 fuisse amplexos eius doctrinam, nisi eadem docili-
 tate eras et perendie illi nos obsequentes pra-
 beamus.

16. *Quidam enim quum audissent.* Ita loquitur
 David de patribus ac si tota illa aetas fuisse incredula.
 Atqui constat fuisse aliquos malis permistos
 qui Deum vere timerent. Hoc commemorat Apo-
 stolus temperans quod asperius fuerat dictum a
 Davide, ut sciamus in hunc finem omnibus pro-

poni verbum ut omnes obedient uno consensu: atque
 merito damnari incredulitatem in toto populo dum
 magna partis defectione lacerum est ac mutilum
 corpus. Caeterum quod dicit quosdam exacerb-
 basse, quum tamen longe maior haec fuerit multi-
 tudine: id facit nou tantum vitandae offensionis
 causa, sed ut Iudeos animet ad eorum imitationem
 qui crediderunt: ac si dicoret: Sicuti vos patrum
 incredulitatem sequi Deus vetat, ita patros alios
 vobis proponit iu medium quorum fides sit exem-
 plo. Ita mitigatione quod alioqui nimis durum in
 speciem videri poterat, si in totum iussi fuissent a
 patribus recedere. Egredi per Mosen, significat
 per manum Mosis: quia fuit minister liberationis.
 Est autem tacita comparatio eius beneficii, quod
 illis Deus contulerat per Mosen, et participationis
 Christi cuius prius meminit.

18. *Quibus autem infensus.* Significat nunquam
 iratum fuisse Deum populo suo, nisi iustis de cau-
 sis: quemadmodum et Paulus monet prioris ad Corinthis cap. 10, 5. 6. Ergo quot Dei animadver-
 siones leguntur in populum veterem, tot reperiemus
 gravissima peccata, quae Dei vindictam provocave-
 runt. Quamquam hue redeundum est semper, in-
 credulitatem malorum omnium esse caput. Nam
 quamvis hanc posterius recenseat, intelligit tamen
 primam fuisse maledictionis causam. Et certe ex
 quo semel fuerunt increduli, non destiterunt aliud
 ex alio peccare, et ita nova subinde flagella sibi
 accersere. Idem ergo illi, qui per diffidentiam
 respuerant oblatam sibi terrae possessionem, nunc
 concupiscendo, nunc murmurando, nunc scortando,
 nunc profanis superstitionibus se polluendo, contu-
 maciam suam prosequunt sunt, quo magis testata
 eset eorum pravitas. Illa igitur incredulitas, quam
 ab initio prodiderunt, illis obstitit quominus frue-
 rentur Dei beneficio: quia verbi contemptus eos ad
 peccandum semper incitavit. Ac sicut incredulitate
 primum sua meriti sunt ut requie promissa Deus
 eos privaret: ita quidquid postea peccarunt ex eodem
 fonte manavit. Porro quaeritur an Moses et Aaron,
 ac similes, in hoc numero comprehendantur. Res-
 pondeo, apostolum de universo magis corpore quam
 de singulis membris loqui. Certum est complures
 fuisse piis qui vel communi impietate non fuerunt
 implieiti, vel mox resipuerunt. Mosis quidem semel
 tantum concussa fuit fides, idque ad momentum.
 Quare in verbis apostoli est synecdoche, cuius satis
 frequens est usus quoties de aliqua multitudine aut
 corpore populi habetur sermo.

CAPUT IV.

1. *Timeamus ergo ne derelicta promissione in-
 troeundi in requiem eius, videatur quispiam nostrum*

esse frustratus. 2. Nobis enim annuntiata est promissio quemadmodum et illis, at illis nihil profuit sermo auditus, quia non fuit cum fide coniunctus in iis qui audierant.

1. *Timeamus ergo.* Concludit timendum esse ne preventur Iudaci, ad quos scribit, benedictione sibi oblata. Et iterum dicit, Ne quis, significans sibi hoc esse in animo ut omnes ad unum Deo adducat. Quemadmodum boni pastoris officium est, totum gregem curando ita intentum esse singulis ovibus, nequa omnino pereat: imo sic nos quoque alii erga alios vicissim affecti esse debemus, ut quisque proximis perinde ac sibi timeat. Caeterum hic nobis commendatur timor, non qui fidei certitudinem executiat, sed tantam incutiat sollicitudinem ne securi torpeamus. Metuendum ergo, non quia trepidare aut diffidere nos oporteat quasi incertos de exitu, sed ne Dei gratiae desimus. Quum dicit, ne destituamur reicta promissione, significat neminem destitui nisi qui gratiam respuendo, prior se a promissione abdicaverit. Adeo enim a poenitentia beneficiandi abest Deus, ut sua dona continenter prosequatur, nisi quum eius vocationem contemnimus. Illativa particula significat, aliorum lapsu nos ad humilitatem et vigilantiam erudiri. Quemadmodum et Paulus loquitur, Iсти per incredulitatem corruerunt: tu ergo noli superbire, sed time (Rom. 11, 20).

2. *Nobis enim.* Eandem esse doctrinam admonet, qua hodie nos ad se Deus invitat, et quam olim patribus destinavit. Quorsum hoc dicitur? ut sciamus nihilo plus nobis profuturam Dei vocationem quam illis profuit, nisi eam fide ratam faciamus. Est igitur hoc per modum concessionis additum, Nobis quidem evangelium proponi: sed ne frustra gloriemur, mox excipit incredulos quos tantorum bonorum participatione Deus olim dignatus est, nullum inde tamen fructum sensisse. Proinde nos quoque expertes fore benedictionis, nisi fide eam recipiamus. Ideo auditionem secundo repetit, ut sciamus auditum esse inutilem, etiamsi verbum ad nos dirigatur, nisi fides accedit. Caeterum hic observanda est relatio inter verbum et fidem, quae talis est ut fides a verbo separari nequeat: verbum autem a fide separatum nihil conferat. Non quod verbi efficacia a nobis pendeat. Neque enim si totus mundus sit mendax, ideo verax esse desinet qui mentiri non potest. Sed vim suam non aliter profert verbum erga nos, quam ubi fides aditum facit. Est enim potentia Dei in salutem, sed credentibus. In eo revelatur Dei iustitia, sed ex fide in fidem. Ita sit ut perpetuo sit efficax verbum Dei et salutare hominibus si ex se aestimetur ac sua natura, sed fructus non sentiatur nisi a credentibus. Quod ad prius membrum attinet, ubi dixi nullam

amplius esse fidem ubi deest verbum: et qui tale divertium facere conatur, fidem prorsus extinguere redigereque in nihilum: res est observatu digna. Nam hinc apparet fidem esse non posse nisi in filiis Dei, quibus solis offertur adoptionis promissio. Qualem enim fidem haberent diaboli, quibus nulla salus promittitur? Qualem etiam omnes impii qui verbum ignorant? Ergo fidem semper praecedere debet auditus: et quidem ut sciamus Deum loqui, non homines.

3. *Ingredimur enim in eius requiem postquam credidimus:* sicut dixit: *Itaque iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam: tametsi operibus a creatione mundi perfectis.* 4. *Dixit enim alicubi sic de die septimo: Et requievit Deus septimo die ab omnibus operibus suis.* 5. *Et in hoc rursum: Si introibunt in requiem meam.* 6. *Quando igitur reliquum fit ut quidam ingrediantur in ipsam, et quibus prius evangelizatum fuit, non intrarunt propter incredulitatem:* 7. *rursum quandam praefinit diem hodiernum in David dicens post tantum temporis (quemadmodum dictum est): hodie si vocem eius audieritis, ne obdulteris corda vestra.* 8. *Nam si Jesus requiem illis praestitisset, non de alia loqueretur post illos dies.* 9. *Ergo relinquitur sabbathismus populo Dei.* 10. *Nam qui ingreditur in requiem eius, requievit et ipse ab operibus propriis, quemadmodum a suis Deus.*

Iam locum illum, quem citaverat ex Davide, exornare incipit. Hactenus eum tractavit secundum literam, ut loquuntur: hoc est in genuino sensu: nunc autem expoliendo amplificat, ideoque alludit magis ad verba Davidis quam interpretetur. Eiusmodi ἐπεξεργασία est apud Paulum, ad Rom. capite 10, 6, in tractando Mosis testimonio, Ne dicas, Quis ascendet in coelum? Nec vero absurdum est, ut ad praesentem usum accommodetur scriptura, similitudinem (ut ita dicam) coloribus illustrare quod illuc simplicius dicitur. Porro summa omnium huc reddit, ad nos quoque pertinere quod de privatione requietis suae minatur Deus in psalmo: sicuti nos ad quandam requiem hodie quoque invitat. Praecipua huius loci difficultas hinc proveuit, quod violenter a multis torquetur: quum apostolus nihil aliud velit quam requiem nobis quandam asserendo, eius desiderio nos acuere, et simul metu pungere, ne per incredulitatem ab ea prohibeamur. Interea tamen longe pluris esse requiem istam docet, in quam nunc ingressus nobis patet, quam fuerit terra Chanaan. Sed veniamus ad singula.

3. *Ingredimur postquam credidimus.* Argumentum est a contrariis. Sola incredulitas arcet, ergo fide patet ingressus. Repetendum enim memoria quod iam exposuit, Deum incredulis iratum iurasse, non fore illius boni compotes. Intrant ergo quos

non impedit incredulitas: si modo Deus invitet. *Sed in prima persona loquendo, maiori eos dulcedine allicit, ab alienis ipsos separans.*

Tametsi operibus. Ut definiat qualis sit nostra requies, revocat nos ad id quod resert Moses, Deum statim a creatione mundi requievisso ab operibus suis. Et tandem concludit hanc esse veram fidelium requiem quae omnibus saeculis durat si Deo sint conformes. Et sane ut hæc summa est hominis felicitas Deo suo adhaerere: ita ultimus finis esse debet quo consilia omnia et actiones referantur. Hoc probat, quia Deus, qui requievisso dicitur, longo post tempore incredulis requiem suam negat. Quod frustra faceret, nisi exemplo suo fideles vellet quiescere. Ideo dicit, reliquum fieri ut quidam ingrediantur. Nam si non intrare, poena est incredulitatis, ut iam dictum est: credentibus ingressus patet. Sed paulo plus habet difficultatis quod subiicit continuo post, alium nobis diem ho- diernum statui in psalmo, quia priores exclusi fuerint. Nihil enim tale exprimere videntur verba Davidis: tantum enim hoc sonant quod Deus infidelitatem populi ultius sit, cum terrae possessione abdicando. Respondeo, valere consequentiam: nobis offerri quod illis ablatum est, quum admoneat spiritus sanctus, non esse committendum nostra culpa ut eodem peenae genere muletemur. Quid enim? si nobis hodie nihil promitteretur, an locum haberet haec admonitio: Videte ne vobis idem quod patribus contingat? Proinde merito dicit apostolus, quia patrum infidelitas vacuam et desertam possessionem reliquit, filiis renovari promissionem, ut obtineant quod ab illis neglectum fuit.

8. *Nam si Jesus requiem.* Non vult negare quin per requiem David terram Chanaan intelligat, in quam Iosue populum induxit: sed hanc fuisse ultimam requiem negat ad quam adspirant fideles: quae illius etiam saeculi fidelibus nobiscum fuit communis. Certum est enim, altius eos respexisse quam ad terram illam. Imo terra Chanaan non aliunde tanti aestimabatur nisi quod spiritualis haereditatis imago erat ac symbolum. Ergo possessionem adepti non debuerunt quiescere ac si ad summam votorum perventum foret: sed potius meditari quod erat in ea spirituale. Possessione fruebantur illi quibus David psalmum dictavit: sed admonebantur de quaerenda meliori requie. Videlicet ut terra Chanaan fuerit requies: sed umbratilis, et ultra quam fideles progrederi oportuit. Hoc sensu negat apostolus requiem fuisse praestitam a Iosue: quia ipsius auspiciis ideo terram promissam ingressus est populus, ut in coelum alacriore studio contenderet. Atque hinc colligere promptum est quale sit inter nos et illos disserimen. Nam quum utrisque idem scopus sit praefixus, illis additi sunt

externi typi quibus dirigerentur: nobis non item. Nec sane opus fuit: quum res ipsa nuda penatur ante oculos. Nam etsi in spe adhuc posita est salus nostra, tamen quod ad doctrinam spectat, recta nos in coelum dicit. Nec Christus manum ideo nobis porrigit, ut nos per figuram circumducatur: sed ut o mundo abductos in coelum erigat. Quod autem umbram separat apostolus a veritate, id facit quia illi cum Iudeis erat negotium qui in externis rebus nimium haerebant. Concludit, relinquimus populo Dei sabbathismum, hoc est, esse quandam spiritualem requiem ad quam nos quotidie Deus invitat.

10. *Nam qui requievit.* Est illius perpetui sabbathi definitio, in quo summa hominum beatitudine consistit, ubi quaedam est inter illos et Deum similitudo, qua cum ipso cohaereant. Quidquid enim unquam de summo bono disputarunt philosophi, insipidum ac nugatorium fuit, quia hominom in se ipso detinebant: quum necesse sit extra nos exire ut felicitatem reperiamus. Summum ergo hominis bonum nihil aliud est quam cum Deo coniunctio. Eo pervenitur quum ad eius exemplar sumus compositi. Porro istam conformatiōē apostolus in eo sitam esse docet, si ab operibus nostris quiescamus. Unde tandem sequitur, hominem se abnegando beatum fieri. Quid enim aliud est cessatione ab operibus nostris quam carnis mortificatio, dum sibi homo renuntiat ut vivat Deo? Nam hinc semper faciendum est exordium, quum de regula pie sancteque vivendi agitur, ut homo sibi quodammodo mortuus Deum patiatur vivere: ferietur ab operibus propriis, ut locum Deo agenti concedat. Fateri enim necesse est, tunc recte demum constitutam esse vitam quum Deo subiecta est. Atqui propter ingenitam pravitatem hoc nunquam fit, donec a propriis operibus supersedemus. Talis inquam repugnantia est inter Dei gubernationem et nostros affectus, ut in nobis agere, nisi otiosis, nequeat. Quia vera huius quietis complementum nunquam exstat in hac vita, semper eo nitendum est. Ita fideles ingrediuntur: sed hac conditione, ut currendo assidue proficiant. Caeterum non dubito quin ad sabbathum data opera alluserit apostolus, ut Iudeos revocaret ab externa eius observatione. Neque enim aliter potest eius abrogatio intelligi quam cogitato spirituali fine. Proinde duo simul agit: nam et gratiae excellentiā commendando, nos ad eam fide recipiendam stimulat: et obiter interea ostendit quaenam vera sit sabbathi ratio: ne praepostere Iudei in externa caeremonia haereant. De abrogatione quidem non aperto disserit: quia non hec agit ex professo: sed quum alio spectasse docet illam caeremoniam, paullatim ita eos a superstitiosa opinione abducit. Qui enim alium fuisse finem praecepti tenet, quam exterrum otium vel cultum terrestrem, is in Christum respiciendo mox facile eius adventu caeremoniae

usum abolitum esse perspicit. Corporis enim aspectu umbrae protinus evanescunt. Ergo hoc primo semper agendum est ut Christum docoamus esse legis finem.

11. *Studeamus ergo ingredi in illam requiem, ne quis eodem cadat incredibilitatis exemplo.* 12. *Vivus enim sermo Dei et efficax, et penetrantior quovis gladio utrinque scindente, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagumque et medullarum, ac discretor cogitationum et intentionum cordis.* 13. *Nec ulla est creatura quae non appareat coram ipso: imo omnia nuda et resupina in oculis eius cum quo nobis est ratio.*

Postquam scopum ostendit quo tendere debemus, nunc ut viam ineamus admonet: quod fit dum assuescimus ad nostri abnegationem. Quia autem ingressum in requiem comparat recto cursui, huic casum opponit: atque ita utroque membro metaphoram continuat. Quamquam simul alludit ad historiam, quam ex Mose retulit, de iis qui ceciderunt in deserto quia fuerant Deo rebelles. Ideo dicit τῷ αὐτῷ ὑπὸδείγματι, significans quasi in tabula nobis illic depictam representari poenam infidelitatis et contumaciae: nec vero dubium esse quin idem nos maneat exitus, si reperiatur in nobis similis incredulitas. Ergo cadere pro perire accipitur: vel, ut clarius dicam, non pro peccato, sed pro poena. Sed tam priori verbo Ingrediendi translatio respondet, quam tristi excidio patrum, quorum exemplo terrere voluit Iudeaeos.

12. *Vivus enim, etc.* Quidquid hic de verbi efficacia disserit, huc pertinet, ut sciant impune non posse contemni. Ac si diceret: quoties nos Dominus voce sua compellat, serio agit nobiscum, ut omnes interiores sensus nostros afficiat. Itaque nulla est pars animae quam non oporteat permoveri. Caeterum antequam ultra progredimur, videndum est loquuturne generaliter apostolus de verbo, an peculiariter ad fideles hoc referat. Constat enim non peraeque in omnibus efficax esse Dei verbum. Nam erga electos vim suam exserit, ut vera sui agnitione humiliati ad Christi gratiam confugiant. Quod fieri nequit quin usque ad intimum cor penetret: excutienda est enim hypocrisis, quae miros habet ac plusquam flexuosos recessus in cordibus hominum: deinde non leviter nos pungi vel lancinari, sed penitus vulnerari oportet, ut mortis aeternae sensu prostrati nobis mori discamus. Denique nunquam renovabimur tota mente (quod tamen Paulus praecipit) donec huius spiritualis gladii acie confectus fuerit vetus noster homo. Unde fideles alibi (Phil. 2, 17) Paulus dicit Deo immolari per evangelium: quia non possunt aliter in obsequium Dei redigi, quam si interest propria ipsorum voluntate.

tas: nec aliter possunt lucem divinac sapientiae percipere, nisi extincta carnis prudentia. In reprobis nihil tale apparet: nam vel secure despiciunt loquentem Deum, adeoque subsannant: vel obstrepunt eius doctrinae, ac contumaciter in eam insurgunt. Denique sicuti verbum Dei malleus est, ita cor illi habent incudis instar, ut ictus quantumvis validos sua duritia repellat. Ergo multum abest quin verbum Dei penetret in ipsos ad divisionem usque animae et spiritus. Unde videtur hoc elogium restringendum ad solos fideles, quando soli ita ad vivum examinantur. Verum contextus apostoli ostendit hanc sententiam esse universalem, et quae ad reprobos quoque ipsos patet. Nam utsunque non emoliantur, sed ferreum cor aut chalybeum verbo Dei opponant: necesse est tamen ipsos reatu suo constringi. Rideut quidem, sed risum sardonium, quia intus se quasi singulari sentiunt: tergiversantur variis modis, ne ad Dei tribunal accedant: sed inviti ab hoc ipso verbo, cui proterve insultant, protrahuntur: ut apte rabidis canibus conferri possint, qui mordentes, vel unguibus appetentes catenam cui sunt allegati, nihil tamen proficiunt, quia nihilominus manent constricti. Deinde etiamsi non primo statim die exstet hic verbi effectus, tandem ex eventu iudicare licebit, non frustra cuiquam fuisse praedicatum. Generale certe est quod Christus pronuntiat, spiritus quem venerit arguet mundum (Iohan. 16, 8). Atqui spiritus hoc iudicium per evangelii praedicationem exercet. Postremo etiamsi hanc vim non semper exserat erga homines verbum Dei, habet tamen in se quodammodo inclusam. Apostolus autem hic de eius natura proprioque officio disputat in hunc tantum finem, ut sciamus conscientias nostras, simul atque auribus insonuit, reas ad Dei tribunal citari. Ac si diceret: Si quis putet aerem inani sonitu verbari quum profertur Dei verbum, valde errat: res enim viva est, et occultae energiae plena, quae nihil in homine intactum relinquat. Haec ergo summa est, simul atque sacrum os aperuit Deus, debere sensus omnes nostros recipiendo eius verbo patefieri: quia non velit frustra voces spargere quae aut evanescant, aut neglectae in terram cadant: sed efficaciter compellare hominum conscientias, ut imperio suo subiiciat: itaque hanc vim indidisse verbo suo, ut omnes animae partes excutiat, examinet cogitationes, affectus diiudicet, se denique iudicem ostendat. Sed hic exoritur nova quaestio, de legene an de evangelio hoc sit intelligendum. Qui de lege apostolum loqui putant, adducunt illa Pauli testimonia: Ministerium esse mortis, literam esse quae occidat, nihil praeter iram afferre, et reliqua eiusmodi (2. Cor. 3, 6. 7; Rom. 4, 15). Sed hic diversos etiam effectus apostolus notat: est enim (ut diximus) vivifica quaedam occisio animae, quae fit

per evangolium. Sciamus ergo apostolum de universa Dei doctrina concionari, quum dicit vivam esse et efficacem. Ita Paulus testatur (2. Cor. 2, 16), ex sua praedicatione prodire odorem mortis in mortem incredulis, vitae in vitam fidibus: ut Deus nunquam frustra loquatur quin alios ad salutem adducat, alios praecepiter in exitium. Haec est ligandi et solvendi potestas qua Dominus apostolos suos instruxit. Haec est spiritualis potentia de qua Paulus gloriatur, 2. ad Corinthios cap. 10, 4. Et sane nunquam in Christo salutem nobis promittit quin ex adverso vindictam incredulis denuntiet, qui Christum respundo mortem sibi accersunt. Praeterea notandum est apostolum hic de verbo Dei disserere quod hominum ministerio ad nos affertur. Delirae enim sunt illae cogitationes, atque etiam perniciose, internum quidem verbum esse efficax: sed quod prodit ex ore hominis esse mortuum, omnique carere effectu. Fateor sane efficaciam non provenire ex lingua hominis, nec in sonitu ipso residere: sed totam spiritui sancto debere acceptam ferri: hoc tamen non impedit quominus spiritus virtutem suam proferat in verbo praedicato. Deus enim quia non per se loquitur, sed per homines, sedulo hue incumbit, ne ideo contemptim excipiatur sua doctrina quod homines sint eius ministri. Sic Paulus, quum evangelium nominat potentiam Dei, data opera ornat hoc titule suam pradicationem, quam aliis probrosam videbat esse, ab aliis contemni. Et quum alibi (Rom. 10, 8) docet salutem nobis conferri per fidei doctrinam, nominatim eam esse exprimit quae praedicatur. Videmus ut semper Deus ex professo doctrinam, quae nobis hominum opera administratur, commendet, quo nos contineat in eius reverentia. Porro quum *vivus* sermo vocatur, subaudienda est relatio ad homines, quod melius patet ex secundo epibeto: ostendit enim qualis haec sit vita, quum efficacem deinde nominat. Nam apostoli consilium est docere qualis sit erga nos verbi usus. Metaphoram gladii aliis etiam in locis scriptura usurpat: sed apostolus simplicie comparatione nou contentus sermonem Dei quovis gladio penetrantorem esse dicit, et quidem utrinque scidentes quia tunc frequens erat gladiorum usus, qui partem unam obtusam habentes, altera tantum scindebant.

Pertingens usque, etc. Nomen animae saepe idem valet quod spiritus: sed quum simul iunguntur, prius comprehendit sub se affectus omnes: posterius facultatem quam vocant intellectualem, significat. Ita Paulus, 1. Thessal. capite 5, 23, quum Deum precatur ut integrum eorum spiritum et animam et corpus conservet usque in adventum Christi, nihil aliud sibi vult quam ut intellectu et voluntate externisque actionibus puri et casti maneat. Similiter Iesaias, cap. 26, 9, quum dicit:

Anima mea desideravit te noctu, spiritu meo quae-
sivi te. Hoc certe intelligit, se ita querendo Deo intentum esse, ut mentem simul et eorū illuc applicet. Sejo alios secus interpretari: sed mihi facile omnes sani, ut sporo, assententur. Nunc veniamus ad praesentem locum. Pertingit verbum Dei ad divisionem animae et spiritus: hoc est, examen habet de tota hominis anima: inquirit enim in cogitationes, voluntatem cum suis omnibus desideriis serutatur. Eodem pertinet quod subiicit de compagibus et medullis. Significat enim nihil esse tam durum aut solidum in homine, nihil tam reconditum quo non perveniat hacc verbi efficacia. Hoc est quod dicit Paulus, 1. ad Corinthios capite 14, 24, valere prophetiam ad coarguendos et diiudicandos homines: ut occulta cordis in lucem prodeant. Et quum officium Christi sit retegore, proferreque in medium cogitationes ex cordis latebris: id per evangelium magna ex parte efficit. Est igitur sermo Dei *χριστός*, quia mentem hominis quasi ex labyrintho, quo prius tenebatur implicita, in lucem cognitionis educit. Nullae enim densiores sunt tenebrae quam infidelitatis: et hypocrisis horrendum in modum nos excaecat. Tenebras illas discutit sermo Dei, hypocrisin profligat. Hinc discretio vel diiudicatio haec, cuius meminit apostolus: quoniam vitia, quae sub falsa virtutum specie latebant, cognosci incipiunt abstergo fuco. Quod si in suis latebris ad tempus manent reprobi, sentiunt tamen demum illuc quoque verbi lucem penetrasse, ut non effugiant Dei iudicium. Hinc fremitus eorum, adeoque furor: quia nisi verbo perculti essent, non ita proderent suam insaniam, cuperent enim eludere, vel tergiversando effugere vim ipsius. Dissimulare etiam cuperent: hoc illis Deus non permittit. Ergo quoties vel obloquuntur, vel excandescunt adversus Dei verbum, vim eius, quamlibet invitos ac repugnantes, intus sentire se fatentur.

13. *Nec ulla est creatura, etc.* Copula hic (meo iudicio) causalem particulam valet: nam ut confirmet illud, verbo Dei quidquid in homine absconditum est diiudicari, argumentum a natura Dei sumit. Nulla, inquit, creatura est quae lateat oculos Dei. Ergo nihil tam profundum erit in anima hominis quod non extrahatur in lucem eius verbo quod autorem suum refert. Sieuti enim officium Dei est scrutari corda: ita hanc cognitionem verbo suo exercet. Hoc dum non considerant interpretes, verbum Dei scilicet instar conti esse, quo experitur et inquirit quid in cordibus nostris lateat: violenter torserunt hunc totum locum, nec tamen se expedient. At omnem difficultatem tollit ratiocinatio ista, verbo Dei sincere et serio cordis affectu esse obedientum: quia Deus, qui cordium est cognitor, has partes assignaverit verbo suo, ut penetret ad intimas usque cordis cogitationes. Fefellit etiam interpretes am-

bigua loquutio, πρὸς δν ἡμῖν ὁ λόγος: nam verterunt, ad quem nobis est sermo. Atqui potius vertendum erat, cum quo nobis est ratio: cuius orationis hic est sensus, Deum esse qui nebisum agit: vel cum quo nobis est negotium, ideque non esse ludendum quasi cum hemine mortali. Sed quoties verbum eius nobis proponitur, contremiscendum esse: quia nihil ipsum lateat.

14. *Habentes igitur pontificem magnum qui coelos ingressus est, Iesum filium Dei, teneamus confessionem.*
 15. *Neque enim habemus pontificem qui compati non possit infirmitatibus nostris: sed in omnibus tentatum, secundum similitudinem, absque peccato.*
 16. *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, ut obtineamus misericordiam, et gratiam inveniamus in auxilium opportunum.*

14. *Habentes igitur.* Hactenus disseruit de Christi apostolatu, nunc ad secundum eius munus transit. Diximus enim duplē personam filio Dei fuisse impositam quum ad nos missus fuit, nempe doctoris et sacerdotis. Itaque postquam hortatus est apostolus Iudeos ut obediens amplectantur Christi doctrinam: nunc demonstrat quem fructum eius sacerdotium attulerit. Atque hoc secundum est ex duebus membris disputationis quam tractat. Apposite autem sacerdotium connectit cum apostolatu, quum admonet hunc utriusque esse finem, ut perveniamus ad Deum. Illatione utitur, quia prius hoc etiam caput attigerat, Christum esse nobis pontificem: sed quia sacerdotii vis non percipitur nisi ex doctrina, hanc viam sterni oportuit, ut animos ad Christum audiendum praepararet. Nunc restat, ut qui magistrum eum agnoscunt, seque dociles illi praebent discipulos. discant queque ex ore eius vel schola, quaenam sit utilitas sacerdotii eius, et qualis usus ac finis. Primo dicit, *habentes pontificem Iesum filium Dei, confessionem teneamus.* Confessio hic, ut antea, pro fide capitur metonymice. Quia autem sacerdotium ad sanciendam doctrinam valere debet, hinc colligit apostolus, non esse cur haesitemus aut vacillemus in fide evangelii, quam filius Dei comprobavit ac sancivit. Quisquis enim ratam non habet hanc doctrinam, detrahit filio Dei, ac sacerdotis honore ipsum spoliat: tale inquam, ac tantum pignus fiduciam addere nobis debet, ut intrepide recumbamus in evangellum.

15. *Neque enim habemus, etc.* In nomine filii Dei, quod posuit, subest ea maiestas quae nos ad timorem et obsequium adigat. Verum si nihil in Christo aliud consideremus, nondum pacatae erunt conscientiae. Quis enim non reformidet filii Dei conspectum, praesertim quum reputamus qualis sit nostra conditio, nobisque in mentem veniunt peccata nostra? Deinde Iudeis aliud obstare peterat, quia

levitico sacerdotio assueverant: illic cernebant hominem mortalem unum ex aliis electum qui sanctuarium ingrediebatur, ut sua deprecatione reconciliaret fratres suos Deo. Hoc magnum est, quum mediator, qui placare erga nos Deum potest, unus est ex nobis. Haec illecebra poterat Iudeos illaqueare, ut sacerdotio levitico semper essent addicti, nisi occurreret apostolus, ac ostenderet filium Dei non modo excellere gloria, sed aequa bonitate et indulgentia erga nos esse praeditum. In hoc igitur capite versatur quum dicit illum exercitatum esse nostris infirmitatibus, ut nobis concoleat. Quod ad συμπάθειαν pertinet, nolo subtilius de ea disputare. Frivola enim non minus quam curiosa est ista quaestio, num obnoxius sit nunc Christus nostris miseriis. Nec vero apostolus talibus argutiis et otiosis speculationibus fatigare nos voluit: sed tantum decere, non procul quaerendum esse mediatorem, quum nobis Christus ultro manum porrigit: non esse causam cur Christi maiestate absterreamur, quum nobis sit frater: non esse timendum ne quasi malorum expers nullo tangatur humanitatis sensu ad opem nobis ferendam, quum infirmitates nostras suscepit, quo esset ad succurrendum propensior. Tota igitur apostoli oratio ad fidei sensum referenda est: quia non disputat qualis sit in se Christus, sed qualem se nobis ostendat. Similitudinem naturae intelligit: quo significat Christum simul cum carne nostra affectus quoque induisse, ut non modo se verum heminem comprobaret, sed ipso experimento ad iuvandos miseros erudiretur: non quia opus talibus rudimentis habuerit filius Dei: sed quia nos aliter quam de salute nostra curam gerit, mente apprehendere non possumus. Quoties ergo sub carnis nostrae infirmitatibus laboramus, nobis in mentem veniat, easdem filium Dei expertum esse: ut nos sua virtute erigat ne illis obruamur. Sed quaeri potest quid per infirmitates intelligat: varie enim accipitur hoc nomen. Quidam frigus et calorem, famem, et alias corporis necessitates: deinde contemptum, inopiam, et reliqua eius generis intelligunt, sicuti apud Paulum multis locis: ac praesertim 2. ad Corinthios cap. 12, 10. Sed verius sentiunt qui simul cum externis aerumnis comprehendunt animi affectus, quales sunt metus, tristitia, horror mortis, et similes. Et certe frustra aliqui addita esset restrictio, absque peccato: nisi de affectibus sermo esset, qui semper in nobis vitiis sunt propter naturae pravitatem: in Christo autem, in quo summa rectitudo et absoluta puritas fuit, immunes fuerunt ab omni vicio. Paupertas certe, et morbi, et quae extra nos sunt, in peccatum non imputantur. Ergo quum de infirmitatibus loquitur quae peccato sunt affines, minime dubium est quin affectus animi designet, quibus obnoxia est hominum natura, idque propter infirmitatem suam. Nam

potior in eo est angelorum conditio quam nostra, quod non dolent, non metuunt, non torquentur variis curis, mortem non formidant. Has infirmitates ultro Christus suscepit, et cum illis certare voluit: non modo ut de illis victoriam nobis acquireret, sed etiam ut certo simus persuasi illum nobis prope adesse quoties illas experimur. Ita non essentia tantum factus est homo, sed humanae etiam naturae qualitates in se recepit. Restrictio tamen additur, absque peccato: quia semper tenendum est hoc disserimen inter affectus Christi et nostros: quod illi recte semper compositi fuerunt ad veram iustitiae regulam: nostri autem qui ex turbido fonte manant, semper resipiunt originis suae naturam, quia turbulenti sunt et effraenes.

16. *Accedamus igitur cum fiducia, etc.* Concludit, accessum omnibus ad Deum patere qui freti mediaatore Christo ad eum accedunt: imo hortatur fideles ut se in Dei conspectum offerre sine ulla dubitatione audeant. Atque hie praecipuus est spiritualis doctrinae fructus, eerta invocandi Dei fiducia: sicut rursum concidit ac porit tota religio quum eripitur haec certitudo conscientiis. Unde colligere promptum est, in papatu extinctam fuisse evangelii lueem, ubi iubentur miseri homines dubitare sintne propitiū Deum an infensum habituri. Praecipiunt quidem ut Deus quaeratur: sed neque via ostenditur qua perveniri ad eum possit, et obseratur ianua qua sola ingredi licebat. Verbo fatentur Christum mediatorem, sed re ipsa sacerdotii eius virtutem abolent, ipsumque honore spoliant. Nam ita statuendum est, Christum vere mediatorem non cognosci quin eximatur hominibus dubitatio, an adire ad Deum neene ipsis licet. Alioqui non staret haec consequentia: Habemus pontificem qui ad nos iuvandos voluntarius est: ergo secure et citra ullam haesitationem adeundum nobis esse thronum Dei. Et sane si ita persuasi essemus, Christum ultro nobis manum protendere, quis non plenam adeundi fiduciam conceiperet? Verum est igitur quod dixi, Christi sacerdotio suam adimi virtutem, quamdiu haesitant homines et anxii sunt in quaerendis mediatoriis: quasi unus ille non sufficiat, eius patrocinio quicunque vere suffulti sunt (quemadmodum hic apostolus praecepit) certo constituant exaudiri suas preces. Fundamentum huius fiduciae est, quod Dei thronus non maiestate nuda insignitur quae nos obstupefaciat: sed ornatur novo titulo, nempe gratiae, qui semper nobis in memoriam venire debet quum Dei conspectum refugimus. Nam fieri non potest quin Dei gloria, si eam solam mente apprehendamus, nos protinus desperatione absorbeat: ita thronus eius erit formidabilis. Apostolus ergo ut diffidentiae medeat, omnique trepidatione mentes nostras liberet, illum vestit gratia, nomenque illi imponit quod suavitate nos sua alliciat: ae si diceret,

quandoquidem Deus throno suo quasi insigne gratiae paternique erga nos amoris praefixit, non est quod ab aditu nos arceat eius maiestas. Summa est, tuto nos invocare Deum, quum nobis propitium esse scimus: id autem fieri Christi beneficio, quemadmodum habetur ad Ephesios capite 3, 12. Quia dum in suam fidem ac clientelam nos Christus recipit, Dei maiestatem, quae formidabilis alioqui esse poterat, bonitate velat, ne quid illie appetat, praeter gratiam paternumque favorem.

Ut obtineamus misericordiam, etc. Ille non sine magna causa additur, ut nominatum eos confirmet qui misericordia indigent, ne quis miseriae suae sensu deiectus viam sibi sua diffidentia obstruat. Loquutio haec: Ut obtineamus misericordiam, primo suavissimam doctrinam continet: quieunque Christi patrocinio subnixi Deum precati fuerint, de obtinenda misericordia certos fore. Omnibus tamen qui hanc viam non tenuerint, oblique minatur apostolus, ac Deum illis fore inexorabilem significat, quia unicam eius placandi rationem contempserint. Addit, in auxilium opportunum: hoc est, si velimus impetrare quaecunque sunt in salutem nostram necessaria. Opportunitas autem ista ad tempus vocationis respieit, secundum illud Iesaiæ (Iesa. 49, 8) quod Paulus ad evangelii publicationem accommodat (2. Corin. 6, 2). Ecce nunc tempus acceptum, etc. Respicit enim apostolus ad illum diem hodiernum quo Deus nobiscum loquitur. Quod si Deo hodie loquente in crastinum differimus, veniet nox intempesta, qua non amplius licebit quod iam licet, frustraque ostio clauso pulsabimus.

CAPUT V.

1. *Omnis namque pontifex ex hominibus assump-tus, pro hominibus constituitur ad ea quae ad Deum pertinent, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,*
2. *qui possit placabilem se praebere ignorantibus et errantibus: quando ipse quoque circumdatus est infirmitate.*
3. *Et propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita et pro se ipso offerre pro peccatis.*
4. *Ac nemo sibi usurpat honorem: sed qui vocatur a Deo, sicut et Aaron.*
5. *Quare nec Christus se ipsum glorifieavit ut esset pontifex: sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*
6. *Quemadmodum et alibi dicit, Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedee.*

1. *Omnis namque pontifex.* Comparat Christum cum sacerdotibus leviticis: ac docet quid cum illis simile habeat vel diversum. Huc autem spectabit tota disputatio ut probe intelligatur officium Christi: deinde quidquid sub lege institutum fuit, eius causa fuisse institutum. Hinc tandem sibi transitum faciet

apostolus ad docendam veteris sacerdotii abrogationem. Primo dicit, assumi ex hominibus sacerdotes. Deinde non rem privatam, sed totius populi agere. Tertio non debere inanes accedere ad placandum Deum, sed sacrificiis instructos. Quarto infirmitatum nostrarum non debere esse expertes, quo libentius succurrant laborantibus. Postremo non temere ad munus obeundum debere prosilire: sed tunc deum honorem esso legitimum, ubi a Deo electi sunt et comprobati. Nunc de singulis membris breviter tractemus. Prins tamen coarguenda est eorum insectitia qui haec trahunt ad tempus nostrum, quasi idem hodie esset sacerdotum usus ad victimas offerendas: quamquam non longa refutatione opus habet. Quid enim apertius quam veritatem, quae in Christo est, cum figuris conferri: quae ut tempore fuerunt priores, ita nunc cessarunt? atque id melius ex contextu patebit. Quare plus quam ridiculi sunt qui missae sacrificium stabilire volunt ex hoc loco. Redeo ad verum apostoli sensum. Sacerdotes ex hominibus dicit assumi: hinc sequitur Christum oportuisse verum esse hominem. Nam quia longe a Deo distamus, in eius conspectu quodammodo sistimur in Sacerdotis persona: quod non fieret nisi unus esset ex nobis. Itaque quod communem nobiscum habet naturam filius Dei, adeo hoc non minuit eius dignitatem, ut magis nobis commendet. Nam ideo ad conciliandum nobis Deum est idoneus, quia homo est. Ideo nominatim Paulus ut ipsum mediatorem esse probet, hominem vocat: quandoquidem si ex angelis vel aliunde assumptus esset, quia ad nos usque non pertingeret, non possemus per ipsum Deo coniungi.

Pro hominibus. Secundum membrum: Quod non sibi privatum ministret Sacerdos, sed in commune populi bonum sit institutus. Atque hoc notare operae pretium est, ut sciamus nostram omnium salutem agi ac verti in Christi sacerdotio. Speciem utilitatis exprimit haec verba: Ordinata ea quae ad Deum pertinent: quamquam hic potest esse duplex lectio, quia verbum καθίσταται, tam passivam quam activam significationem habet. Qui passive accipiunt ita vertunt: Constituitur in his: atque ita subaudiunt praepositionem quae serviat articulo τά. Mihi altera interpretatio non minus placet: Curat pontifex vel ordinat quae ad Deum pertinent: nam constructio melius fluit, et sententia est plenior. Utrovis tamen modo accipero libeat, hic tendit apostolus, nobis cum Deo nihil esse nisi adsit sacerdos. Nam quum profani simus, quid nobis cum sacris? Denique alieni sumus a Deo eiusque cultu, donec se interponat sacerdos, vicesque nostras suscipiat.

Ut offerat dona. Tertium quod in sacerdoto ponit, est donorum oblatio. Duac tamen hic sunt voces, dona et victimae: quarum prior (meo iudicio)

complectitur varias sacrificiorum species: ita est quasi genus. Secunda autem expiationis sacrificia specialiter designat. Summa tamen est, sacerdotem nonnisi intercedente victima, pacificatorem esse inter Deum et homines, quia sine sacrificio non expiantur peccata, nec placatur ira Dei. Proinde quoties de reconciliatione Dei et hominum agitur, praeceat semper hoc pignus necesse est. Ita videmus angelos impetrando Dei favori minime parés esse, quia sacrificio nullo instructi sunt. Idem et de prophetis atque apostolis sentiendum. Solus ergo Christus est qui sublati per sacrificium suum peccatis Deum nobis exorat.

2. *Qui possit.* Quartum hoc membrum non nullam habet cum primo affinitatem: distinguunt tamen debet. Nam illic docebat apostolus, in unius hominis persona coniungi Deo genus humanum: quia ex eadem carne et natura omnes homines constant. Nunc aliud attingit, Sacerdotem peccatoribus acquum et facilem esse debere, quia socius sit infirmitatum, Μετριοπαθέτης, quod verbum hic apostolus usurpat, varie, exponunt tam graeci quam latini interpretes. Ego tamen simpliciter idem valere puto, ac si dictum esset, accommodare se ad συμπάθετον. Non omnia quidem, quae hic de leviticis sacerdotibus praedicantur, Christo convenient. Scimus enim Christum ab omni peccati contagione fuisse immunem. Quare in hoc differt ab aliis, quod non opus habuit sacrificium pro se offerre. Verum satis est quod infirmitates nostras ipse quoque sustinuerit, tametsi a peccato vacuas et puras. Ergo quod ad veteres illos et leviticos pertinet, dicit apostolus infirmitati humanae fuisse obnoxios. Et ideo propria quoque peccata expiisse sacrificiis, ut aliorum erratis non tantum aequiores essent, sed etiam condolescerent. Haec pars ad Christum eatenus debet accommodari, ut inseratur illa exceptio cuius prius meminit: nempe quod sine peccato expertus sit nostras infirmitates. Quamquam autem peccati semper expers fuerit: solus tamen ille infirmitatum sensus, de quo dictum est, abunde in eo valet, ut propensus sit ad nos iuvandos, clemens et facilis ad ignoscendum, sollicitus de malis nostris. Summa haec est, Christum non modo propter carnis et naturae unitatem nobis fratrem esse: sed infirmitatum nostrarum societate ad indulgentiam et facilitatem induci et quasi formari. Participium δυνάμεως plus valet quam in communi nostro sermone. Sumitur enim pro idoneo vel adto. Errantes et ignorantibus pro peccantibus accepit, more hebraico. Nam γένος pro quovis delicti genere Hebrei accipiunt: de quare erit paulo post dicendi locus.

4. *Et nemo sibi honorem.* In hoc membro partim similitudo, partim diversitas nota est. Munus legitimum facit Dei vocatio: ut nemo rite et ordine illo fungatur nisi a Deo creatus. Hoc

Christo et Aaroni commune est, quod utrumque Deus vocavit. In hoc differunt, quod quum secundum novam et diversam rationem successerit Christus, et constitutus fuerit perpetuus Sacerdos: inde patet, temporale fuisse Aaronis sacerdotium, quod cessare debuerit. Videamus quo sum tendat apostolus. Ius sacerdotii vendicandum erat Christo. Id facit ostendens Deum esse autorem. Sed hoc non sufficit, nisi constet, ut illi sit locus, finem veteri fuisse impositum. Id probat, quia respicienda est conditio qua institutus fuit Aaron (neque enim nostrum est longius extendere quam forat Dei decretum): Mox autem palam faciet quousque durare priorem illum ordinem Deus voluerit. Christus ergo legitimus est sacerdos: quia Dei autoritate constitutus fuit. Quid de Aarone et reliquis eius successoribus dicendum? nempe tantum habent iuris quantum illis a Domino concessum est: non quantum illis sua opinione homines deferunt. Caeterum tametsi hoc pro causae praesentis circumstantia dictum est, licet tamen generali doctrinam inde colligere: nullum in ecclesia regimen origendum esse hominum arbitrio, sed exspectandum esse Dei iussum. Deinde certam cligendi regulam sequendam esse, ut se nemo propria libidine ingerat. Utrumque distinete notandum est. Neque enim hic de personis tantum disserit apostolus, sed de ipso officio. Negat inquam, probum et sanctum esse munus quod sibi homines fixerint absque Dei mandato. Ut enim Dei proprium est ecclesiam regere: ita sibi uni hoc asserit, ut modum rationemque administrationis praescribat. Unde constituo papale sacerdotium adulterinum esse, quia in hominum officina fabricatum est. Nusquam inbet Deus ut sibi nunc sacrificium offeratur expiandi peccatis: nusquam mandat ut in hunc usum instituantur sacerdotes. Quum ergo suos sacerdotes papa ad sacrificandum inauguret, pro legitimis esse habendos negat apostolus. Nisi forte novo quodam privilegio supra Christum se offerant, qui ultius suscipere honorem ansus non est, sed patris vocem exspectavit. Hoc quoque in personis valere debet: ne sibi quisque privatus hominem arripiat, sed ut praecedat publica autoritas. Loquor de officiis aliqui divinitus ordinatis. Quamquam fieri interdum poterit ut qui a Deo non erit vocatus, sit tamen tolerandus, utcunque minus probetur: modo sanctum et Deo probatum sit munus. Multi enim saepe aut ambitione, aut malis artibus obrepunt, quibus suae vocationis ratio minime constat: neque tamen protinus reiiciendi erunt: praesertim ubi id publico ecclesiae iudicio fieri nequit. Iam ducentis ante adventum Christi annis foedissimae corruptelae regnaverant in occupando sacerdotio. In ipso tamen officio ius honoris manebat ex Dei vocatione. Homines ipsi, quia oppressa erat ecclesiae libertas, tolerabantur. Unde apparet summum defectum esse

in ipso genere officii: quum scilicet comminiscuntur a se ipsis homines quod nusquam Deus praecepit. Quo minus ferendi sunt sacrifici romanenses, qui nihil quam suos titulos cropant ut sacrosancti habentur: quum tamen se ipsi legerint Deo inconsulto.

Filius meus es tu. Videri posset longe petitum hoc testimonium. Neque enim si a Deo patro genitus fuit Christus, ideo et sacerdos ordinatus. Verum si reputamus ad quid revolutus fuerit Christus mundo, facile constabit, illi qualitatem hanc necessario convenire. Primo tamen memoria repetendum est quod primo capitulo diximus, hanc Christi genitiram, de qua psalmus loquitur, fuisse testimonium quod illi pater reddidit apud homines. Itaque non est hic mutua inter patrem et filium relatio: sed potius hominum respectus habetur, apud quos illustratus est. Nunc qualem nobis filium manifestavit Deus: At nullo honore, nullaque facultate praeditum? Imo ut inter se et homines mediator esset. Ergo sacerdotium continet genitura.

6. *Quemadmodum et alibi.* Hic elarius exprimitur quod apostolus intendit. Locus est celebris, et totus etiam psalmus unde sumptus est: quia vix aliud exstat luculentius vaticinium de aeterno Christi tam sacerdotio, quam regno. Et tamen Iudei modis omnibus cavillari student ut obscurent Christi gloriam: sed nihil proficiunt. Nam quod ad Davidem trahunt, quasi is sit quem Deus ad dexteram suam sedere iubeat: nimis crassae impudentiae est. Scimus nefas fuisse regibus sacerdotium attingere. Quare Usias hoc solo crimine quod se immiscerit in alienum munus, iram Dei provocavit ut lepra percuteretur. Proinde certum est, neque Davidem, neque alium quempiam ex regibus hic designari. Si excipiant, **בְּנֵי יִשְׂרָאֵל** interdum vocari principes: fateor id quidem, sed nego praesenti loco quadrare. Comparatio enim nihil ambiguitatis relinquit. Melchisedec sacerdos fuit Dei. Psalmus testatur hunc regem quem in dextera Dei collocavit, fore secundum ordinem Melchisedec. Quis non videt de sacerdotio hoc docere intelligi? Nam quia rarum et prope singulare exemplum erat, ut idem rex esset ac sacerdos, saltem in populo Dei erat inusitatum: ideo Melchisedec proponit Messiae exemplar. Ac si diceret: Non fore impedimento regiam dignitatem quominus sacerdotio quoque fungatur, quia huius rei typus in Melchisedec praecesserit. Et certe quicunque inter Iudeos sunt aliquantum verecundi, tum de Messia sermonem hic haberet concedunt, tum etiam sacerdotium eius commendari non dubitant. Ubi Graeci verterunt **κατά**, hebraice legitur, **לְ**, quod significat instar, vel pro ratione: quo confirmatur illud quod iam dixi, quia res erat minime usitata in populo ut idem regis et sacerdotis personam sustineret, vetus illud proponi

exemplar, quo Messias fuit adumbratus. Reliqua subtilius apostolus ipse edisseret in contextu.

7. *Qui in diebus carnis suae quum et precationes, et supplicationes obtulisset cum clamore valido et lacrymis, ei qui poterat cum ex morte servare, et exaudiens esset ex suo metu: 8. tametsi filius erat, diligenter ex iis, quae passus est, obedientiam: 9. et sanctificatus, omnibus qui illi obedient, factus fuit causa aeternae salutis, 10. cognominatus a Deo sacerdos, secundum ordinem Melchisedec: 11. de quo nobis multus sermo, et difficilis explicatur: quandoquidem tardi facti estis auribus.*

7. *Qui in diebus.* Quia cruce ut plurimum deformatur Christi species, dum non considerant homines quem in finem humiliatus fuerit: iterum docet apostolus quod prius attigerat, refulgere in hac parte miram illius bonitatem, quod in bonum nostrum se infirmitatibus nostris subiecerit. Unde apparet, confirmari fidem nostram: non imminui eius honorem, eo quod mala nostra subvierit. Duas autem causas, cur oportuerit Christum pati, designat, proximam et ultimam. Haec proxima est, ut obedientiam diseretur: ultima, ut in salutem nostram hoc modo consecraretur sacerdos. *Dies carnis,* nemini dubium est hic accepi pro praesenti vita. Unde sequitur, carnis nomine non substantiam notari, sed qualitatem. Quemadmodum 1. Corinth. cap. 15, 50, caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Desipiunt ergo fanatici hemines qui nunc Christum somniant carne sua exutum, quia dicatur superasse dies carnis. Aliud enim est, esse verum hominem, tam etsi beata immortalitate praeditum: aliud esse obnoxium humanis aerumnis et infirmitatibus quas sustinuit quamdiu in mundo versatus est, nunc vero in coelum receptus depositus. Nunc rem inspiciamus. Christus qui filius erat, qui remedium quaesivit apud patrem, qui fuit exauditus: tamen mortem passus est ut hoc modo eruditetur ad obedientiam. Singulis uestis magnum pondus. Nam per Dies carnis significat tempus nostris miseriis finitum esse: quod non exiguum levationem affert. Et certe dura esset ac minime tolerabilis conditio si nullus patiënti finis ostenderetur. Tria etiam, quae sequuntur, non parum addunt consolationis. Filius erat Christus, quem sua dignitas communi sorte eximebat: et tamen hue se nostra causa demisit. Quis nunc mortalium eandem reue sare conditionem audeat? Accedit altera ratio, quod si rebus adversis premimur, non expungimur e filiorum Dei numero: quum praeceuntem cernamus eum qui solus natura filius erat. Nam quod nos filii censemur, id fit adoptionis duntaxat beneficio, quatenus nos in societatem suam admittit qui solus iure suo hunc sibi honorem vendicat.

Quum preces. Secundum hoc in Christo ponit, ipsum ubi decebat, remedium quaesiisse ut a malis liberaretur. Atque hoc dicit ne quis imaginetur Christum ferreo fuisse animo, qui nihil senserit. Semper enim spectandum cur quidque dicatur. Si nullo dolore tactus fuisset Christus, nulla ex eius passionibus consolatio ad nos rediret. At quum audimus acerbissimos ipsum quoque animi cruciatus pertulisse, similitudo iam nobis constat. Christus, inquit, non ideo mortem et reliquias aerumnas subiit, quia contemneret, vel nullo mali sensu premeretur: deprecatus est enim cum lacrymis, quibus sumnum animi sui angorem testatus est. Ergo per lacrymas et validum clamorem apostolus vehementiam doloris exprimere voluit: ut satis usitatum est, rem a signis notare. Nec dubito quin de illa preicatione loquatur quam evangelistae referunt: Pater, si fieri potest, tollatur a me calix iste. Item de altera, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Nam in secunda mentis fit apud evangelistas validi clamoris: in priore nou est credibile siecos fuisse oculos, quum prae ingenti moestitia guttae sanguineae ex toto corpore fluenter. Certum quidem est, in extremas angustias tunc fuisse coactum. Ergo et veris doloribus pressus fuit, et serio oravit patrem ut sibi opem ferret. Quorsum hoc pertinet? nempe ut quoties nos urgent ac excruciant nostra mala, in memoriam nobis redeat filius Dei qui iisdem laboravit: quamdiu autem ille nos praeceps, non est deficiendi causa. Simul tamen admonemur, non aliunde in malis salutem esse petendam quam ab uno Deo. Quac enim nobis melior orandi regula quam Christi exemplum? Ille autem recta ad patrem se contulit: atque ita debere fieri indicat apostolus, quum dicit obtulisse preces ei, qui eripere a morte poterat. Nam his verbis significat, rite eum orasse, quia ad unum Deum liberatorem confugerit. Laerymae et clamor ardorem et intentius preeandi studium nobis commendant. Neque eum defunctione, sed ardentibus votis orandus est nobis Deus.

Et exauditus. Quod transtulerunt alii: Pro sua reverentia: mihi nequaquam placet. Primum, simpliciter εὐλάβεται ponit, non suam: deinde est ἀπέρ, non ὑπέρ, aut aliquid simile quod causam designet. Quum igitur εὐλάβεται Graecis plerumque sit metus vel sollicitudo, non dubito quin significet apostolus exauditum fuisse Christum ex eo quod timebat: ne scilicet malis obrutus succumberet, vel morte absorberetur. *Nam ait hoc quoque certamen descendit filius Dei, non quod diffidentia laboruvcrit. ex qua provocavit omnes nostri metus, sed quod sensu carnis sustinuerit Dei iudicium, cuius terror sine arduo conatu vinci non poterat.* Chrysostomus Christi dignitatem interpretatur, quam reveritus quodammodo fuerit pater: quod est absurdum. Alii pietatem intelligunt:

verum expositio quam adduxi, multo aptior est, nce longa confirmatione indiget. Porro hoc tertium addidit, ne putemus Christi preees fuisse repudiatas, quia non statim exemptus a malis fuerit: nunquam enim illi Dei misericordia auxiliumque defuit. Atque hinc colligendum, saepe a nobis Deum exorari, etiam quum minime appetat. Tametsi enim neque nostrum est, certam quasi formulam illi praescribere, neque illum votis nostris, qualiacunque mente vel lingua conceipere libuerit, obtemperare decet: quoenam tamen modo consulat saluti nostrarae, se precibus aunnisse ostendit. Ita quum in speciem videmur repulsam ferre, plus longe impetramus quam si penitus nobis indulgeret. Sed quomodo exauditus fuit Christus e suo metu, quum mortem, quam horrebat, subierit? Respondeo, finem timoris spectandum esse. Cur enim mortem refugiebat, nisi quod in ea cernebat maledictionem Dei, quod eum scelerum omnium reatu, ipsisque adeo inferis luctandum erat? Hinc trepidatio et anxietas, quod Dei iudicium plusquam formidabile est. Ergo quod volebat obtinuit, ut e mortis doloribus vitor emergeret, ut salvifica patris manu sustineretur, ut post breve certamen de Satana, peccato, et inferis gloriosum triumphum ageret. Ita saepe fit ut hoc vel illud petamus, sed in alium finem. Ipse vero Deus quod petieramus non concedens, interea modum invenit quo nobis succurrat.

8. *Dicit obedientiam.* Proximus finis passionum Christi, quod assuefactus hac ratione fuit ad obsequium. Non quod vi cogendus esset, vel opus haberet talibus exercitiis: sicuti bovum vel equorum ferocia domatur. Satis enim superque voluntarius fuit ad praestandam Patri obedientiam quam debebat. Verum id factum est nostri respectu, ut experimentum specimenque ederet suae subiectionis ad mortem usque. Quamquam vere hoc dici potest, Christum morte sua ad plenum didicisse quid sit obedire Deo: quando tune maxime ad sui abnegationem adductus est. Nam abdicata voluntate propria, eousque se patri addixit, ut mortem, ad quam expavescerat, sponte libenterque obierit. Sensus ergo est, passionum experientia Christum fuisse edoctum quousque Deo nos subiici ac parere oporteat. Quare nos quoque eius exemplo, variis aerumnis, et tandem morte ipsa erudiri formarique convenit ad Dei obedientiam. Imo nos multo magis, qui ingenio sumus contumaci et indomito, nisi Dominus ad ferendum iugum suum talibus rudimentis nos subigat. Haec utilitas quae ex cruce provenit, debet eius acerbitatem in animis nostris lenire. Quid enim optabilius est quam nos obsequentes reddi Deo? Id autem fieri nequit nisi cruce: nam in rebus prosperis quasi laxato fraeno exultamus: imo plerumque excusso prorsus iugo, protervit carnis nostra lascivia. Ubi autem vis

nostrae voluntati afferenda est, ut velimus quidquid Deo placet, in eo demum obedientia nostra se vere prodit. Hoe inquam illustre est perfectae subiectionis documentum, quum mortem, ad quam Deus vocat, tametsi horrori est, preeferimus tamen vitae quam natura expemus.

9. *Et sanctificatus.* Finis ultimus vel remotior (ut voeant) eur pati Christum necesse fuerit: nempe quod in suum sacerdotium hoc modo fuit inaugurus. Ac si deceret apostolus, erueis tolerantiam et mortem solenne fuisse consecrationis genus in Christo. Quo significat omnes eius passiones ad salutem nostram spectasse. Unde sequitur, adeo nihil obesse eius dignitati, ut potius gloriosae sint. Nam si pretiosa nobis est nostra salus, quam honorifice de eius causa sentiendum? Neque enim hic de exemplo tantum disputat, sed altius consondit: nempe quod sua obedientia Christus deleverit nostras transgressiones. Factus ergo fuit causa salutis, quia iustitiam nobis comparavit apud Deum, quum inobedientiam Adae contrario remedio sustulit. Sanetificateus melius quadrat contextui, quam perfectus. Est graece τελεωθεὶς, quod utrumque significat. Sed quia hic de sacerdotio sermo est, apte et eleganter sanctificationis meminit. Et ita alibi (Iohan. 17, 19) loquitur Christus ipse: Propter eos sanetifice me ipsum. Unde constat hoc ad humanam eius naturam proprie referendum esse, in qua sacerdotis officio functus est, sicuti etiam passus.

Omnibus qui illi obediunt. Ergo si prodesse nobis volumus Christi obedientiam, nos eam imitemur: hoc enim apostolus significat, non pervenire ad alias eius fructum, quam qui obediunt. Porro hoc dicendo, fidem nobis commendat. Neque enim noster fit, neque eius bona, nisi quatenus haec et ipsum fide amplectimur. Quamquam videtur apposuisse universalem notam omnibus, ut indicaret neminem ab hae salute arceri, qui modo se evangelio Christi docilem obsequenterque preebeat.

10. *Cognominatus a Deo.* Quia operaepretium est fusius persequi quam attigit comparationem Christi et Melchisedec, erigendae autem Iudeorum mentes ad maiorem attentionem: sic ad digressiōnem transit, ut tamen hoc argumentum sibi retineat. Itaque praefatur multa sibi esse dicenda: sed ipsos esse preeparandos, ne frustra dicantur. Difficilem fore sermonem admonet: non ut ipsos absterreat, sed magis ut aeuat. Nam ut nos segniiores facilitas reddere solet, ita acrius ad audiendum intenti sumus, si quid obscurum proponitur. Causam tamen difficultatis, non rei, sed ipsis assignat. Et certe ita clare semper nobiscum agit Dominus, et extra omnes ambages, ut eius verbum merito vocetur lux nostra: sed eius splendor tenebris nostris suffocatur. Hoc fit partim nostra hebetudine, partim socordia. Nam quum plusquam hebetes simus ad intelligentiam

dam Dei doctrinam, accedit ad hoc vitium, affectuum quoque nostrorum pravitas. Nam ad vanitatem potius adiiciimus animos quam ad veritatem Dei. Et nos vel contumacia, vel buius mundi curis, vel carnis cupiditatibus subinde impeditur. De quo, non refert Christum, sed Melchisedec: quamquam non refert ut hominem privatum, sed quatenus Christi typus fuit, et quodammodo sustinet eius personam.

12. *Nam quum debeatis esse doctores pro ratione temporis, rursum opus habetis, ut quis vos doceat elementa initii sermonum Dei: et facti estis ii quibus lacte opus sit, et non solidi cibo.* 13. *Nam quisquis lactis est particeps, imperitus est sermonis iustitiae: infans est enim.* 14. *Perfectorum vero est solidus cibus, qui propter assuetudinem sensus habent exercitatos ad discretionem boni et mali.*

12. *Quum debeatis.* Obiurgatio haec non parvos aculeos continet, quibus ab ignavia sua excitentur Iudei. Absurdum esse dicit et pudendum, ut adhuc elementari sint, quum doctores esse deberent. Vos, inquit, alios magistros esse decuerat: atqui ne discipuli quidem estis mediocris doctrinae capaces: nondum enim probe tenetis prima Christianismi rudimenta. Quo tamen plus inceutiat pudoris, dicit *elementa initii*, perinde ac si quis alphabetum diceret. Discendum quidem est tota vita: quia is vere demum sapit, qui agnoscit quantum a perfecta intelligentia distet. Sed ita proficiendum est discendo, ne semper in principiis haereamus. Nec committendum est ut in nobis impleatur illud Iesaiæ (28, 10), Erit vobis praeceptum ad praeceptum, praeceptum ad praeceptum, etc. Quin potius danda opera, ut progressus nostri tempori respondeant. Certe non anni modo, sed dies singuli ad caleulum vocandi erant, ut se quisque ad profectum urgeret: sed pauci sunt qui praeteriti temporis rationem a se reposcent, vel se in posterum sollicent. Itaque iustas ignaviae nostrae poenas damus, quod maxima pars in puerilibus elementis subsistit. Admonemur praeterea, uniuscuiusque officium esse, quo plus intelligentiae consequutus est, studere fratribus impartiri, ut nemo sibi privatim sapiat, sed singuli in mutuam aedificationem.

Quibus lacte opus sit. Eadem metaphora utitur Paulus prioris ad Corinthios capite 3, 1, quum illis idem quoque vitium exprobrat, vel saltem non multum dissimile. Dicit enim quia carnales sint, eos non ferre solidum cibum. Lac ergo est elementaris doctrina initiandis rudibus. Alio sensu Petrus accipit, quum iubet nos concupiscente lac absque fraude (1. Pet. 2, 2). Quemadmodum etiam duplex est pueritia, nempe malitiae et sensus. Sic enim alibi Paulus (1. Cor. 14, 20): Ne sitis sensibus pueri, sed

malitia. Ergo qui adeo teneri sunt ut altiorum doctrinam non recipiant, vocantur per ignominiam pueri. Hic enim verus est doctrinae usus, nos coaptare ut adolescamus in virum perfectum, in mensuram plenaria actatis: nec simus pueri qui fluctuemus et circumferamur quovis vento doctrinac, ad Ephesios 4, 14. Ignoscendum quidem est iis qui nondum Christum gustarunt si adhuc solidi cibo sunt impares. Verum qui per tempus crescere debuit, si puer semper maneat, venia indignus est. Videamus enim Iesaiam reprobis hanc notam inure, quod pueris sint similes recens a mamma abstractis, cap. 28, 9. Doctrina quidem Christi tam pueris lac subministrat, quam adultis firmum cibum. Sed quemadmodum lacte nutricis alitur infans, nou ut semper a mamma pendeat, sed ut paulatim formetur ad robustiorem victum: sic etiam initio lac e scriptura sugendum est, et eius pane deinde vesca-mur. Caeterum ita inter lac et firmum cibum dis-cernit, ut sanam doctrinam utroque nomine intelligat. Sed aliter inchoantur rudes, aliter qui iam docti sunt confirmantur.

13. *Qui lactis est particeps.* Eos intelligit qui ob teneritudinem solidam adhuc doctrinam respuunt: nam alioquin a lacte non abhorret qui adultus est. Sed pueritiam sensus hic reprehendit, qua fit ut cogatur Deus perpetuo nobiscum balbutire. Tales ergo pueros negat esse idoneos ad percipiendum iustitiae sermonem: Iustitiae nomine perfectionem intelligens, de qua paulo post loquetur. Neque enim, meo iudicio, apostolus hic disputati-onem notat quomodo iustificemur coram Deo: sed simplicius accipit hoc nomen pro integritate cogitationis, quae nos ad perfectionem ducit. Quod officium attribuit evangelio Paulus, ad Coloss. cap. 1, 28, ac si diceret, eos, qui ruditati suae indulgent, a sincera Christi cognitione excludi. Et ideo infructuosam illis esse evangelii doctrinam, eo quod ad metam nunquam pertingunt, ac ne proprius quidem accedunt.

14. *Perfectorum vero, etc.* Perfectos vocat adul-tos. Nam infantibus opponit: quemadmodum prioris ad Corinthios capite 2, 6 et 14, 20: item ad Ephesios cap. 4, 13. Media enim ac virilis aetas, est quasi humanæ vitae status: sed figurate viros in Christo appellat qui spirituales sunt. Tales autem vult omnes Christianos esse, qui habitum quendam ex continuo usu contraxerint ad boni et mali discretionem. Neque enim aliter in veritato rite sumus edocti, quam si eius praesidio muniamur adversus Satanae mendacia. Nam et ideo gladius spiritualis dicitur. Et Paulus hunc sanæ doctrinæ usum notat quum dicit (Eph. 4, 14): Ne circum-feramur quovis vento, etc. Et sane qualis erit fides si inter verum et falsum suspensa nutet? Annon singulis momentis labefactari poterit? Nec conten-

tus meutem uno verbo dicere, sensus omnes ponit, ut ostendat nunquam cessandum esse, donee undique verbo Dei instructi armatique ad pugnandum simus, ne qua suis fallaciis Satan obrepatur. Atque hinc apparet qualis sit Christianismus in papatu, ubi non tantum simplicitatis nomino commendatur crassissima ignorantia: sed a solidao intelligentiae studio populus sevorissime arectur. Iudicare inquam promptum est quo spiritu agantur qui vix attingere permittunt quod assiduo tractari praecepit apostolus: qui laudabilem incuriam esse fingunt quam hic tantopere reprehendit: qui verbum Dei unieam recte discernendi regulam tollunt, quem hic discretionem pronuntiet Christianis omnibus esse necessariam. Apud quos vero diabolica illa prohibitione abrogata discendi viget libertas, tam audiendo quam legendo nihilominus est torporis. Ita exercitationis expertes, stupidi sumus, omnique iudicio vacui.

CAPUT VI.

1. Quare omisso sermone principi: Christi, ad perfectionem feramur, non iacentes rursum fundatum poenitentiae ab operibus mortuis et fidei in Deum, 2. (baptismatum doctrinae, et impositionis manu) et resurrectionis mortuorum, et iudicii aeterni.

1. Quare omisso, etc. Obiurgationi subiicit horationem, ut praeteritis initis progrediantur ad metam. Nam sermonem principii, prima tyrocinia vocat, quibus imbuendi sunt rudes dum recipiuntur in ecclesiam. Iubet autem omitti eiusmodi rudimenta: non quod eorum oblivisci unquam debant fideles, sed quia in illis minime est haerendum. Quod melius patet ex fundamenti similitudine quae mox sequitur. Nam in extrinseca domo nunquam a fundamento discedere oportet. In eo tamen iaciendo semper laborare, ridiculum. Nam quum fundamentum aedificii causa ponatur, qui in illius structura occupatus ad superficiem non transscendit, stulto et inutili se labore fatigat. Denique sicuti a fundamento inchoandum est, sic properare debet labor architecti ad domum erigendam. Similis est Christianismi ratio: nam in rudimentis quasi fundamur: sed continuo post sequi debet altior doctrina quae aedificium perficiat. Itaque praepostere faciunt qui subsidunt in primis elementis, quia nullum habent finem propositum. Ac si architectus totam operam in fundamento consumaret, relicta aedificandi cura. Ergo sic fidem nostram vult initio fundari, ut sursum se attollat, donec quotidianis incrementis tandem absolvatur.

Poenitentiae ab operibus mortuis. Hic respexit ad usitatam catechismi formulam. Unde probabilis conjectura sumi potest, epistolam hanc non

statim ab exordio promulgati evangeli scriptam esse, sed quum iam aliquam politiae rationem in ecclesiis constitutam haberent: ea erat ut catechumenus priusquam admitteretur ad baptismum, fidei suao confessionem ederet. Erant autem certa capita de quibus pastor catechumenum interrogabat: quemadmodum ex variis patrum testimoniosis constat. Praesertim de symbolo, quod apostolicum vocant, examen habebatur: ille primus quasi ingressus erat in ecclesiam iis, qui iam adulti Christo nomen dabant, quum prius alieni fuissent ab eius fido. Hunc moris ideo meminit apostolus, quia breve tempus catechumenis praefixum erat, quo ita initiaarentur in pietatis doctrina, quemadmodum pueros magister in alphabeto instituit, ut statim altius eos transmittat. Sed expendamus quae dicit. Poenitentiam et fidem nominat, quibus constat tota evangelii perfectio. Quid enim aliud apostolis suis mandat Christus, quam ut fidem et poenitentiam praedicent? Itaque quum testari vult Paulus se officio suo fideliter esse perfunctum, suam in his duobus inculcandis diligentiam et assiduitatem allegat. Absurdum ergo videtur quod apostolus poenitentiam et fidem omitti iubet, in quibus pergendum erat toto vitae cursu. Verum quum addit, ab operibus mortuis, significat se de initiali poenitentia loqui. Tametsi enim omne peccatum est opus, vel quia mortem generat, vel quia ex spirituali animae morte procedit: tamen fideles qui iam spiritu Dei renati sunt, non dicuntur proprie resipiscere ab operibus mortuis. Regeneratio quidem in illis est inchoata: sed quamlibet exiguum novae vitae semen hoc saltem facit ut non amplius mortui censeantur coram Deo. Ergo non generaliter totam poenitentiam comprehendit apostolus, cuius meditatio usque ad finem vigere debet: sed initium tantum poenitentiae notat, quo auspicantur vitae novitatem qui nuper, imo iam primum ad fidem conversi sunt. Ita et fidei nomen breve illud compendium significat pietatis doctrinae quod vulgo articulos fidei nominant. Huc pertinet mortuorum resurrectione, et iudicium aeternum. Sunt enim haec ex suminis coelestis sapientiae mysteriis: imo hic totius religionis nostra scopus est, ad quem tota vita intenti esse debemus. Verum quia res eadem aliter rudibus traditur, aliter iis qui iam aliquantum profecerint: apostolus vulgarem interrogandi ritum notat: Credisne mortuorum resurrectionem? credis vitam aeternam? Haec pueris convenient: et quidem semel. Ergo ad ea iterum revolvi, nihil aliud quam retrocedere est.

2. Baptismatum doctrinae. Aliqui disiunctim legunt baptismatum, et doctrinae. Ego coniunctim malo: quamquam secus interpretor quam alii, nempe ut sit apposito quam grammatici vocant, hoc sensu, Non iacentes rursus fundamentum poe-

nitentiae, fidei in Deum, mortuorum resurrectionis: quae doctrina est baptismi et impositionis manum. Itaque si parenthesis includas haec duo membra, baptismatum doctrinæ et manuum impositionis, contextus melius fluet. Nisi enim appositive legas, hoc erit absurdum quod bis idem repetot. Quae enim baptismalis est doctrina, nisi quam hic recenset de fide in Deum, de poenitentia, et de iudicio, ac similibus? Caeterum baptimos plurali numero Chrysostomus dici putat, quia priorem baptismum, redeundo ad principia, quodammodo abolerent. Cui ego non assentior: neque enim pluribus baptismis destinata est haec doctrina: sed baptimos nominat solennes ritus vel statos baptizandi dies. Manum impositionem cum baptismo coniungit: quia ut duo erant catechumenorum ordines, ita duplex erat caeremonia. Nam qui erant extranei, non ante perveniebant ad baptismum quam edita fidei professione. In illis ergo catechesis baptismum praecedere solebat. At liberi fidelium, quoniam ab utero adoptati erant, et iure promissionis pertinebant ad corpus ecclesiae, infantes baptizabantur: transacta vero infantia, postquam instituti erant in fide, se quoque ad catechesin offerebant, quae in illis baptismio erat posterior. Sed aliud symbolum tunc adhibebatur, nempe manum impositionis. Hie unus locus abunde testatur huius caeremoniae originem fluxisse ab apostolis: quae tamen postea in superstitionem versa fuit: ut mundus semper fere ab optimis institutis ad corruptelas degenerat. Fixerunt enim esse sacramentum quo spiritus regenerationis conferatur. Quo figmento baptismum lacerarunt: nam quod erat eius proprium, ad impositionem manum transtulerunt. Sciamus ergo, a primis autoribus institutum fuisse ut esset solennis precandi ritus, quemadmodum etiam Augustinus nuncupat. Fidei quidem professionem, quam adolescentes pueritiam egressi edebant, voluerunt approbare hoc symbolo: sed nihil minus cogitarunt quam vim baptismi disceperere. Qnamobrem hodie retinenda pura institutio est: superstitione autem corrigenda. Atque hic locus ad paedobaptismi approbationem facit. Quorsum enim eadem doctrina in aliis vocaretur baptismi doctrina, in aliis vero impositionis manum, nisi quia posteriores accepto iam baptismio in fide erudiebantur: ut non aliud restaret quam illis manus imponere?

3. *Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.*
 4. *Nam impossibile est eos, qui semel fuerunt illuminati, gustaveruntque donum coeleste, et participes facti fuerunt spiritus sancti, 5. ac gustarunt bonum Dei verbum, virtutesque futuri saeculi, 6. et prolapsi sunt: iterum renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibi ipsis filium Dei, et ostentui habentes.*

3. *Hoc faciemus.* Horribilis est ista denuntiatio: sed ita fulminat apostolus, no Iudaei, dum sibi nimium indulgent in sua oscitantia, Dei gratiae illudant. Ac si diceret, non esse hic procrastinandum, quia non semper futura sit progrediendi opportunitas. Neque enim hoc in hominis manu positum, ut quoties libnorit, a carcerebus ad metam transsiliat: sed singulare esse Dei donum cursus nostri confectionem.

4. *Nam impossibile.* Hic locus occasionem multis praebuit repudiandæ epistolæ: praesertim quum inde se armarent Novatiani ad negandam lapsis veniam. Ideo Occidentales potius fidem epistolæ abrogarunt, quod illis infesta erat Novati secta: nec tantum valebant doctrina, ut refellendo argumento pares forent. Sed patefacta apostoli mente, mox patebit nihil hic esse quod tam deliro errori suffragetur. Alii quibus sancta erat epistolæ autoritas, dum absurditatem conantur diluere, nihil quam cavillis effugiunt. Nam impossibile nonnulli pro raro et arduo accipiunt: quod a verbi significatione longe est alienum. Plures ad poenitentiam restringunt, qua solebant in veteri ecclesia catechumeni ad baptismum praeparari. Quasi vero apostoli iciunium aut tale quiddam baptizandis indicerent. Deinde quid magnum diceret apostolus, si negaret iterari poenitentiam quae baptismi est appendix? Severissimam Dei vindictam omnibus minatur qui receptam semel gratiam abiecerint. Ad incutendum securis et oscitantibus terrorem quid haberet haec sententia gravitatis, si admoneret primæ poenitentiae non esse amplius locum? hoc enim ad quodvis delicti genus pateret. Quid ergo dicendum est? Nam quum omnibus sine exceptione Dominus spem misericordiac faciat: absurdum est, quemquam omnino ulla de causa arceri. Nodus huius quaestions est in verbo: *prolapsi sunt.* Ergo quisquis vim eius intellexerit, facile se omni difficultate expediet. Porro notandum est, duplicum esse lapsum: alter est particularis, alter universalis. Qui in specie aliqua, aut etiam pluribus modis deliquit, a christiani hominis statu lapsus est. Itaque omnia peccata totidem sunt lapsus. Verum apostolus non de furto, aut periurio, aut caede, aut ebrietate, aut adulterio hic disputat: sed notat universalem ab evangelio defectionem, ubi non una aliqua in parte Deum offendit peccator, sed eius gratia se penitus abdicat. Atque ut hoc melius intelligatur, subaudienda est antithesis inter Dei gratias quas recensuit, et hunc lapsum. Labitur enim qui deficit a verbo Domini, qui lucem eius extinguuit, qui se gustu doni coelestis privat, qui participationem spiritus deserit. Hoc autem est in totum Deo renuntiare. Nunc videmus quosnam a spe veniae excludat: nempe apostatas, qui se a Christi evangelio quod prius amplexi erant, et a Dei gratia aliena-

runt: quod nemini contingit quin peccet in spiritum sanetum. Nam qui secundam legis tabulam violat, vel primam ignorantia transgreditur, nondum rons est huius defectionis: nec certe Deus alios ita gratia sua spoliat nisi reprobos, ut illis nihil faciat residuum. Si quis roget cur talis apostasiae mentionem hic faciat apostolus, quum fideles compellent qui procul aberant a tam scelerata perfidia: respondeo, mature ab eo indicari periculum, ut sibi praecaveant. Quod notatu operaepretum est: nam quum a recta via deflectimus, non tantum exensamus ad alios nostra vitia, sed nobis quoque ipsis imponimus. Furtim Satan obrepit, sensim nos allicit clandestinis artibus: ita ut errando nesciamus nos errare. Ita gradatim delabimur, donec tandem ruimus praecipites. Hoc quotidie animadvertere in multis licet. Proinde non immerito apostolus omnibus Christi discipulis praedicit, ut sibi in tempore eaveant: nam diuturnus torpor fere veterum generat, quem sequitur mentis alienatio. Caeterum obiter notandum est quibus elogiis evangelii cognitionem insigniat. Vocat illuminationem: unde sequitur, caecos esse homines donec Christus, qui lux est mundi, illis affulgeat. Vocat gustum doni coelestis: quo significat, supra naturam et mundum esse quae nobis in Christo conferuntur: et tamen fide gustari. Vocat participationem spiritus: quia is est qui unicuique distribuit prout vult quidquid est lucis et intelligentiae: sine quo nemo potest dicere Dominum Iesum, qui nobis aperit oculos mentis, qui patefacit Dei arcana. Vocat gustum boni Dei verbi: quo significat, non quovis modo illic manifestari Dei voluntatem: sed quae suayiter nos delectet. Denique hoc epitheto notatur discriumen legis evangelii: quoniam illa nihil praeter severitatem et iudicium continet; hoc autem suave est divini erga nos amoris et paternae indulgentiae testimonium. Vocat postremo gustum virtutum futuri saeculi: quo significat nos fide quasi admitti in regnum coeleste, ut beatam immortalitatem, quae sensus nostros latet, spiritu cernamus. Sciamus ergo evangelium non aliter rite cognosci quam illuminatione spiritus: et ita ut e mundo abducti erigamur in coelum, et agnita Dei bonitate in eius verbum recumbamus. Sed hic oritur nova quaestio, qui fieri possit ut qui semel eo pervenerit, postea cadat. Neque enim Dominus efficaciter vocat nisi electos: et Paulus testatur (Rom. 8, 24) vere esse eius filios qui aguntur eius spiritu: docetque hoc certum esse pignus adoptionis, si quem spiritus sui partipem Christus fecerit. Atqui electi suot extra exitialis lapsus periculum. Pater enim qui eos Christo filio servandos dedit, maior omnibus est: et Christus curae sibi omnes fore promittit ne quis pereat. Respondeo, solos quidem electos Dei spiritu regenerationis dignari:

et in hoc discerni a reprobis, quia reformatur ad illius imaginem, et arrham spiritus accipiunt in spem futurae haereditatis, et eodem spiritu obsignatur in eorum cordibus spiritus accipiunt in spem futurae haereditatis, et eodem spiritu obsignatur in eorum cordibus evangelium. Sed hoc obstare nego quominus reprobos etiam gusto gratiae suae aspergat, irradiet eorum mentes aliquibus lucis suae scintillis, afficiat eos bonitatis suae sensu, verbumque suum uteunque eorum animis insenlpatur. Alioqui ubi esset illa temporaria fides cuius meminit Marcus (4, 17)? Est igitur aliqua etiam in reprobis cognitio quae postea evanescit: vel quia minus altas radices quam oportebat egit, vel quia suffocata degenerat. Atque hoc fraeno in timore et humilitate nos Dominus retinet: et certo videmus quam proclive alioqui sit humanum ingenium ad securitatem stultamque confidentiam: quamquam talis debet esse nostra solicitude quae conscientiae pacem non turbet. Nam Dominus simul fidem in nobis eriit, et carnem domat: ideoque illam vult tranquillam quasi in tuto portu manere et quiescere: hanc exercet variis certaminibus ne otio laseviat.

6. *Renovari ad poenitentiam.* Tametsi durum hoc videtur, non est tamen cur Deum insimulet crudelitatis quisquis talentum dat defectionis suae poenam. Neque hoc pugnat cum aliis scripturarum locis, ubi Dei misericordia peccatoribus offertur simul atque ingemuerint. Illuc enim requiritur poenitentia, qua nunquam vere tangitur qui ab evangelio prorsus semel defecit. Tales enim Dei spiritu privati ut merentur, coniiciuntur in sensum reprobum, ut diabolo mancipati rueri in suum exitium pergent. Ita fit ut non desinant aliud ex alio peccare, donec obstupefacti Deum contemnant, vel desperatorum in morem furiose oderi. Hunc habent exitum omnes apostatae, ut vel stupore percussi nihil timeant: vel Deum exsecrarent iudicem, quia fugere nequeunt. Denique admonet apostolus, poenitentiam non esse in hominis arbitrio: sed iis a Deo solis dari qui non prorsus exciderint a fide. Quae admonitio perquam nobis utilis est, ne in crastinum subinde differendo, magis ac magis nos a Deo alienemus. Hic quidem proverbialis ludunt impii: satis fore si inter ultimos spiritus ipsos sceleratae vitae poeniteat. Sed quum eo ventum est, diris conscientiae tormentis excruciat, documento sunt quam non vulgare sit opus hominis conversio. Ergo quum Dominus nullis veniam promittat nisi qui ab iniuitate resipiscunt: non mirum est si pereant qui vel desperatione, vel contemptu fuerunt obstinati in suum interitum. Quod si quis a lapsu resurgit, inde colligendum est, a defectione abfuisse, quamlibet graviter alias peccarit.

Kursum crucifigentes sibi. Hoc quoque addit, ut Dei severitatem vindicet ab hominum calumniis

Est enim indignum ut Deus ignoscendo defectoribus, filium suum ludibrio exponat. Indigni ergo sunt qui misericordiam consequantur. Porro haec ratio est cur iterum dicat Christum crucifigi, quia nos hac conditione illi commorimur, ut meditemur perpetuam vitae novitatem. Qui ergo in mortem re eidunt, opus habent secundo sacrificio: ut capite decimo habebimus. Crucifigentes sibi, hoc est quantum in se est. Nam hoc fieret, quasique in triumpho traduceretur Christus, si hominibus liberum esset, post defectionem ad eum redire.

7. *Si quidem terra, quae imbre saepius in sequentem combabit, et progignit herbam commodam iis opera quorum et colitur, recipit benedictionem a Deo.*
 8. *At quae produxerit spinas et tribulos, reproba est, et obnoxia maledictioni, cuius exitus tendit ad combustionem.*
 9. *Caeterum persuasimus nobis de vobis dilecti, quae sint iis meliora, et cum salute coniuncta: tametsi sic loquamur.*
 10. *Non enim iniustus est Deus, ut obliviouscatur operis vestri, et laboris in caritatem impensi: quam ostendistis erga nomen eius, dum ministrasitis sanctis, et ministratis.*

7. *Si quidem terra.* Aptissima similitudo ad excitandum mature proficiendi studium. Nam sicut terra bonam segetem proferre in messe nequit, nisi mox semente facta germinaverit: ita si pervenire ad bonam frugem volumus, simulatque verbum suum serit Dominus, radices in nobis agere debet quae statim emergant. Neque enim sperandum est ut fructificet, si vel suffocatur vel degenerat. Sed quemadmodum valde propria est similitudo: ita prudenter ad institutum apostoli accommodanda est. Terra, inquit, quae pluviam sugendo, statim a satione non degenerem herbam profert, Dei benedictione tandem ad segetis maturitatem perducitur. Ita qui concipiunt evangelii semen in cordibus suis, et genuinam inde herbam proferunt, semper augescent in melius, donec maturum fructum edant. Ex adverso, terra, quae post eulturam et irrigationem nihil affert praeter spinas, spem nullam messis relinquit: imo quo magis crescit quod illic natum est, eo magis est desperata. Ideo unicum remedium est, ut vitiosis ac inutilibus herbis cultor ignem subiiciat. Ita qui evangelii semen corrumpunt vel torpore suo, vel pravis affectibus, ut nullum boni profectus signum in vita sua edant: se reprobos esse ostendunt, ut nulla inde messis speranda sit. Non ergo hic de solo evangelii fructu apostolus disputat: sed exhortationem suam proseguitur ut prompto alacrique animo amplectamur evangelium. Deinde ut mox post sementem factam herba apparet. Tertio, ut quotidianas sequatur incrementum, βοτάνην εὐθέτον, alii opportunam vertunt, alii commodam. Utraque significatio convenit: sed prior

ad tempus, posterior ad qualitatem referenda erit. Sensus allegoricos, quibus hic ludunt interpres, omitto, quia a monte scriptoris procul absunt.

9. *Persuasi autem sumus.* Quia superiores sententiae quasi fulmina fuerunt, quibus examinari poterant lectors, temperanda fuit illa asperitas: ideo nunc dicit non ita se loquutum, quasi talem de ipsis opinionem conceperit. Et certo quisquis docendo prodesse cupit, sic tractare debet suos discipulos, ut animum illis semper addat potius quam diminuat. Nihil enim est quod nos magis alienet ab audienda doctrina, quam dum videmus nos haberi pro desperatis. Testatur ergo apostolus se ideo monere Iudeos, quia de illis bene speret, atque ad salutem adducere cupiat. Hinc colligimus, non reprobos tantum aspere et acri vehementia obiurgandos esse, sed electos quoque ipsos, et quos in filiis Dei censemus.

10. *Non enim iniustus.* Hacc verba tantundem valent ac si diceret, ex bonis principiis se bonum finem sperare. Sed hinc nascitur difficultas, quod videtur hominum officiis Deum obstringere. Ego, inquit, de salute vestra sum persuasus, quia Deus operum vestrorum non potest obliviouscari: hoc modo videtur eorum salutem in operibus fundare, et Deum statuere illis debitorem. Sophistae etiam, qui operum merita opponunt Dei gratiae, exagitant hanc partem, Non est iniustus Deus. Nam inde colligunt iniustum fore nisi praemium aeternae salutis operibus rependat. Ego breviter respondeo, apostolum non hic ex professo disputare quaenam sit salutis nostrae causa. Ideo non debere ex hoc loco iudicium fieri de operum meritis, neque hinc posse statu quid operibus debeatur. Scriptura ubique non aliud salutis fontem ostendit quam gratuitam Dei misericordiam. Quod autem passim Deus mercedem operibus promittit, pendet id a gratuita promissione qua nos adoptat in filios, nosque sibi reconciliat, peccata non imputando. Merces ergo reposita est operibus, non ex merito, sed mera Dei liberalitate. Quamquam ne haec quidem liberalis operum retributio locum habet nisi postquam Christi beneficio recepti sumus in gratiam. Hinc colligimus, Deum non solvere nobis quod debeat, sed praestare fidem ultro datam: et ideo praestare, quoniam et nobis et nostris operibus ignoscatur: imo non tam opera intuetur, quam suam in operibus gratiam. Hinc fit ut non obliviouscatur operum, quia se et opus spiritus sui in illis agnoscit. Haec etiam est iustitia quam apostolus intelligit, quia se ipsum non potest abnegare. Itaque respondet hic locus Pauli sententiae: Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet (Philipp. 1, 6). Quid enim aliud reperiet in nobis Deus quo provocetur ad nos amandos, nisi quod prius nobis contulit? In summa, falluntur sophistae, qui mutuam relationem imaginantur

inter Dei iustitiam et operum nostrorum merita: quum potius se et sua dona respiciat Deus, ut prosequatur usque in finem quod sponte, nullo nostro officio provocatus, in nobis cooptet. Haec inquam Dei iustitia est in compensandis operibus, quia fidelis est ac verax: se autem nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accepido, sed omnia liberiliter promittendo, ut Augustinus inquit.

Laboris in caritatem. Ad verbum est, labor caritatis: quo nomine significat labori non esse parendum, si officiosi esse volumus erga proximos. Neque enim peccuua modo iuvandi sunt, sed consilio, opera, et rebus variis. Multa igitur adhibenda est scelus, devorandae multae molestiae, subeunda etiam interdum multa discribina. Ita qui se volet excere in officiis caritatis, ad laboriosum vitae genus se comparat. Caritatem eorum probat ex eo quod sauctis ministravorint, ac minisirent. Unde admonemur non esse recusandum quin fratribus nostris serviamus. Quum sanctos exprimit, non significat his solis nos esse debitores: caritas enim nostra patore et diffundi ad uiversum humanum genus debet. Sed quia nobis praecepue commendantur domestici fidei, horum peculiaris habenda est cura. Nam quum caritas ut ad benefaciendum provocetur, partim Deum respiciat, partim communem naturam: quo propius quisque ad Deum accedit, eo dignior est qui a nobis iuvetur. Denique ut quemque agnoscimus Dei filium, ita fraterno eum amore amplecti decet. Quum dicit, ministrasse et adhuc ministrare, perseverantiam laudat, quae hac in parte maxime necessaria est. Nihil enim proclivius est quam benefaciendo fatigari. Itaque quum satis multi reperiantur prompti ad iuvandos fratres: adeo tamen rara est virtus constanza, ut bona pars mox quasi refrigerato calore flaccescat. Atqui vel haec una vox assidue stimulare nos debebat, quum testatur apostolus, caritatem, quae exhibetur sanctis, ostendi erga nomen Domini. Nam significat Deum nobis acceptum ferre quidquid impendimus proximis: secundum illam sententiam, Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis (Matth. 25, 40). Item, Qui largitur pauperi, foeneratur Domino. (Prov. 19, 17.)

11. *Desideramus autem unumquemque vestrum idem ostendere studium ad certitudinem spei usque in finem,* 12. ne segnes reddamini: sed potius imitatores eorum qui per fidem et patientiam haereditario obtulerunt promissiones. 13. *Abrahae enim promittens Deus, quandoquidem maiorem, per quem iuraret, non habebat, iuravit per se ipsum,* 14. dicens: *Nisi benedicens benedixeris tibi, et multiplicavero te.* 15. *Atque ita quum patienter easpectasset, consequutus est promissionem.*

11. *Desideramus autem, etc.* Quomadmodum laudes permiscent exhortationi, no immodeo exasperaret corum animos: ita ne quid assentationis habeat illa comitas, libero quid adhuc illis dosit, admonet. Caritatem, inquit, vestram multis experimentis testamat fecistis; superest tamen ut fides respondeat. Sedulo ne decessent hominibus vestra officia, laborastis: sed non minore studio incumbere vos doceat ad fidei profectum, ut firmam plenariae eius certitudinem approbetis Deo. Atquo bis verbis ostendit apostolus duas esse Christianismi partes quae duabus legis tabulis respondeant. Itaque qui alteram ab altera separat, nihil habebit nisi mulsum et lacerum. Atque hinc appareat quales sint magistri qui praeterita fidei mentione, solam urgent innocentiam et probitatem erga homines. Haec inquam profana est philosophia, quae in externa iustitiae larva subsistit. Si tamen philosophia dici meretur, quae adeo perperam officia sua distribuit, ut Deum qui primas touebat, iure suo fraudet. Meminerimus ergo, non aliter constare suis partibus christianam vitam, quam si studium nostrum in fidem simul et caritatem conferamus.

Ad certitudinem spei. Qua fidem christianam professi, variis opinionibus distrabebantur, vel multis adhuc superstitionibus impliciti erant: iubet in certa fide ita esse fixos, ut amplius non vacillent, nequo suspensi inter alternos dubitationum ventos agantur. Omnibus tamen commune est hoc praeceptum. Nam ut stabilis est Dei veritas: ita fidem quae illi innititur, ut vera sit, certam et omni dubitatione superiorum esse oportet. Haec est πληροφορία, indubia scilicet persuasio, ubi secum pia mens constituit, fas non esse vocare in controversiam, quae Deus, qui fallere aut mentiri nequit, loquutus est. Spei nomen hic pro fide capitur, propter affinitatem. Videtur tamen data opera apostolus posuisse, quia de perseverantia sermo erat. Hinc etiam colligere licet quantum a fide distet generalis illa apprehensio, quae impiis etiam et diabolis communis est. Nam et illi Deum esse credunt iustum et veracem: nihil tamen inde concipiunt bonae spei, quia paternam eius gratiam in Christo non apprehendunt. Sciamus ergo veram fidem cum spe semper coniunctam esse. Dicit, usque in finem, vel perfectionem: ut sciант nondum se metam attigisse, ideoque de ulteriore progressu cogitent. Meminit studii, ut sciант non segniter desidendum esse, sed serio nitendum. Neque enim parva res est, supra coelos condescendere, praesertim vix humi repellantibus. Accedunt innumera obstantia. Nihil vero difficilius quam mentes in coelo tenere elevatas, quum tota naturae nostrae vis deorsum inclinet, et nos infinitis machinis Satan in terram retrahat. Ideo segnitiem vel mollitiem animi cavere praecepit.

12. *Sed imitatores eorum.* Torpori hanc imita-

tionem opponit. Ergo perinde est ac si diceret constanti animi alacritate opus esse. Sed hoc longe plus habet poulderis, quin admonet, patres non nisi invicta fidei fortitudine compotes promissionum esse factos. Nam exempla rem nobis melius exprimunt. Si nuda doctrina proponeretur, non ita afficeret, quemadmodum ubi cernimus in persona Abrahæ impletum quod a nobis exigitur. Porro exemplum Abrahæ adducitur: non quia unicum sit, sed quia præ alias illustre. Habuit enim Abraham hoc commune cum omnibus piis: sed non immerito constitutus fuit pater fidelium. Quare non mirum est si eum peculiariter apostolus deligat ex omnibus in quem lectorum oculos convertat, ubi de clarissimo fidei speculo agitur. Fides et patientia per hypallagen, pro fide constanti, et quae patientiam comitem secum habet. Nam fides primum requiritur: sed quia multi qui fidem initio mirificam præ se tulerant, mox fatiscunt, vera fidei non fluxae nec evanidae probatio est tolerantia. Quum fide obtineri dicit promissiones, tollit opinionem meritorum: sed multo id clarius quum dicit, haereditate obvenire. Neque enim alio quam adoptionis iure haeredes sumus.

13. *Abrahæ enim.* Vult probare, frustra nobis offerri Dei gratiam, nisi fide amplexi promissionem, patienter eam foveamus in cordis nostri sinu. Probat autem hoc argumento, quia quum Deus immensam Abrahæ sobolem pollicitus est, videri poterat res incredibilis. Sara toto vitae suae decursu sterilis fuerat: ambo ad effoetam senectutem pervenerant: quum sepulcro fere propiores essent quam thoro coniugali, nullus esset ad generandum vigor, Saræ vulva, quae vegeta aetate sterilis fuerat, iam esset emortua: quis crederet gentem ex illis prodituram quae numerum stellarum aequaret, ac par esset arenas maris? Id vero abhorrebat ab omni ratione. Abraham nihilominus exspectat: nec frustrationem veretur, quamdiu ab ore Dei pendet. Notanda ergo est ista temporis circumstantia, ut constet apostoli ratiocinatio. Atque buc pertinet quod subiicit, compotem huius benedictionis esse factum: sed postquam exspectasset quod nemo putasset unquam fore. In hunc modum danda est Deo gloria, ut quieti speremus quod nondum sensibus nostris ostendit: sed occultat et in longum tempus differt, quo nostra tolerantia exerceatur. Cur Dens per se ipsum iuret, statim videbimus. Quid valeat haec iurandi formula, Nisi benedicens benedixero, exposuimus in tertium caput. Neque enim exprimitur hic Dei nomen, sed subaudiendum est: quia nisi praestet quod promittit, se veracem non habendum testatur.

16. *Nam homines quidem per eum iurant qui maior est, et omnis ipsis controversia finis est ius-*

iurandum, in confirmationem. 17. In quo Deus volens uberius ostendere haeredibus promissionis immutabilem consilii sui firmitudinem, interposuit iuriandum: 18. Ut per duas res immutabiles, in quibus impossibile sit Deum mentiri, validam consolationem habeamus nos qui confugimus ad obtainendum propostam spem, 19. quam velut ancoram habemus tutam et firmam, et quae ingreditur ad ea quae intra velum sunt: 20. quo praecursor noster ingressus est Jesus, secundum ordinem Melchisedee, factus in aeternum pontifex.

16. *Nam homines.* Argumentatur a minori ad maius, Si homini, qui natura mendax est, iuranti habetur fides, quia intercedit confirmatio per Dei nomen: quanto plus fidei meretur Deus ipse qui aeterna est veritas, quum per se ipsum iurat? Pluribus autem verbis exornat hanc sententiam. Ac primum quidem dicit, homines iurare per maiorem. Quo significat, eos, quia iusta autoritate apud se carent, aliunde mutuari. Addit tantum religionis subesse iuramento, ut ad confirmationem sufficiat, finemque imponat omnibus controversiis, ubi desunt hominum testimonia et aliae probationes. Ergo quem omnes testem advocant, annon sibi ipse idoneus erit testis? Qui sua autoritate dubitationem omnem tollit inter alios, annon suis dictus fidem faciet? si tantum habet praestantiae Dei nomen, hominis lingua pronuntiatum: quanto plus habere debet, ubi Deus ipsi per nomen suum iurat? Hoc quantum ad principalem causam. Sed hic obiter duo notanda sunt: iurandum esse per Dei nomen, quum usus postulat ut iuremus: deinde iuramentum Christianis permitti, quia legitimum est dirimendis litibus remedium. Iubet Deus claris verbis per nomen suum iurare: si admisceantur aliena nomina, iuris iurandi profanationem esse testatur. Huius rei tres potissimum sunt causae. Nam ubi nos proferenda in lucem veritatis deficit ratio: non alio eius asserenda causa fas est confugere quam ad Deum, qui ipse est aeterna veritas. Deinde quum solus sit cordium cognitor, eripitur illi suum officium, si in rebus occultis et quae hominum iudicium latent, provocamus ad alium iudicem. Tertio, quia iurando, non ipsum modo citamus testem, sed etiam obtestamus ut sit periurii vindex si fallimus. Quare non mirum est si tam vehementer excandescat adversus eos qui per aliud nomen iurant. Tantundem enim illi adimitur ex suo honore. Quod autem diversæ interdum formulae usurpantur in scriptura, nihil cum hac doctrina pugnat. Neque enim iurant per coelum et terram, quasi numen illis aliquod deferrant, vel minimam divinitatis partem illis attribuant: sed haec obliqua (ut ita dicam) obtestatione in unum Deum respiciunt. Sunt enim variae obtestationis species. Praecipua illa, dum iudicem

appellamus, et recta provocamus ad eius tribunal. Altera est, dum nominamus res maxime nobis caras, ut vitam nostram, aut caput, aut aliquid simile. Tertia, dum creaturas statuimus testes coram Deo. Sed his omnibus modis proprio non per alium quam per Deum iuratur. Quare suam improbitatem non minus quam insectiam produnt qui licitum esse contendunt, sanctos mortuos Deo adiungere, ut ius illis puniendi doferatur. Præterea hic locus (ut dictum est) docet aliquem inter Christianos iuris iurandi usum esse legitimum. Quod observandum est contra homines fanaticos qui regulam sanete iurandi quam Deus lege sua præscripsit, libenter abrogarent. Nam apostolus certe hic de ratione iurandi tanquam de ro pia et Deo probata disserit. Porro non dicit olim fuisse in usu, sed adhuc vivere pronuntiat. Sit ergo hoc subsidium a sacerdotiis voritatis ubi nos aliae probationes deficiunt.

17. *Deus volens uberiorius.* En quam indulgenter, ut optimum patrem deceat, se Deus accommodet nostrae tarditati. Quia nos videt simplici suo sermoni non aquiescere, ut eum plenius sanciat in cordibus nostris, addit iusurandum. Unde etiam apparet quantopere nostra intersit, tantam exstare certitudinem eius erga nos benevolentiae, ut nulla sit amplius vacillandi aut trepidandi occasio. Nam ut Deus vetat nomen suum nulla vel levi de causa sumi, severamque omnibus ultiōnem denuntiat qui eo temere abusi fuerint, ut reverentiam deferri præcipit eius maiestati: ita sibi in summo esse pretio ac honore docet. Necessaria ergo res est salutis certitudo, cuius fulcienda causa iurare dignatur is qui temere iurare prohibet. Atque etiam hinc colligere licet quanti sit illi nostra salus: cui ut consulat, non modo incredulitati nostrae ignoscit, sed iure suo cedens, nobisque longe plus tribuens quam oportuerat, comiter medetur.

Haeredibus. Videtur peculiariter designare Iudeos. Tametsi enim ad gentes quoque tandem pervenit haereditas, illi tamen sui et primi legitimi que haeredes fuerunt: hi autem extranei et secundi, ac praeter ius naturae facti. Sic Petrus Act. 2, 29, Iudeos alloquens in prima sua concione; vobis, inquit, et filiis vestris facta est promissio, et iis qui longe sunt quos Dominus advocaverit. Adventitiis quidem haeredibus reliquit locum, sed Iudeos statuit in primo ordine. Quemadmodum et capite 3, 25: vos estis filii prophetarum et testamenti, etc. Sic et hoc loco apostolus, ut promptiores habeat Iudeos ad recipiendum foedus, eorum maxime causa iure iurando interposito sancitum fuisse docet. Quamquam hodie ad nos quoque pertinet haec sententia: quia in locum ipsorum incredulitate relatum sumus ingressi. Observa consilium Dei vocari, de quo nobis testimonium in evangelio redditur. Ne quis dubitet hanc doctrinam ex intimo

Dei affectu esse depromptam. Sed potius certo statuant fideles, quoties audiant evangeliū vocem, promulgari sibi arcānum Dei consilium quod apud eum latebat: atque hinc palam fieri quid de salute nostra ante mundi creationem decreverit.

18. *Per duas res immutabiles.* In Deo tam dicere quam iurare, immutabile est: hominum longe alia esset ratio. Facit enim eorum vanitas ut parvum firmius sit eorum sermo. At Dei sermo his elogiis ornatur, quod purus sit et castus similis auro septies purgato. Quin et Balaam quum profensus hostis esset, testimonium hoc illi reddere cogitur: non est Deus similis filiis hominum qui mentiatur: nec instar hominum ut variet. Dicit ergo, et non faciet? loquutus est, et non implebit? Nume. 23, 19. Ergo sermo Dei certa est veritas, οὐτὶς ἀβύσσιος: quum vero additur iusurandum, quasi cumulus ad plenam mensuram accedit. Hinc nobis valida consolatio, quod Deus qui fallere loquendo non potest, promittere non contentus, etiam iurat.

Nos qui configimur. Hoc verbo significat, non aliter Deo vere nos fidere, quam dum praesidiis omnibus aliis destituti ad solidam eius promissionem configimus, et statuimus illic nobis unicum asylum. Ergo in participio καταρρέετε, exprimitur nostra inopia et necessitas: quia non configimus ad Deum nisi ea coacti. Sed quum addit, ad propositam spem, significat non procul quaerendum esse sub-sidium quo indigemus, quia Deus sponte occurrat, et nobis quasi in manum porrigat fidendi materiam, Sicuti autem hac sententia animare voluit Iudeos ad amplectendum evangelium, ubi illis salus offerebatur: ita incredulis excusationem sustulit qui tam præsentem gratiam respuerent. Et certe hoc verius dici potuit post evangeliū revelationem quam in promulgatione legis. Non est quod dicas amplius: quid adscendet in coelum, aut quis descendet in abyssum, aut quis traiicit mare? prope est verbum in ore tuo et in corde tuo (Deut. 30, 12; Rom. 10, 6). Cacterum in vocabulo spei est metonymia, effectus enim pro causa accipitur. Nam ego promissionem intelligo cui spes nostra innititur. Neque enim iis assentior qui spem accipiunt pro re sperata: imo et hoc simul addendum est, non loqui apostolum de promissione nuda vel in aere suspensa, sed quae fide a nobis recipitur: aut si mavis uno verbo, spes hic significat promissionem fide apprehensam. In verbo χρητῆσαι, sicut in nomine spei, candem quam prius constantiam notat.

19. *Quam veluti ancoram.* Elegans similitudo, dum fidem verbo Dei innixam ancorae comparat. Nam certe quamdiu peregrinamur in hoc mundo, non stamus in firma terra: sed quasi in medio mari, et quidem valde turbulentio fluctuamur. Diabolus enim innumeratas procellas excitare non cessat,

quae navem nostram protinus overterent ac submergorent nisi anchoram in fundo penitus figeremus. Neque enim usquam oculis nostris statio apparet: sed quaquaversum so extendant sensus nostri, sola aqua se ostendit, imo undae etiam insurgunt ac miuantur. Quemadmodum autem anchora per medias aquas proiecitur in locum obscurum et abditum, et dum illie latet, navem fluctibus expositam retinet in statu ne obruvatur: ita in Deo invisibili spes nostra figenda est. Hoc interest, quod anchora in mari deorsum iacitur, quia fundum in terra habet: spes autem nostra sursum attollitur et evolat, quia in mundo nihil cui insistat, reperit: nec baerere debet in creaturis, sed in solo Deo quiescit. Quemadmodum autem funis, ex quo pendet anchora, per longum et caecum intervallum navem ipsam coniungit cum terra: sic Dei veritas ad nos cum ipso colligandos vinculum est, ut nulla locorum distantia, nulla caligo impedit quominus illi adhaereamus. Sic cum Deo colligati, etiam si conflictandum nobis sit cum assiduis procellis, sumus tamen extra naufragii periculum. Ideo dicit, anchoram hanc tutam esse ac firmam. Fieri enim potest ut fluctuum impetu aut revellatur anchora, aut rumpatur funis, aut navis concussa dissipiat. Hoc in mari accidit. Sed alia est Dei virtus ad nos fulcierendos, alia est vis spei, alia verbi eius firmitas.

Qui ingreditur ad ea. Quemadmodum diximus donec ad Deum perveniat fides, nihil nisi instabile et fluxum reperit. Ergo necesse est ut in coelum usque penetret. Sed quia negotium habet apostolus cum Iudeis, alludit ad vetus tabernaculum, ac dicit non debere in iis quae videntur, immorari, sed penetrare in ultima adyta quae post velum latent. Ac si diceret, superandas esse externas omnes ac veteres figuræ, ut fides in solo Christo sistatur. Et haec ratio diligenter notanda est: quia Christus coelum ingressus est, fidem nostram illuc quoque esse dirigendam. Num hinc docemur non alio coniiciendum esse fidei intuitum. Et certe frustra Deum in sua maiestate quaererent homines, quia nimis procul ab ipsis est remota: sed Christus nobis manum porrigit ut nos in coelum ducat: atque hoc etiam olim sub lege adumbratum fuit. Nam pontifex non suo tantum, sed populi etiam nomine in sanctum sanctorum ingrediebatur: utpote qui duodecim tribus quodammodo in pectore et humeris gestabat, quum in eorum memoriam contexti essent in pectorali duodecim lapides, et in duobus onychinis lapidibus insculpta essent super humeros, eorum nomina, ut in unius hominis persona omnes sanctuarium simul ingrederentur. Bene ergo apostolus quum pontificem nostrum coelos ingressum esse admonet: quia non sibi tantum ingressus est, sed nobis. Et ideo

timendum non est, ne clausus sit fidei nostræ cœlorum additus, quae a Christo nunquam disiungitur. Quia autem nos praeuentem Christum sequi decet, ideo precursor vocatur.

CAPUT VII.

1. *Hic enim erat Melchisedec rex Salem, pontifex Dei altissimi, qui occurrit Abrahae revertenti a caede regum: et benedixit illi.* 2. *Cui et decimas ex omnibus impartitus est Abraham, qui primum quidem ex interpretatione dicitur rex iustitiae: deinde etiam rex Salem, quod est rex pacis:* 3. *sine patre, sine matre, sine genere, nec initium dierum, nec vitæ finem habens, sed assimilatus filio Dei manet sacerdos in perpetuum.*

1. *Hic enim erat.* Hactenus Iudacos stimulavit suis exhortationibus, ut attento expenderent quid valeat Christ comparatio cum Melchisedec. In fine proximi capituli, ut ex digressione illa rediret ad suum institutum, rursus citavit locum ex Psalmo. Nunc ergo sermonem, quem leviter attigerat, copiose prosequitur. Nam singulatim enumerat quae sint consideranda in Melchisedec, in quibus similis sit Christo. Porro mirum non est quod tam accurate in hoc sermone insistit. Non erat certe res vulgaris, in regione tot superstitionum corruptelis referta inveniri hominem qui purum Dei cultum tueretur. Erat enim hinc Sodomæ et Gomorrhæ, inde Chananaeis vicinus. Ita undique septus erat impiis hominibus. Deinde sic totus mundus ad impietatem prolapsus erat, ut vic credibile esset Deum alibi sincere coli quam in familia Abrahae. Nam huius pater et avus, apud quos summa integritas esse debuerat, iam pridem ad idolatriam degeneraverant. Ergo fuit hoc memorabilis, adhuc regem aliquem manere qui non tantum verae religioni serviret, sed obiret ipse munus sacerdotis. Et sane oportuit in eo, qui typus erat filii Dei, omnia esse praeclara. Christum vero fuisse hoc typo adumbratum patet ex psalmo. Neque enim hoc temere Davidi excidit: tu es sacerdos aeternus secundum ordinem Melchisedec: quin potius hac voce sublime mysterium ecclesiae commendatum fuit. Nunc singulas partes videamus, in quibus apostolus Christum ipsi Melchisedec facit similem. Prima similitudo est in nomine. Neque enim mysterio caret quod rex iustitiae vocatus est: quia et si hoc honoris tribuitur regibus qui moderate et ex aequitate dominantur: hic tamen titulus vere in solum Christum competit, qui non modo iustum imperium exercet ut alii, sed Dei iustitiam nobis communicat, partim dum efficit ut gratuita reconciliatione iusti censemur, partim dum nos renovat spiritu suo, ut pie sancteque vivamus. Ergo rex iustitiae dicitur ab effectu, quia in omnes suos iustitiam diffundit.

Unde sequitur, extra eius regnum nonnisi peccatum in hominibus regnare. Itaque Zacharias (2, 10), quum eum velut solenni Dei edicto in regni sui possessionem mittit, hoc elogio ipsum ornat: Laetare, filia Sion, ecce rex tunc venit tibi iustus: significans iustitiam quae alioqui nobis deest, adferri Christi adventu. Secundo similitudo quam apostolus notat, est in regno pacis. Hace vero pax fructus est illius iustitiae cuius meminit. Hinc sequitur, quaquaversum patet regnum Christi, illuc debore esse pacem: ut habetur Iesaiæ secundo et nono capite, ac similibus locis. Caeterum quum pax Hebreis etiam prosperum ac felicem statui significet, posset hoc loco sic accipi. Mihi tamen magis placet ut intelligatur pax interior quae conscientias tranquillas coram Deo et securas reddit. Huius autem boni praestantia satis pro merito aestimari nequit, nisi exadverso consideres quam miserum sit assidua inquietudine torqueri: quod necesse est nobis omnibus accidere, donec per Christum reconciliati Deo conscientias habenmus pacatas.

3. *Sine patre.* Ita malo quam ignoti patris. Expressius enim quiddam voluit dicere apostolus, quam genus Melchisedec obseurum fuisse vel ignotum. Nec me movet obiectio, quod ita non responderet figuræ veritas, quia patrem in coelis habeat Christus, matrem vero in terris. Nam apostolus uno verbo mentem suam mox explicat, ubi addit, sine genere. Eximit ergo ipsum Melchisedec a communi nascendi lege. Quo significat aeternum fuisse, ut recens eius origo in hominibus quaerenda non sit. Certum quidem est, a parentibus fuisse progenitum. Sed hic de eo tanquam privato homine apostolus non disputat: quin potius illum induit persona Christi. Itaque nihil aliud sibi in eo intueri permittit quam quod scriptura docet. Nam in omnibus, quae ad Christum pertinent, tractandis, ea adhibenda est religio, ut nihil sapiamus nisi ex verbo Domini. Nunc quum spiritus sanctus regem sui temporis praestantissimum inducens, de ortu eius taceat, nec postea mentionem ullam faciat mortis: nonne hoc perinde valet ac si commendata esset eius aeternitas? Quod autem in Melchisedec fuit adumbratum, vere in Christo exhibitum est. Ergo hac mediocritate contentos esse nos decet, quod dum scriptura Melchisedec talem nobis proponit, quasi qui nunquam vel natus sit, vel mortuus: velut in pictura demonstrat, nullum Christo esse nec principium nec finem. Caeterum hinc quoque discimus quanta requiratur in spiritualibus Dei mysteriis reverentia et sobrietas. Nam quod nusquam scriptum legitur, non tantum libenter ignorat apostolus, sed a nobis etiam nesciri vult. Et sane de Christo nihil ex sensu nostro temere proferre fas est. Atqui Melchisedec non hic in privata (ut aiunt) qualitate, sed quatenus sacer est

Christi typus, consideratur. Nec vero fortuito vel per incogitantiam id videri omissum dobet, quod nulla illi cognatio tribuitur, nullus habetur de morte sermo: verum id potius consulto fecit spiritus ut nos supra vulgarem hominum ordinem attolleret. Ideo non videtur probabilis corum coniectura, qui Melchisedec tradunt fuisse Sem filium Noah. Nam si ad hominem certum ac notum ventum fuerit, non stabit haec tertia similitudo Melchisedec et Christi.

Assimilatus. Nempe quod ferobat significandi ratio: semper enim analogia inter rem et signum tenenda est. Nam ridiculi sunt qui e coelo delapsi communisuntur, ut re ipsa assimilent. Satis est quod lineamenta Christi in eo conspiciimus: sicuti vivi hominis effigies in tabula cerni potest, et tamen procul distat homo a sua pictura. Refutare eorum deliria qui vel Christum tunc iam apparuisse somniant, vel spiritum sanctum, vel angelum, non videtur operae pretium esse. *Nisi forte quis sobri hominis esse existimet, cum Postello et similibus phreatieis disputare.* Neque enim minorc superciliosus nebulo ille Melchisedec esse asserit, quam olim versus illi spiritus (quorum meminit Hieronymus) Christum esse fingebant.

4. Considerate autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de spoliis Abraham patriarcha. 5. Atque ii quidem qui sacerdotium accipiunt, qui scilicet sunt ex filiis Levi, præceptum habent a populo decimas sumendi iuxta legem, hoc est, a fratribus suis licet egressis ex lumbis Abrahae. 6. Cuius autem genus non recensetur ex ipsis, decimas sumpsit ab Abraham. et habentes promissiones benedixit. 7. Porro sine controversia quod minus est a potiore benedicitur. 8. Atque hic quidem homines qui moriuntur, decimas accipiunt: illuc autem is de quo testatum est quod vivat: 9. et ut ita loquar, in Abraham decimatus est ipse Levi, qui decimas solet accipere. 10. Nam is adhuc in lumbis patris erat quum occurreret Abrahae Melchisedec.

4. Considerate autem. Quarta notatio in comparatione Christi et Melchisedec, quod illi decimas obtulerit Abraham. Porro quum pluribus de causis institutae fuerint decimæ, hic eam duntaxat respicit apostolus quae præsenti causæ servit. Una illa causa fuit eur decimæ solverentur Levitis, quia et ipsi filii Abrahae erant, cuius semini promissa erat terra. Ergo iure haereditario, terrae portio illis attribuenda erat. Quoniam possessione privantur, fit in decimis compensatio. Altera etiam haec erat causa, quod quum in Dei cultu et publico ecclesiae ministerio occuparentur, aequum fuit ipsos communis populi sumptu ali. Decimas ergo illis reliqui Israëlitæ debebant, tanquam iusta muneris stipendia. Sed

illae causae nihil ad praesentem disputationem: ideo illas practerit apostolus. Una haec in rationem nunc venire debet, quod quum decimas populus quasi sacrum vctigal offerret Deo, eas Levitae recipiebat. Unde apparet, non parvum fuisse honorem, quia in locum suum Deus eos quodammodo subrogabat. Ergo quod Melchisedec sacerdoti primarius Dei servus et propheta Abraham obtulit decimas, eo confessus est, honoris gradu supra se excellere. Quod si p[ro]ae illo in ordinem cogitur Abraham Patriarcha, raram et eximiam illius dignitatem esse oportet. Epithetum patriarchae ad amplificationem positum est. Est enim hoc in primis honorificum, quod Abraham in ecclesia Dei pater nominatur. Tale igitur est argumentum, Abraham qui reliquos omnes antecellit, ipso tamen Melchisedec est inferior. Ergo Melchisedec summum honorem obtinet, ac Levitis omnibus praefrendus est. Antecedens probatur. Nam quod debebat Abraham Deo, solvit in manum Melchisedec. Decimarum ergo solutione se minorem professus est.

5. *Qui scilicet sunt.* Hoc aptius est quam ita vertere: *Eo quod sint ex numero filiorum.* Neque enim causam reddit apostolus, ac si decimas ideo sacerdotes accipiant, quod sint ex filii Levi: sed totam illam tribum confert cum Melchisedec, in hunc modum, Quum Levitis Deus concessit eius exigendi a populo decimas, ita Israelitis omnibus eos praefecit, tametsi ex eodem parente essent omnes simul progeneti. Atque Abraham qui omnium pater est, sacerdoti alienigenae solvit decimas. Ergo huic sacerdoti omnes posteri Abrahae subiecti sunt. Ita ius Levitis delatum particularē fuit in reliquos fratres: sed Melchisedec sine exceptione summo loco statuitur ut sibi omnes subiiciat. Quidam apostolum loqui putant de decimis decimarum, quas maioribus sacerdotibus Levitae solvabant: sed nulla est ratio cur generalem sermonem ita restringamus. Ergo probabilius est quod attuli.

6. *Benedixit.* Hoc quintum est quod in comparatione Christi et Melchisedec apostolus observat. Sumit autem quasi unum ex confessis principiis, Quod minus est benedici a maiori. Subiicit deinde Melchisedec benedixisse Abrahae. Unde conficitur, Abraham esse minorem. Sed amplificandi causa iterum Abraham ornat singulari elogio. Nam quo praestantior est Abraham, eo altius eveniatur dignitas ipsius Melchisedec. In hunc finem dicit Abraham promissiones habuisse: quo significat illum esse primum sanctae autorem, quocum Deus foedus aeternae vitae pepigit. Haec enim non vulgaris fuit dignatio, quod unum elegit Deus ex omnibus, apud quem ius adoptionis et amoris sui testimonium deponeret. Atqui hoc totum non obstat quominus se cum tota sua excellentia submit-

teret sacerdotio Melchisedec. Perspicere igitur licet quautus hic sit cui duabus in rebus cessit Abraham, et quod se benedici ab eo passus est, et quod decimas obtulit quasi Dei vicario.

7. *Quod minus est.* Primo sciendum est quid hoc loco significet *Benedictionis nomen.* Est autem solemnis precatio, qua is qui praeditus est insigni aliquo et publico honore, privatos et suae administrationis homines Deo commendat. Est aliud benedicendi genus dum vicissim alii pro aliis precamur: quod piis omnibus est promiscuum. Sed haec benedictio, cuius apostolus meminit, maioris est potestatis symbolum. Ita Isaac benedixit filio suo Iacob, et Iacob ipse benedixit suis nepotibus Ephraim et Manasse. Neque enim fuit illud mutuum, ut par referret filius patri: sed maior autoritas ad legitimam benedictionem requirebatur. Quod melius constare potest ex sexto Numerorum capite (v. 23), ubi postquam sacerdotibus datum est mandatum benedicendi populi, statim missio additur, benedictos fore quibus benedixerint. Hoc inquam iure subnixa est sacerdotalis benedictio, ut non tam hominis sit quam Dei. Nam ut sacerdos in victimis immolandis Christi vices gerebat, ita in populo benedicendo, nihil quam minister et legatus erat summi Dei. In hunc sensum accipi debet quod refert Lucas (24, 50), Christum sublati manibus apostolos benedixisse. Ritum illum tollendi manus procul dubio a sacerdotibus mutuatus est, ut se ostenderet eum esse per quem Deus Pater nobis benedicat. De hac quoque benedictione mentio fit Psalmo 116, 17, et 118, 1. Nunc istam sententiam accommodemus ad id quod apostolus tractat. Benedictio sacerdotalis quum divinum sit opus, simul maioris est honoris testimonium. Ergo Melchisedec Abrahae benedicendo superiore locum sibi sumpsit. Non fecit hoc temere, sed pro iuro sacerdotali ergo eminet supra Abraham. Atqui Abraham is est cum quo dignatus est Deus salutis foedus pacisci. Ergo quum reliquis omnibus praecellat, a solo Melchisedec superatur.

8. *De quo testatum est quod vivat.* Silentium de morte (ut iam prius dixi) pro vitae testimonio accipit. Non valeret hoc quidem in aliis: sed in Melchisedec quatenus imago est Christi, merito valere debet. Nam quia hic agitur de spirituali Christi regno et sacerdotio, nihil loci humanis coniecturis relinquitur: nec scire aliud fas est quam quod scripturis proditum legimus. Neque vero hinc colligas, hominem illum qui Abrahae occurrit, adhuc vivere: sicuti pueriliter quidam nugati sunt. Nam hoc ad alienam personam quam sustinebat, nempe filii Dei, refertur. Caeterum his verbis apostolus contendit, dignitatem sacerdotii Melchisedec perpetuam esse, levitici vero temporalem. Sic enim ratiocinatur, Hi quibus decimas lex assignat, homines

sunt mortales: quo indicatum fuit abrogandum esse aliquando ius sacerdotii, quemadmodum finem habebat eorum vita. Scriptura autem nullam commemorat mortem Melchisedec, quum narrat solutas illi fuisse decimas: ita ius sacerdotii illius nullo temporis spatio terminat, quin potius subindicat aeternao esse durationis. Hoe autem ideo additum est ne videatur posterior lex (ut moris est) priori quidquam derogasse. Excipi enim alioqui poterat, ius illud, quo potitus olim erat Melchisedec, esse iam obsoletum: quia aliam legem Deus per Mosen tulisset, qua illud transferebat ad Levitas. Sed occurrit apostolus quum dicit, ad tempus decimas Levitis solutas fuisse, quia non semper viverent, Melchisedee vero, quia immortalis sit, rotinere usque in finem quod a Deo semel illi datum est.

9. *Decimatus est ipse Levi.* Longius procedit, ne ipsum quidem Levi qui tunc in lumbis Abraham erat, immnnem ab eadem subiectione fuisse: quia Abraham decimas solvendo se et posteros sacerdotio Melchisedec subiecerit. Sed hic exadverso posset obiici, eadem ratione Iuda quoque, ex eius semino genitus fuit Christus, fuisse decimatum. Verum hie nodus facile solvetur, si quis duo expendat quae inter Christianos extra controversiam constituta esse debent. Neque enim simpliciter Christus, unus quilibet hominum inter Abraham filios censemur, sed privilegio singulari eximitur a communi ordine. Atque hoc est quod dicebat (Matth. 22, 42): Si filius est Davidis, quomodo eum David Dominum appellat? Videmus ergo iam ut argumentum perperam a Levi ad Christum ducatur. Deinde quum Melchisedec Christi sit figura, minime consentaneum esset rationi, illum quasi committi cum hoc in certamen. Tenendum est enim illud vulgare dictum: Quod subordinatur, non pugnat. Itaque figura quum infra veritatem suam subsidat, illi nequaquam opponi debet, aut potest. Parium enim est talis conflictus. His quinque membris apostolus comparationem Christi et Melchisedec absolvit: quo refellitur eorum commentum qui praecipuum in oblatione panis et vini similitudinem quaerunt. Videamus apostolum singula hic accurate et propemodum scrupulose excutere. Nomen hominis, sedem regni, perpetuitatem vitae, ius decimarum, benedictionem persecutur. In his certe minus erat momenti quam in oblatione. Dicemus ne oblivione lapsum esse Dei spiritum, ut dum rebus minutis immoratur, quod praecipuum erat et maxime ad causam valebat, omiserit? Quo magis tot veteres ecclesiae doctores hac opinione occupatos fuisse miror, ut in oblationem panis et vini insisterent. Sic autem loquuntur, Christus sacerdos est secundum ordinem Melchisedec. Atqui panem et vinum Melchisedec obtulit. Ergo panis et vini sacrificium Christi sacerdotio convenit. Copiose posthac de sacrificiis veteribus apostolus

disserset: de hoc novo sacrificio panis et vini nullum faciet verbum. Unde ergo hoc in mentem venit ecclesiasticis scriptoribus? Certe ut error errorem trahere solet, quum ipsi sacrificium in Christi coena nullo eius mandato fixissent, adeoque coenam adulterassent addito sacrificio: colores postea hinc inde accersere conati sunt, quibus errorem suum suarent. Arrisit haec panis et vini oblatio, et nullo indicio protinus arrepta est. Nam quis concedat homines illos perspicaciōes spiritu Dei tuisse? Atqui si recipimus quod tradunt, damnandus inco-
gitantiae erit Dei spiritus a quo res tanta non esset animadversa: praesertim quum hanc quaestionem traetaret ex professo. Hinc constituo, veteres sibi fixisse sacrificium, de quo nunquam Moses cogitaverat. Neque enim scribit Melchisedec panem et vinum obtulisse Deo, sed potius Abrahao et comitibus. Haec eius verba sunt: Egressus est illi ob-
viam Melchisedee rex Salem, ac protulit panem et vinum: et erat idem sacerdos Dei altissimi, et benedixit illum. Prius illud quod narrat, regium fuit, lassos ex praelio et itinere reficere: benedictio ad munus sacerdotiale pertinebat. Ergo si quid mysterii habuit oblatio, non aliter in Christo comple-
tar, nisi dum esurientes nos et lassitudine confectos pascit. Caeterum bis ridiculi sunt papistae, qui postquam negarunt, in missa esse panem et vinum, de panis et vini sacrificio garriunt.

11. *Porro si consummatio per leviticum sacerdotium erat (populus enim sub eo legem accipit).* quid adhuc opus fuit secundum ordinem Melchisedec alterum exoriri sacerdotem, et non secundum ordinem Aaron dici? 12. *Etenim dum transfertur sacerdotium, necessario etiam fit legis translatio.* 13. *Certe is de quo haec dicuntur, alterius fuit tribus particeps, ex qua nemo adstitit altari.* 14. *Clarum enim est quod ex tribu Iuda natus sit Dominus noster, de qua tribu nihil loquitus est Moses, quod ad sacerdotium spectat.*

11. *Si consummatio.* Ex eodem testimonio colligit apostolus, abrogatum fuisse Christi adventu vetus testamentum. Hactenus de officio personaque sacerdotis dissernit. Sed quia sacerdotium Deus instituerat sanciendae legis causa, illo abolito, sequitur hanc quoque cessare. Hoc ut melius intelligatur, tenendum est axioma, Nullum foedus inter Deum et homines firmum ratumque esse nisi sacerdotio fulciatur. Ideo dicit apostolus, legem fuisse veteri populo impositam sub levitico sacerdotio: quo significat non modo illud regnasse tempore legis, sed eius stabiliendae causa, ut diximus, fuisse institutum. Iam sic ratiocinatur: Si perfecta fuisset ecclesiae administratio sub ordine Aaron, quorsum oportuisset ad diversum ordinem redire? Nam in perfectione nihil mutatur. Sequitur ergo, administrationem

legis non fuisse perfectam: quia novus ordo erigendus fuit de quo loquitur David.

Populus enim sub co legem accepit. Haec parenthesis ideo inseritur ut sciamus annexam fuisse legem sacerdotio. Vult apostolus probare, in lege Mosis non fuisse ultimum scopum in quo haerendum esset. Id probat ex sacerdotii abrogatione in hunc modum: Si ea fuisse vis sacerdotii veteris, ut legi in solidum confirmandae sufficeret: nunquam Deus aliud subrogasset novum et diversum. Nunc quia ambigere quispiam poterat an ex fine sacerdotii consequerentur legis abolitio, dicit non modo sub illo hanc fuisse latam, sed per illud quoque confirmatam fuisse.

12. Dum transfertur sacerdotium. Quum eadem sit legis et sacerdotii conditio, Christus non sacerdos modo, sed legislator etiam creatur. Ita non tantum ius Aaronis, sed Mosis quoque ad eum transfertur. Summa est, non minus temporale fuisse Mosis quam Aaronis ministerium: ideoque abrogari Christi adventu utrumque oportuisse, quia alterum sine altero stare non potuerit. *Legis* nomine intelligimus quod proprie ad Mosen spectabat. Lex enim et regulam bene vivendi, et gratuitum vitae foedus continet: illicque passim occurunt multae insignes sententiae quibus tum ad fidem, tum ad timorem Dei instituimur. Horum nihil abolitum fuit a Christo, sed tantum pars illa quae cum veteri sacerdotio implicita erat. Nam hic confertur Christus cum Mose. Itaque quidquid commune est inter eos, in rationem non venit, sed ea tantum in quibus alter differt ab altero. Commune est ambo bus offere nobis Dei misericordiam, regulam pie sancteque vivendi praescribere, tradere verum Dei cultum, ad fidem, ad patientiam, ad omnia pietatis officia nos hortari. Hoc autem diversum a Christo habuit Moses, quod nondum patefacta evangelii claritate, sub involucris populum continuuit: quod re nondum exhibita, in figuris et umbris gustum proponuit Christi: quod denique ad rudis populi captum se attemperans, non ultra puerilia rudimenta concedit. Meminimus ergo legem dici partem illam ministerii quam propriam habuit Moses, et a Christo separatam. Ea quum veteri sacerdotio subiecta sit, hoc abolito simul cessat. Et Christus dum instituitur sacerdos, legislatoris etiam potestate instruitur, ut novi testamenti minister sit ac interpres. Quamquam improprie ad evangelium transfertur legis nomen. Sed haec catachresis adeo nihil habet absurdum, ut propter antithesin gratiam orationi conciliet, sicuti ad Romanos capite septimo. Porro nimis proterva fuit papae improbitas qui in suis Decretalibus hoc caput inseruit, se nunc eadem praeditum esse potestate quam olim Aaron habuerit, quia lex cum sacerdotio ad ipsum sit translata. Videmus quidnam agat apostolus. Cacremorias desisiisse con-

tendit ox quo prodiit Christus cum mandato novi foederis publicandi. Perporam inde colligimus, ad Christi ministros quidquam transiisse. Sola enim Christi persona Mosi et Aaroni opponitur. Quo igitur praetextu aliquid sibi juris Antichristus arrogabit? Neque hic refellendae tam crassae impudentiae causa dispuo. Sed hanc sacrilegam andaciam lectoribus indicari operaepedium fuit, ut agnoscent bonum hunc servum servorum Christi susque deque habero magistri honorem, foede scripturas lacerare ut snae tyrannidi qualemcumque fucum inducat.

13. De quo haec dicuntur. Quia apud eos verba facit apostolus, qui Iesum filium Mariae fatentur esse Christum: veteri sacerdotio finem esse impostum probat, quia hic novus sacerdos qui subrogatur, ex alia sit tribu quam Levi. Nam secundum legem, manere in illa tribu, singulari privilegio debuit sacerdotii dignitas. Porro clarum esse dicit, quod ex tribu Iuda progenitus sit Christus: quia tunc vulgo res nota erat. Praecipua tamen certitudo in promissione fundata erat. Ergo quum agnoscerent eum esse Christum, simul necesse erat ut persuasi essent esse filium Davidis. Nam is, qui promissus erat, non poterat aliunde ducere originem.

15. Idque magis etiam liquet: si quidem ad similitudinem Melchisedec exoritur sacerdos alius, 16. *qui non iuxta legem mandati carnalis factus fuit, sed secundum potentiam vitae insolubilis.* 17. *Testatur enim ad hunc modum: tu sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec.* 18. *Abrogatio enim fit prioris mandati, propter imbecillitatem et inutilitatem.* 19. *Nihil enim lex perfecit, sed accessit introductis ad spem potiorem per quam appropinquamus Deo:* 20. *atque hoc potiorem, quod non absque iureiurando res acta sit.* Nam illi quidem citra iuriandum sacerdotes facti sunt: 21. *his vero cum iureiurando, per eum qui dixit illi: tu sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec.* 22. *Tanto potioris testamenti sponsor factus est Iesus.*

15. Idque magis liquet. Alio argumento probat abolitam esse legem. Prius a sacerdotis persona ratiocinatus est: nunc a natura sacerdotii, et a ratione qua institutum fuit. Sacerdotium vetus, inquit, externis ritibus institutum fuit: in Christi sacerdotio nihil nisi spirituale est. Indo apparet illud fluxum fuisse et caducum: huius vero perpetuitas monstratur. Mandatum carnale pro corporeis, hoc est, externis, caeremoniis accepitur. Scimus quomodo inaugurus fuerit Aaron cum filiis suis. Quod arcana et coelesti spiritus virtute impletum est in Christo, illuc oleo, multiplici vestitu, sanguinis adspersione, aliisque terrenis caeremoniis adumbratum fuit. Porro haec institutio sacerdotii naturae con-

gruebat. Unde sequitur, sacerdotium ipsum fuisse obnoxium mutuationi. Quamquam ut postea videbimus, non sic fuit carnale sacerdotium quin simul spirituale esset: sed hie tantum respicit apostolus quid hic diversum a Christo Aaron habuerit. Ergo uteunque spiritualis esset umbrarum significatio, umbrae tamen ipsae, utpote quae huic mundi elementis constarent, terrenae merito dienuntur.

16. *Secundum potentiam.* Quia Christus perpetuus est sacerdos, discerni ab Aarone ipsum iustificationis ritu oportuit. Hoc factum est, quia non Moses homo mortalis ipsum conceperavit, sed spiritus sanctus: idque non oleo, nec sanguine hircorum, nec externa vestium pompa, sed coelesti virtute quam hie apostolus infirmis elementis opponit. Videlicet ergo ut aeternitas sacerdotii in Christo commendata fuerit.

17. *Tu sacerdos in aeternum.* In una tantum voce perpetuitatis hoc loco insistit apostolus: confirmat enim quod dixit de vita insolubili. Differre ergo Christum a toto genere levitico ostendit, quia sit creatus in perpetuum sacerdos. Sed hic posset obiecti (quemadmodum Iudei etiam obiectiunt) לְעוֹלָם, non semper aeternitatem sonare: sed potius saeculi unius spatium, aut certe longum tempus. Huc accedit, quod quum Moses de veteribus sacrificiis agit, saepe haec loquutione utitur: Erit haec observatio in saeculum. Respondeo, quoties de legalibus sacrificiis fit mentio, saeculum ad tempus legis restringi. Neque id absurdum videri debet: Christi enim adventu facta est quaedam mundi renovatio. Quoties ergo de ministerii sui statu loquitur Moses, longissimum tempus non extendit nisi ad Christum. Quamquam simul observandum est, non tam externae caeremoniae respectu, quam propter mysticam significationem, saeculi durationem attribui veteribus sacrificiis. In praesentia tamen sufficere nobis debet ea ratio, suum Mosi eiusque ministerio saeculum fuisse: cui finem attulit regnum Christi, sub quo renovatus fuit mundus. Nunc ubi consurgit Christus, et ei defertur perpetuum sacerdotium, finem in eius saeculo non reperiemus, ut certo temporis spatio terminari queat. Ita nihil hac voce quam aeternitas intelligi debet: nam ex hac circumstantia semper iudicandum est quid valeat particula סֶלַע.

18. *Abrogatio fit.* Quoniam in hoc cardine nunc versatur apostoli oratio, legem una cum sacerdotio cessasse: causam exponit cur hanc oportnerit aboleri: nempe quia infirma et inutilis fuerit. Sic autem loquitur caeremoniarum respectu, quae in se nihil habebant solidum, nec per se quidquam ad salutem valebant. Quod enim gratiae promissio illis erat annexa, quod passim testatur Moses placatum iri Deum sacrificiis, et expiatum iri peccata: id proprie non competebat sacrificiis, sed adventi-

tum erat. Nam ut ad Christum referabantur figurae omnes, ita ab eo mutabantur vim suam et effectum. Imo per se nihil poterant, vel agebant, sed tota vis a Christo uno penderet. Porro quum Iudei perperam eas Christo opponerent, apostolus sermonem, eorum opinioni accommodans, eas quoque a Christo discernit. Atqui simulac separatae sunt a Christo, nihil illis fit reliquum, praeceptor hanc infirmitatem de qua loquitur. Denique nulla in caeremoniis veteribus reperiatur utilitas, donec ad Christum ventum fuerit: adeoque sic Iudeos reddebant certiores de gratia Dei, ut suspensos quodammodo tenerent. Meminerimus ergo inutilem vocari legem quum Christo vacua est. Hoc quoque ad confirmationem huius doctrinae facit, quod vocat prius mandatum. Nam tritum illud ac vulgare est, priores leges posterioribus abrogari. Longe ante Davidem promulgata lex fuerat, tunc erat in suo regno quum vaticiniam istud proferret de erando novo sacerdote, est igitur nova lex quae priorem antiquat.

19. *Nihil enim perfecit.* Quia paulo durius loquutus erat de lege, nunc asperitatem illam mitigat et quasi corrigit. Concedit enim illi utilitatem quandam, quod viam praemonstraverit, quae tandem ad salutem duceret. Ea tamen fuit eiusmodi, ut multum a perfectione distaret. Sic ergo argumentatur apostolus: lex inchoavit duntaxat: ergo aliquid perfectius sequi necesse fuit. Neque enim filios Dei semper in rudimentis puerilibus haerere decet. *Introductionis¹⁾* nomine significat quandam fuisse in lege praeparationem: ut pueris traduntur elementa quae ad altiorem doctrinam illis deinde viam sternant. *Sed²⁾ quia prarpositio ἐπὶ consequentiam significat, ubi uni alterum succedit, ideo vertendum censui: Sed accessit.* Nam duas, meo iudicio, introductiones ponit: priorem in figura Melchisedec, secundam in lege, quae posterior tempore fuit. Porro legis nomine sacerdotium leviticum designat, quod sacerdotio Melchisedec fuit superadditum. Per spem potiorem intelligitur conditio fidelium sub regno Christi. Sed respectum habet ad patres, qui praesenti suo statu non poterant esse contenti quin longius adspirarent. Unde illud, Multi reges et prophetae optarunt videre quae vos videtis (Luc. 10, 14). Ergo legis paedagogia manuducebantur, ut ultra tenderent.

Per quam appropinquamus. Subest tacita antithesis inter nos et patres. Hac enim dignitate eos antecellimus, quod Deus se iam nobis familiariter communicat: quum eminus tantum illis et obscure apparuerit. Et est allusio ad formam tabernaculi

¹⁾ Subintroductionis nomine (id enim meo iudicio valet compositio in voce graeca. ἐπεισαγωγή)

²⁾ Haec iam in edit. a. 1551.

vel templi. Nam populus in atrio proeul stabat, nec cuiquam propior sanctuarii accessus patebat nisi sacerdotibus: interius vero sanctuarium ingrediebatur summus sacerdos. Nunc autem sublato tabernaculo, Deus nos in familiarem sui conspectum admittit, a quo prohibiti fuerunt patres. Ergo qui legis umbros adhuc retinet vel restituit, non tantum obsecurat Christi gloriam, sed nos fraudat ingenti bono: quia interstitium inter nos et Deum ponit, ad quem appropinquare libertas per evangelium nobis concessa est. Et quisquis in lege haeret, sciens ac volens se privat Dei propinquitate.

20. *Quod non absque iure iurando.* Aliud argumentum, cur cedere lex evangelio debeat: quia Deus sacerdotium Christi Aaronis sacerdotio praetulerit, quando in illius honorem iurare dignatus est. Nam quum veteres sacerdotes institueret, nullum ius iurandum interposuit. De Christo autem dicitur, Iuravit Dominus: quod procul dubio fit eius ornandi causa. Videmus in quem finem psalmum rursus adducat: nempe ut sciamus, iurante Deo, plus dignationis attribui Christi sacerdotio quam reliquis. Porro memoria repetendum est principium illud, sacerdotem creari ut sit sponsor foederis. Ideo concludit apostolus, foedus quod per manum Christi nobiscum Deus pepigit, illo veteri, cuius interpres fuit Moses, longe esse praestantius.

23. *Et illi quidem plures facti fuerunt sacerdotes, quod prohiberentur morte permanere:* 24. *hic autem quia perpetuo manet, immutabile habet sacerdotium.* 25. *Unde et servare in aeternum potest eos qui per ipsum Deo appropinquant: semper vivens ut intercedat pro nobis.* 26. *Talis enim nos decebat pontifex, sanctus, innocens, impollitus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus,* 27. *qui non necesse habeat quotidie, quemadmodum sacerdotes, primum pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim semel fecit, quum se ipsum obtulit.* 28. *Lex quidem homines constituit sacerdotes habentes infirmitatem: sermo autem iurisiurandi quod lege posterius est, filium in aeternum perfectum.*

23. *Et illi quidem.* Iam prius attigerat hanc comparationem: sed quia res maiori animadversione digna est, iterum plenius explicat: quamquam aliis est disputationis sensus quam antea. Tunc enim sacerdotium vetus aliquando debuisse interire colligebat, quod illi praecessent homines mortales: nunc simpliciter ostendit eur Christus maneat perpetuo sacerdos. Id facit argumento a dispositis sumpto. Veteres ideo plures fuerunt, quia mors sacerdotium finiebat: nulla est mors quae impedit Christum a sua functione. Ergo unus est ac perpetuus. Ita causae diversitas diversos facit effectus.

25. *Unde et servare, etc.* Hie fructus aeterni

sacerdotii, nempe salus nostra: sit tamen fructum hunc fide colligimus ut oportet. Nam ubi interitus est vel mutatio, illic salutem frustra quaeras: ideo qui in veteri sacerdotio haerent, ad salutem nunquam pervenient. Quum dicit, eos qui appropiuant Deo, hac periphrasi fideles designat qui soli fruuntur saluto per Christum parta. Sed interea tamen indicat quid in mediatore spectare debeat fides: hoc summum est hominis bonum, ut Deo suo sit coniunctus, apud quem fons vitae est ac omnium bonorum. Sed omnes arcet sua indignitas ab accessu. Ergo proprium mediatores officium, nobis hic succurrere, manumque porrige ut in coelum nos deducat. Et semper ad veteres legis umbras alludit. Tametsi enim pontifex nomina duodecim tribuum in humeris gestabat, et symbola in pectore: solus tamen sanctuarium ingrediebatur, quum populus in atrio staret. Nunc vero Christo mediatore freti fide in coelum usque penetramus: quia nullum est amplius velum quod nobis obstet, sed Deus palam nobis appetit, blandeque ad familiarem accessum nos invitat.

Semper vivens ut intercedat. Quale hoc et quantum amoris erga nos pignus est: quod nobis Christus non sibi vivit, quod receptus est in beatam aeternitatem ut in coelo regnet: id causa nostra factum apostolus pronuntiat. Ergo et vita, et regnum, et gloria Christi in salutem nostram, tanquam in suum scopum, destinantur: nec quidquam habet Christus quod non in usum nostrum accommodare liceat: quia hac conditione semel nobis a patre datus est, ut omnia illius nostra sint. Similiter ab effectu Christum docet fungi sacerdotis officio, quia proprium sacerdotis est intercedere ut populo gratiam apud Deum conciliat. Hoc semper facit Christus, quia in hunc finem resurrexit a mortuis. Ergo iure propter assiduum intercedendi munus, sacerdotii nomen sibi vendicat.

26. *Talis enim pontifex.* Ab annexis ratione naturatur. Conditiones istae vel qualitates (ut vulgo appellant) necessario requiruntur in sacerdote ut iustus sit, innocens et purus omni macula. In solum Christum competit hic honor. Ergo legis sacerdotibus defuit quod ad munus vere obeundum requirebatur. Unde sequitur, non constare perfectionem levitico sacerdotio: ac ne per se quidem fuisse legitimum, nisi quatenus Christi subserviebat. Et sane externus ornatus pontificis defectum hunc indicabat. Quorsum enim pretiosae ac splendidae illae vestes quibus Aarone in sacris peragendis ornari Deus iubebat, nisi ut sanctitatis ac in omni virtutum genere praestantiae plus quam humanae essent symbola? Ideo autem adhibebantur figurae illae, quia res non aderat. Apparet igitur Christum solum esse idoneum sacerdotem. Membrum istud, segregatus a peccatoribus, reliqua comprehendit.

Fuit enim aliqua Aaronis sanctitas et innocentia et puritas, sed nonnisi ad exiguum duntaxat modulum: multis enim maenulis foedatae erant. Christus autem, qui exemptus est e vulgo hominum, solus est a peccato immunis. Ideo vera sanctitas et innocentia in eo solo reperiatur. Neque enim segregatus a nobis dicitur, quod nos a societate sua repellat: sed quia hoc habet prae nobis eximium, ut vaenus sit omni immunditia. Atque hinc colligimus, repudiari omnes preces, quao non suffulta sunt intercessione Christi. Quaeri tamen posset de angelis, an illi quoque a peccatoribus sint segregati. Quod si ita est, quid obstat quoniam sacerdotio fungantur, et mediatores nostri sint apud Deum? Responsio facilis est: nemo enim legitimus sacerdos est nisi mandato Dei ordinatus. Nusquam hunc honorem angelis Deus detulit. Ergo sacrilega esset usurpatio, si vocatione destituti illuc se ingererent. Deinde ut statim videbimus initio proximi capituli, hominem esse oportet qui Dei sit et hominum mediator. Quamquam postrema conditio, quam apostolus hic recenset, abunde sola sufficeret ad solvendam hanc quaestionem, nos enim coniungere Deo non potest nisi qui ad Deum pertingit: hoc ne angelis quidem datum est, quia non leguntur supra omnes coelos eveeti. Proinde solius Christi est conciliare nobis Deum: quandoquidem supra omnes coelos consernit. Porro haec loquutio perinde valet ac si diceatur Christus supra omnes creaturarum ordines collocatus, ita ut supra angelos emineat.

27. *Qui non necesse habeat.* Prosequitur antithesis inter Christum et sacerdotes leviticos: in qua duos maxime (ut ita loquar) defectus notat veteris sacerdotii, ex quibus constet non fuisse suis numeris absolutum. Atque hic quidem summam breviter perstringit, sed postea singulas partes fusius exponit: praesertim vero alteram de quotidianis sacrificiis, sicut de ea praeccipuum erat certamen. Ego quoque singula capita breviter attingam. Hic unus fuit veteris sacerdotii defectus, quod pontifex pro suis peccatis sacrificium offerebat. Quo modo autem aliis Deum placasset qui ipse sibi iure infensum habebat? ergo illi expiandis peccatis minime pares fuerunt. Alter defectus, quod varia quotidie sacrificia offerebant. Unde sequitur, nullam fuisse expiationem, quia ubi repetitur purgatio, manent peccata. Diversa Christi est ratio. Nam neque sacrificio ipse indiget, utpote qui nullo peccati naevo sit adspersus, et tale fuit eius sacrificium cuius unica oblatio sufficeret ad finem mundi: se ipsum enim obtulit.

28. *Lex quidem.* Ex hominum vitiis colligit sacerdotii infirmitatem, ac si diceret, Quando lex non constituit veros sacerdotes, aliunde hoc vitium corrigi necesse est. Corrigitur autem per sermonem iuris iurandi: *creatur enim Christus non ex communi*

hominum ordino, sed filius Dei non ulli vitio obnoxius, sed ornatus et instructus summa perfectione. Insiurandum lego posterius esse, iterum admonet, ut significet Deum legali sacerdotio non contontum, melius aliquid voluisse statnere. Nam in Dei institutis quod succedit, priora in meliorem statum promovet, vel otiam abolet quae nonnisi ad tempus vigore debobant.

CAPUT VIII.

1. *Porro eorum, quae dicuntur, summa est: tales habemus pontificem qui consedit in dextera throni maiestatis in celis: 2. sanctorum minister, et tabernaculi veri quod fixit Dominus, et non homo. 3. Omnis enim pontifex ad offerendum dona et sacrificia constituitur. Unde necesse est, hunc quoque habere quod offerat. 4. Sane si in terra esset, ne pontifex quidem esset quamdiu essent sacerdotes qui secundum legem offerrent dona, 5. qui in exemplari et umbra ministrant coelestium: quemadmodum oraculo admonitus fuit Moses, quem tabernaculum esset perfecturus. Vide, inquit, ut facias omnia secundum typum qui tibi ostensus fuit in monte. 6. Nunc autem excellenter obtinuit ministerium, quanto et potioris testamenti mediator, quod super praestantioribus promissionibus promulgatum fuit.*

1. *Porro eorum.* Ut sciant lectores qua de re disputetur, admonet se hoc agere, ut probet spirituale esse Christi sacerdotium quo illud legale aboleatur. Pergit quidem in eodem argumento: sed quia variis rationibus pugnat, ideo hanc admonitionem inseruit, ut intentos ad scopum lectores teneret. Iam evicit, Christum esse pontificem: nunc contendit coeleste esso eius sacerdotium. Unde sequitur, eius adventu evanescere illud quod Moses sub lege instituerat, quia terrenum fuit. Quia autem passus est Christus in humilitate carnis, et assumpta etiam servi forma exinanitus fuit in mundo: ad eius ascensum nos apostolus revocat, quo non tantum absorpta fuit crucis ignominia, sed abiecta illa et ignobilis conditio quam simul cum carne nostra induerat. Nam ex illa spiritus virtute quae in resurrectione ascensusque Christi effulsit, a estimanda est sacerdotii eius dignitas. Sic ergo disputat: Quum ad dexteram Dei conscenderit Christus ut magnifice in coelo regnet, non est terreni sanctuarii minister, sed coelestis. Genitivus sanctorum hic in neutro genere accipitur. Et apostolus se ipsum explicat quum addit, veri tabernaculi. Sed id quaeri potest, an tabernaculum a Mose exstructum, falsum ac temere constructum fuerit. Subest enim tacita oppositio in istis verbis. Respondeo, hanc veritatem, de qua loquitur, non mendacio sed figuris

tantum opponi, quemadmodum Iohann. cap. 1, 17; lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Ergo vetus illud tabernaculum, non inane hominis commentum fuit, sed effigies coelestis tabernaculi: quia tamen umbra differt a corpore et significatio a re ipsa, idea verum fuisse tabernaculum negat apostolus. Ac si diceret fuisse duntaxat umbratile.

2. *Quod fixit Dominus.* Quidnam sibi vult apostolus quod sacerdotium Christi locat in celo? Nam certe in terris passus est: et sanguine terreno (quod ex semine Abrahae originem traxerat) peccata nostra expiavit: sacrificium mortis eius visibile fuit: denique ut se patri offerret, e celo descendere in terram, et hominem, mortalis vitae aerumnis ac tandem morti obnoxium fieri ipsum opportuit. Respondeo, quidquid terrenum in Christo prima facie appetit, spiritualiter fidei oculo considerandum esse. Ita caro eius quae ex semine Abrahae orta erat, quum Dei templum esset, vivifica fuit, imo Christi mors totius mundi fuit vita: quod certe supra naturam est. Proinde apostolus non humanae tantum naturae proprietatem, sed potius arcanam vim Spiritus respicit: quo fit ut mors Christi nibil terrenum sapiat. Ideo quum de Christo agitur, discamus sensus omnes nostros attollere in regnum Dei: ita nihil scrupuli in nobis restabit. In eundem fere modum loquitur Paulus, 2. ad Corinthios capite quinto. Deum huius tabernaculi opificem nominat, ut notet stabilem ac perpetuum fore eius statum, quemadmodum econverso quae manibus hominum exstruuntur, caduca sunt, vel saltem ruinae subiecta. Hoc autem ideo dicit, quia vere divinum fuit opus redemptio morte Christi parta: et illic se mirifice Christi potentia exseruit.

3. *Omnis enim pontifex.* Hoc intendit apostolus, non posse Christi sacerdotium cum veteri illo levitico stare. Ratio probandi est: Instituit lex sacerdotes ut sacrificia Deo offerant: unde liquet, inanem fore sacerdotii titulum sine sacrificio. Christus autem nullam habet hostiam, quales sub lege usitatae fuerunt: hinc conficitur, non terrenum aut carnale esse eius sacerdotium, sed praestautioris generis. Nunc executiamus singulas sententias. Prima haec observatu digna est, quae docet nullum institui sacerdotem nisi ad dona offerenda. Nam hinc constat non posse gratiam impetrari hominibus apud Deum nisi intercedente sacrificio. Itaque ut preces nostrae exaudiantur, in sacrificio fundatas esse convenit: ut sit prorsus exitialis eorum audacia qui praeterito Christo, et a mortis eius memoria avorsi, in Dei conspectum perrumpunt. Nos autem si precari utiliter velimus, discamus semper in medio statuere Christi mortem quae preces nostras sanctificet. Nunquam enim Deus nos exaudiet nisi propitius, atqui placari ante oportet, quoniam peccata nostra

eum nobis infensum reddunt: sic praeceat sacrificium necesse est, ut sit aliquis orationis profectus. Hinc praeterea colligendum est, nullum vel ex hominibus vel ex angelis idoneum esse pacificando Deo, quia omnes sacrificio quod ad placandum Deum offerant, sibi proprio parent. Quo abundo refellitur papistarum impudentia, quia apostolos et martyres promiscue cum Christo intercessionis mediatores faciunt. Frustra enim illis eiusmodi partes assignant nisi instruant eos victimis.

4. *Sane si in terra esset.* Iam extra controversiam est, Christum esse pontificem. Atqui sicut iudicis munus sine legibus et iudiciis non constat: sic in Christo cum sacerdotis nomine sacrificandi officium coniungi debet. Atqui nullum habet terrenum aut visibile sacrificium: terrenus ergo sacerdos esse non potest. Tenendum est semper illud axioma, Quum de Christi morte disserit apostolus, non externam actionem, sed spirituale fructum ab ipso respici. Mortem vulgari hominum more patiebatur, sed divinitus expiabat peccata mundi ut sacerdos: externa erat sanguinis effusio, sed interior ac spiritualis erat purgatio: in terra denique moriebatur, sed vis et efficacia mortis ex celo manabat. Quod continuo post sequitur, alii sic vertunt: Ex eorum numero qui secundum legem, etc. Sed aliud sonant apostoli verba. Proinde sic malo resolvere: quamdiu sunt, vel quum sint sacerdotes. Vult enim alterutrum ex his duobus evincere, aut non esse Christum sacerdotem, si legis sacerdotium vigeat, quia sacrificio destituitur: aut cessare legis sacrificia, simul ac prodit in medium Christus. Prius membrum absurdum est, quia nefas est spoliare Christum honore sacerdotii. Restat ergo ut fateamur leviticum ordinem nunc esse abolitum.

5. *Qui in exemplari, etc.* Λατρεύειν hic accipio pro saera peragere: ideo in contextu graeco subaudienda est particula ἐν vel ἐπι. Hoc certe longe melius quadrat, quam quod alii vertunt: Umbrae et exemplari serviant coelestium: et syntaxis graeca sensum hunc facile patitur. In summa, docet verum Dei cultum non contineri legalibus caeremoniis: ideoque leviticos sacerdotes, dum functionem suam exercent, nounisi umbram habere et secundarium exemplar quod prototypo est inferius. Hoc enim significat nomen ὑποδείγματος. Atque ita antevertit quod contra obiici poterat, docet enim non supervacuum fuisse Dei cultum in sacrificiis veteribus, quia altius spectabat: nempe ad coelestem veritatem.

Quemadmodum oraculo, etc. Exstat hic locus Exodi capite 25, 40, quem hoc consilio hue apostolus adducit, ut probet totum legalem cultum nihil quam picturam fuisse, quae adumbraverit quod spirituale est in Christo. Iubet Deus ut omnes tabernaculi partes primario exemplari, quod Mosi ostendit.

sum fuerat in monte, respondeant. Quod si alio refertur forma tabernaculi, eadem est ritum et totius sacerdotii ratio. Unde sequitur, nihil in illis esse solidi. Insignis est hic locus, quia tres sententias observatu dignas continet. Inde enim primum discimus, veteres ritus non temere fuisse conflictos, ut in illis Deus populum suum quasi in lusu puerili occuparet: nec inanem fuisse tabernaculi strueturam quae tantum externo splendore spectantium alliceret oculos ac teneret. Vera enim et spiritualis fuit omnium significatio, quem omnia exigere iussus fuerit Moses ad primum exemplar quod coeleste erat. Quare nimis profana est eorum opinio, qui caeremonias in hoc tantum commendatas fuisse volunt, ut essent quasi retinacula ad cohibendam populi lasciviam, ne sibi extraneos gentium ritus accenseret. Hoc quidem est non nihil, sed non totum. Nam quod longe pluris est omittunt, exercitia fuisse ad retineendum in fide mediatoris populum. Non est tamen quod hic ultra modum simus curiosi, ut in singulis clavis ac similibus minutis quaeramus sublime aliquod mysterium, quemadmodum hac in re anxie laboravit Hesychius, et bona pars veterum scriptorum. Nam dum argute philosophari in rebus sibi ignotis volunt, pueriliter hallucinantur, seque ineptiendo faciunt ridiculos. Quare tenenda hic est medioeritas: quod fiet si non plus appetamus scire quam quod in Christo nobis fuit revelatum. Secundo hic docemur, perversos esse omnes cultus et adulterinos, quos sibi proprio ingenio et citra Dei mandatum comminisci homines permittunt. Nam quum praescribat Deus ut fiant omnia secundum suam regulam, nihil penitus alienum facere licet. Idem enim valent istae duae loquitiones, Vide ut facias omnia secundum typum, et, Vide ne quid praeter typum facias. Ergo traditam a se regulam urgendo, prohibet ne ab ea vel minimum declinemus. Hac ratione concidunt cultus omnes ab hominibus proditi: item quae vocantur saera-menta, et tamen a Deo profecta non sunt. Tertio hinc discendum est, nulla esse vera religionis sym-bola nisi quae ad Christum conformantur. Sed ca-vendum est ne dum volumus figmenta nostra Christo aptare, ipsum (ut papistae faciunt) transfiguremus: ita ut iam non sit sui similis. Neque enim nostrum est fingere quidquid libuerit, sed Dei solius est monstrare secundum exemplar, inquit, quod ostensum fuit.

6. *Nunc autem excellentius, etc.* Quemadmodum prius ex sacerdotii dignitate praestantiam foederis colligebat, sic etiam nunc contendit excellentius esse Christi sacerdotium, quia potioris foederis interpres sit ac mediator. Utrumque fuit necessarium, quo-niam abstrahendi erant Iudaei a superstitiosa cae-remoniarum observatione, qua impediebantur ne ad sinceram nudamque evangelii veritatem recta ten-

derent. Dieit autem apostolus, aequum esse ut Moses et Aaron Christo, tanquam praestantiori, cedant: quia et evangelium foedus sit excellentius lege, et mors Christi sacrificium multo nobilius legibus victimis. Sed difficultate non caret quod adiicit, foedus evangelii super melioribus promissio-nibus fuisse promulgatum. Nam certum est, patribus, qui sub lege vixerunt, eandem vitae aeternae spem fuisse propositam, sicuti communis fuit adoptionis gratia. Iisdem ergo promissionibus subnixa-ram fuisse oportet eorum fidem. Verum haec apostoli comparatio ad formam potius quam ad materiam referenda est. Nam utenique eandem illis salutem Deus promiserit quam hodie nobis promittit: non eadem tamen, nec aequalis fuit revelationis vel mensura, vel species. Qua de re si quis plura de-sideret, petat ex quarto et quinto capitibus Epistolae ad Galatas, et ex nostra Institutione.

7. *Si enim primum illud reprehensione caruisset, non fuisse secundo quae situs locus.* 8. Porro incu-sans eos, dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, quum perficiam super domum Israel et super domum Iuda foedus novum.* 9. *Non secundum foedus, quod feci cum patribus eorum, in die quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos e terra Aegypti, quia ipsi non persistenterunt in foedere meo, et ego neglexi eos:* dicit Dominus. 10. *Quia hoc est foedus quod disponam domui Israel illis diebus,* dicit Dominus, *ponam leges meas in mente ipsorum, et in cordibus eorum scribam eos: et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum,* 11. *et non doccibunt unusquisque civem suum et unusquisque fratrem suum,* dicendo: *Cognosce Dominum, quia omnes me scient, a parvo inter eos usque ad magnum.* 12. *Quoniam propitius ero iniustitiis eorum, et peccatorum eorum et iniiquitatium non recordabor amplius.* 13. *Dicendo novum, antiquavit prius: quod autem antiquatur et veterascit, prope est ut evanescat.*

7. *Si enim primum.* Confirmat quod dixit de foederis praestantia, quod nobiscum Deus pepigit per manum Christi: confirmat autem, quia foedus legis non fuerit firmum nec stabile. Nam si nihil illi defuissest, quid attinebat aliud subrogari? Atqui subrogatum est. Unde patet vetus illud non fuisse omni ex parte absolutum. Ad id probandum citat testimoniam Ieremiae, quod mox executiemus. Sed hoc parum videtur consentaneum, quod postquam praefatus est non fuisse quaerendum secundo foede-ri locum, si prius reprehensione vacasset: dicit populum reprehendi, et hac causa remedium afferri novi foederis. Atqui iniquum est, si quid vitii fue-rit in populo, eius culpam in foedus Dei conferri. Videtur ergo non stare argumentum. Quia ut cen-ties Deus populum accusat, non tamen propterea

vitiosum erit foedus. Huius obiecti facilis est solutione. Tametsi enim crimen violati foederis popule iure imputatur, qui sua perfidia desciverat a Domino: tamen simul notatur infirmitas foederis, quia cordibus inscriptum non esset: ergo ut sanctum ac ratum sit, corrigi eportere pronuntiat Deus. Quare non abs re apostolus contendit, quaerendum fuisse secundo locum.

8. *Ecce dies veniunt.* De futuro tempore loquitur propheta. Populum arguit perfidiae, quod post acceptam legem in fide non stetisset. Lex ergo foedus est illud quod a populo ruptum Deus conqueritur. Ut medeatur huic malo, foedus novum et ab hoc diversum promittit, cuius vaticinii complementum, veteris testamenti est abrogatio. Sed perperam torquere videtur apostolus hoc vaticinium, ut ad institutum suum trahat. Hic enim agitatur de caeremoniis quaestio: propheta autem de tota lege concionatur. Quid hoc ad caeremonias, si regulam pie sancteque vivendi hominum voce et literis proditam Deus cordibus inscribit? Respondeo, argumentum esse a toto ad partem. Non dubium est quin propheta totum Mosis ministerium comprehendat, quum dicit: *Pepigi vobiscum foedus quod non servastis.* Porro lex caeremoniis quodammodo vestiebatur. Nunc post corporis interitum quis vestium usus erit? Tritum est illud vulgi proverbium, accessorum sequi naturam sui principalis. Non mirum igitur si caeremoniae, quae nihil sunt quam appendices veteris testamenti, simul cum toto Mosis ministerio finem habeant. Neque hoc apostolis est insolitum, ubi de caeremoniis est controversia, suscipere generalem disputationem de tota lege. Ergo tametsi latius patet hoc Ieremiae vaticinum quam ad caeremonias: quia tamen eas includit sub nomine veteris testamenti, apte ad praesentem causam accommodatur. Caeterum per dies istos, quorum meminit propheta, fatentur omnes designari Christi regnum: unde sequitur, Christi adventu corrindum fuisse vetus testamentum. Domum Israel et domum Iuda nominat, quod postori Abrahae in duo regna divisi erant. Ita promissio est de omnibus electis in unum corpus iterum colligendis, utcunque prius segregati fuerint.

9. *Non secundum foedus.* Hoc verbo exprimitur discrimen inter foedus, quod tunc vigebat, et novum, cuius spem facit: alioqui tantum dixisset propheta: foedus, quod vestra culpa concedit, instaurabo: nunc vero fore dissimile nominat prenuntiat. Quod dicit foedus percussum quo die manum eorum apprehendit ut eos a servitute assereret, tanti beneficii commemoratione crimen defectionis exaggerat. Quamquam non accusat unius saeculi ingratitudinem, sed quum illi ipsi, qui liberati fuerant, protinus defecerint, subinde in eadem exempla relapsi sunt posteri: quare tota gens foedifraga fuit. Quum dicit se-

neglexisse vel amplius non curasse ipos, significat nihil hoc profutrum quod semel in populum adoptati essent, nisi novo remedii genere ipsis subveniat. Quamquam aliud hebraice dicit propheta: sed hoc ad praesentem quaestionem parum interest.

10. *Foedus quod disponam.* Duo praeccipua sunt huius foederis capita: prius est de gratuita peccatorum remissione, alterum de interiori cordium reformatione: tertium ex secundo pendet, de illuminandis in Dei notitiam mentibus. Hic multa sunt notata dignissima. Primum est, quod nullo profectu ad se nos Deus vocat, quamdiu non nisi hominum voce loquitur. Docet quid ac praecipit quid rectum sit: verum apud surdos verba facit. Quod si quid videmur exaudire, tantum feriuntur aures extero sonitu: cor autem pravitatis et contumaciae plenum sanam omnem doctrinam respuit. Denique sermo Dei nunquam in corda nostra penetrat quum ferrea sint aut lapidea, donec ab ipso emoliantur: imo contrarium legem insculptam habent: regnant enim illic perversi affectus qui ad rebellandum nos impellunt. Frustra ergo legem suam voce hominis Deus promulgat, nisi eam spiritu suo inscribat cordibus nostris: hoc est, nisi in obedientiam nos format ac componat. Unde patet quid valeat liberum arbitrium, et quae sit naturae rectitudo, priusquam nos Deus regeneret. Volumus quidem et eligimus, idque sponte: sed furioso prope impetu voluntas fertur ad repugnandum Deo, nec se eius iustitiae submittere ullo modo potest. Ita fit ut lex exitialis nobis sit ac mortifera, quamdiu in tabulis lapideis scripta manet, quemadmodum etiam docet Paulus posterioris ad Corinth. cap. 3, 3. Denique tune obediens amplectimur quod Deus iubet, quum suo spiritu nativam cordium pravitatem mutat et corrigit: alioqui nihil in nobis quam vitiosos affectus et tetum cor malo addictum reperiet. Clara enim est sententia, percutiendum esset novum foedus quo leges suas cordibus Deus insculpat: quia alioqui futurum sit irritum. Secundum caput est de gratuita peccatorum venia. Etiamsi peccaverint, inquit Dominus, tamen ignoscam. Hoc quoque caput plusquam necessarium est: neque enim sic unquam in obedientiam iustitiae suea Deus nos format, quin supersint multi vitiosi carnis affectus: imo tantum aliqua ex parte corrigit naturae nostrae vitiositas. Ita subinde ebulliunt malae cupiditates. Atque hinc certamen illud de quo Paulus conqueritur (Rom. 7, 13), ut pii non obsequantur Deo ut decebat, sed variis modis offendat. Qualecunque ergo iuste vivendi sit in nobis desiderium: rei tamen aeternae mortis coram Deo erimus, quia semper procul abest vita nostra a legis perfectione. Nulla ergo foederis erit stabilitas, nisi gratuito nobis peccata Deus ignoscat. Caeterum hoc singulare privilegium est fideliuum, qui semel oblatum in Christo foedus am-

sum fuerat in monte, respondeant. Quod si alio refertur forma tabernaclii, eadem est rituum et totius sacerdotii ratio. Undo sequitur, nihil in illis esse solidi. Insignis est hic locus, quia tres sententias observatu dignas continet. Inde enim primum discimus, veteres ritus non temero fuisse confertos, ut in illis Deus populum suum quasi in lusu puerili occuparet: nec iuvarem fuisse tabernaculi structuram quae tantum externo splendore spectantium alliceret oculos ne teneret. Vera enim et spiritualis fuit omnium significatio, quum omnia exigere iussus fuerit Moses ad primum exemplar quod coeleste erat. Quare nimis profana est eorum opinio, qui eaeremias in hoc tantum commendatas fuisse volunt, ut essent quasi retinacula ad cohendam populi lasciviam, ne sibi extraneos gentium ritus aecesseret. Hoe quidem est nonnihil, sed non totum. Nam quod longe pluris est emitunt, exercitia fuisse ad retinendum in fide mediatoris populum. Non est tamen quod hie ultra modum simus curiosi, ut in singulis clavis ac similibus minutis quaeramus sublime aliquod mysterium, quemadmodum hae in re anxie laboravit Hesychius, et bona pars veterum scriptorum. Nam dum argute philosophari in rebus sibi ignotis volunt, pueriliter ballucinantur, seque inertiendo faciunt ridiculos. Quare tenenda hie est mediocritas: quod fiet si non plus appetamus scire quam quod in Christo nobis fuit revelatum. Secundo hie docemur, perversos esse omnes cultus et adulterinos, quos sibi proprio ingenio et citra Dei mandatum communisci homines permittunt. Nam quum praescribat Deus ut fiant omnia secundum suam regulam, nihil penitus alienum facere licet. Idem enim valeut istae duae loquutiones, *Vide ut facias omnia secundum typum*, et, *Vide ne quid praeter typum facias*. Ergo traditam a se regulam urgendo, prohibet ne ab ea vel minimum declinemus. Hae ratione concidunt cultus omnes ab hominibus prodiit: item quae vocantur saera-menta, et tamen a Deo profecta non sunt. Tertio hinc disseendum est, nulla esse vera religionis sym-bola nisi quae ad Christum conformantur. Sed evendum est ne dum volumus figmenta nostra Christo aptare, ipsum (ut papistae faciunt) transfiguremus: ita ut iam non sit sui similis. Neque enim nostrum est fingere quidquid libuerit, sed Dei solius est monstrare secundum exemplar, inquit, quod ostensum fuit.

6. *Nunc autem excellentius, etc.* Quemadmodum prius ex sacerdotii dignitate praestantiam foederis colligebat, sic etiam nunc contendit excellentius esse Christi sacerdotium, quia potioris foederis interpres sit ae mediator. Utrumque fuit necessarium, quoniam abstrahendi erant Iudei a superstitione ea-remoniarum observatione, qua impediebantur ne ad sinearam nudamque evangelii veritatem recta ten-

derent. Dicit autem apostolus, aequum esse ut Moses et Aaron Christo, tanquam praestantiori, cedant: quia et evangelium foedus sit excellentius lege, et mors Christi sacrificium multo nobilius legalibus victimis. Sed difficultate non caret quod adiicit, foedus evangelii super melioribus promissionibus fuisse promulgatum. Nam certum est, patribus, qui sub lege vixerunt, eandem vitae aeternae spem fuisse propositam, sicuti communis fuit adoptionis gratia. Isdem ergo promissionibus subnixam fuisse oportet eorum fidem. Verum haec apostoli comparatio ad formam potius quam ad materiam referenda est. Nam uteunque eandem illis salutem Deus promiserit quam hodie nobis promittit: non eadem tamen, nec aequalis fuit revelationis vel mensura, vel species. Qua de re si quis plura desideret, petat ex quarto et quinto capitibus Epistolae ad Galatas, et ex nostra Institutione.

7. *Si enim primum illud reprehensione carniisset, non fuisse secundo quaesitus locus.* 8. Porro incusans eos, dicit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, quum perficiam super domum Israel et super domum Iuda foedus novum.* 9. *Non secundum foedus, quod feci cum patribus eorum, in die quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos e terra Aegypti, quia ipsi non persistenter in foedere meo, et ego neglexi eos: dicit Dominus.* 10. *Quia hoc est foedus quod disponam domui Israel illis diebus, dicit Dominus, ponam leges meas in mente ipsorum, et in cordibus eorum scribam eos: et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum,* 11. *et non decebunt unusquisque civem suum et unusquisque fratrem suum, dicendo: Cognosce Dominum, quia omnes me scient, a parvo inter eos usque ad magnum.* 12. *Quoniam propitius ero iniustitiis eorum, et peccatorum eorum et iniquitatum non recordabor amplius.* 13. *Dicendo novum, antiquavit prius: quod autem antiquatur et veterascit, prope est ut evanescat.*

7. *Si enim primum.* Confirmat quod dixit de foederis praestantia, quod nebisum Deus pepigit per manum Christi: confirmat autem, quia foedus legis non fuerit firmum nec stabile. Nam si nihil illi defuisset, quid attinebat aliud subrogari? Atqui subrogatum est. Unde patet vetus illud non fuisse omni ex parte absolutum. Ad id probandum citat testimoniam Ieremiae, quod mox executiemus. Sed hoc parum videtur consentaneum, quod postquam praefatus est non fuisse quaerendum secundo foederi locum, si prius reprehensione vacasset: dicit populum reprehendi, et hac causa remedium afferri novi foederis. Atqui iniquum est, si quid vitii fuerit in populo, eius culpam in foedus Dei conferri. Videtur ergo non stare argumentum. Quia ut centies Deus populum accusat, non tamen propterea

vitiosum erit foedus. Huius obiecti facilis est solutio. Tametsi enim crimen violati foederis populo iure imputatur, qui sua perfidia desciverat a Domino: tamen simul notatur infirmitas foederis, quia cordibus inscriptum non esset: ergo ut sanctum ac ratum sit, corrigi oportere prouuntiat Deus. Quare non abs re apostolus contendit, quaerendum fuisse secundo locum.

8. *Ecce dies veniunt.* De futuro tempore loquitur propheta. Populum arguit perfidiae, quod post acceptam legem in fide non stetisset. Lex ergo foedus est illud quod a populo ruptum Deus conqueritur. Ut medeatur huic malo, foedus novum et ab hoc diversum promittit, cuius vaticinii complementum, veteris testamenti est abrogatio. Sed perperam torquere videtur apostolus hoc vaticinium, ut ad institutum suum trahat. Hic enim agitatur de caeremoniis quaestio: propheta autem de tota lege concionatur. Quid hoc ad caeremonias, si regulam pie sancteque vivendi hominum voce et literis proditam Deus cordibus inscribit? Respondeo, argumentum esse a toto ad partem. Non dubium est quin propheta totum Mosis ministerium comprehendant, quum dicit: *Pepigi vobiscum foedus quod non servasti.* Porro lex caeremoniis quodammodo vestiebatur. Nunc post corporis interitum quis vestium usus erit? Tritum est illud vulgi proverbium, accessorum sequi naturam sui principalis. Non mirum igitur si caeremoniae, quae nihil sunt quam appendices veteris testamenti, simul cum toto Mosis ministerio finem habeant. Neque hoc apostolis est insolitum, ubi de caeremoniis est controversia, suscipere generalem disputationem de tota lege. Ergo tametsi latius patet hoc Ieremiae vaticinium quam ad caeremonias: quia tamen eas includit sub nomine veteris testamenti, apte ad praesentem causam accommodatur. Caeterum per dies istos, quorum meminit propheta, fatentur omnes designari Christi regnum: unde sequitur, Christi adventu corrindum fuisse vetus testamentum. Domum Israel et domum Iuda nominat, quod posteri Abrabae in duo regna divisi erant. Ita promissio est de omnibus electis in unum corpus iterum colligendis, utcunque prius segregati fuerint.

9. *Non secundum foedus.* Hoc verbo exprimitur discrimen inter foedus, quod tunc vigebat, et novum, cuius spem facit: alioqui tantum dixisset propheta: foedus, quod vestra culpa concidit, iustaurabo: nunc vero fore dissimile nominatum pronuntiat. Quod dicit foedus percussum quo die manum eorum apprehendit ut eos e servitute assereret, tanti beneficii commemoratione crimen defectionis exaggerat. Quamquam non accusat unius saeculi ingratitudinem, sed quum illi ipsi, qui liberati fuerant, protinus defecerint, subinde in eadem exempla relapsi sunt posteri: quare tota gens foedifraga fuit. Quum dicit se

neglexisse vol amplius non curasse ipsos, significat nihil hoc profutrum quod semel in populum adoptati essent, nisi novo remedii genere ipsis subveniat. Quamquam aliud hebraice dicit propheta: sed hoc ad praesentem quaestionem parum intorost.

10. *Foedus quod disponam.* Duo praecepua sunt huius foederis capita: prius est de gratuita peccatorum remissione, altorum de interiori cordium reformatione: tertium ex secundo pendet, de illuminandis in Dei notitiam mentibus. Hic multa sunt notatu dignissima. Primum est, quod nullo prefectu ad se nos Dens vocat, quamdiu non nisi hominum voce loquitur. Docet quidem ac praecipit quid rectum sit: verum apud surdos verba facit. Quod si quid videmur exaudire, tantum feriuntur aures extero sonitu: cor autem pravitatis et contumaciae plenum sanam omnem doctrinam respuit. Denique sermo Dei nunquam in corda nostra penetrat quum ferrea sint aut lapidea, donec ab ipso emoliantur: imo contrariam legem insculptam habent: regnant enim illic perversi affectus qui ad rebellandum nos impellunt. Frustra ergo legem suam voce hominis Deus promulgat, nisi eam spiritu suo inscribat cordibus nostris: hoc est, nisi in obedientiam nos format ac componat. Unde patet quid valeat liberum arbitrium, et quae sit naturae rectitudo, priusquam nos Deus regeneret. Volumus quidem et eligimus, idque sponte: sed furioso prope impetu voluntas fertur ad repugnandum Deo, nec se eius iustitiae submittere ullo modo potest. Ita fit ut lex exitialis nobis sit ac mortifera, quamdiu in tabulis lapideis scripta manet, quemadmodum etiam docet Paulus posterioris ad Corinth. cap. 3, 3. Denique tune obedienter amplectimur quod Deus iubet, quum suo spiritu nativam cordium pravitatem mutat et corrigit: alioqui nihil in nobis quam vitiosos affectus et totum cor malo addictum reperiet. Clara enim est sententia, percutiendum esset novum foedus quo leges suas cordibus Deus insculpat: quia alioqui futurum sit irritum. Secundum caput est de gratuita peccatorum venia. Etiamsi peccaverint, inquit Dominus, tamen ignoscam. Hoc quoque caput plusquam necessarium est: neque enim sic unquam in obedientiam iustitiae suea Deus nos format, quin supersint multi vitiosi carnis affectus: imo tantum aliqua ex parte corrigit naturae nostrae vitiositas. Ita subinde ebulliunt malae cupiditates. Atque hinc certame illud de quo Paulus conqueritur (Rom. 7, 13), ut pii non obsequantur Deo ut decebat, sed variis modis offendat. Qualecunque ergo iuste vivendi sit in nobis desiderium: rei tamen aeternae mortis coram Deo erimus, quia semper procul abest vita nostra a legis perfectione. Nulla ergo foederis erit stabilitas, nisi gratuito nobis peccata Deus ignoscat. Caeterum hoc singulare privilegium est fidelium, qui semel oblatum in Christo foedus am-

plexi sunt, quod Denim certo sciunt sibi propitium esse: nec sibi obstaro peccatum cui sunt obnoxii, quia promissionem veniae habent. Ac notandum est, non in unum diem tantum hoc illis promitti, sed usque in fiuem vitae, ut quotidiana sit ipsorum cum Deo reconciliatio. Nam ad totum Christi regnum extenditur haece gratia. Quod etiam satis demonstrat Paulus 2. ad Corinth. capite quinto. Et certe unicum fidei nostrae asylum est: quo nisi confugiamus, manet nos assidua desperatio. Tenemur enim omnes sub reatu: nec aliter possumus explicari, quam si ad Dei misericordiam confugiamus, quae nos absolvat.

Et ipsi erunt mihi, etc. Hie fructus est foederis, quod nos Deus in populum cooptat, seque salutis nostrae fore praesidem asserit. Id enim valet haec loquendi forma, ero illis in Deum. Quia non est mortuorum Deus, nec in tutelam suam nos recipit quin iustitiae et vitae nos faciat participes: ut merito exclamat David (Psal. 144, 15), beatum esse populum cui Dominus est Deus. Porro minime dubium est quin ad nos pertineat haec doctrina. Tametsi enim primas tenent Israelitae, et propri sunt ac legitimi foederis haeredes: eorum tamen praerogativa non impedit quominus locus nobis etiam pateat. Denique quam longe lateque patet Christi regnum, simul viget salutare hoc foedus. Sed quaeritur an sub lege nulla fuerit certa et efficax salutis promissio, an spiritus gratia destituti fuerint patres, an nullum paternae Dei indulgentiae in remittendis peccatis gustum habuerint. Imo constat eos sincero corde, puraque conscientia coluisse Deum, et ambulasse in eius mandatis. Quod fieri non poterat, nisi intus edocti fuissent a spiritu. Constat etiam quoties reputabant peccata sua, gratuitae veniae fiducia fuisse erectos. Atqui apostolus prophetiam Ieremiae reiiciendo in Christi adventum, videtur utroque bono illos privare. Respondeo, non simpliciter negari quin Deus olim suorum cordibus legem inscriperit, et illis condonaverit peccata: sed comparationem esse maioris et minoris. Quia ergo multo uberius sub Christi regno potentiam spiritus sui exseruit pater, suamque misericordiam in homines effudit: haec eminentia facit ut illa exigua gratiae portio, qua patres sub lege dignatus est, in rationem non veniat. Videmus etiam ut obscurae et involutae fuerint tunc promissiones, ut tantum emicarent instar lunae et stellarum, praeut est evangelii claritas quae nobis affulget. Si quis obiicit, ita excelluisse Abrahae fidem et obedientiam, ut par hodie in toto mundo exemplum invenire non liceat: respondeo, hic non disputari de personis, sed de oeconomia regendae ecclesiae. Praeterea quidquid spiritualium donorum consequuti sunt patres, quasi accidentale fuisse eorum saeculo. Necesse enim erat oculos in Christum coniicere, ut eorum

compones fierent. Quare non absurde apostolus, evangelium cum lege conferendo, huic admitt quod illius est proprium. Interea tamen nihil obstat quominus novi foederis gratiam Deus ad patres extenderit. Haec vera est solutio.

11. *Et non docebunt, etc.* Diximus hoc tertium caput esse quasi secundi partem, ubi habetur: ponam leges meas in mente ipsorum. Est enim opus spiritus Dei, illuminare mentes nostras, ut sciamus quid Deus velit: et corda in obsequium flectere. Nam recta Dei cognitio sapientia est, quae humani ingenii captum longe exsuperat: ideo eam adipisci nemo potest, nisi arcana spiritus revelatione. Quamobrem Iesaias, quum de ecclesiae instaurazione concionatur, dicit filios Dei omnes eis fore discipulos (Iesa. 28, 16). Eodem sensu propheta noster, quum Deum ita loquentem inducit: cognoscent me. Neque enim Deus promittit quod est in facultate nostra positum, sed quod ipse solus nobis praestat. Denique tantundem valent haec prophetae verba, ac si dixisset, mentes nostras caecas esse, rectaque intelligentia vacuas, donec spiritu Dei illustratae fuerint. Ita ab iis solis rite Deus cognoscitur, quibus se peculiari gratia patefacere dignatus est. Quum dicit, a parvo ad magnum: primum significat in omnes ordines effusum iri Dei gratiam, ita ut nullum sit hominum genus illius expers. Deinde admonet, neque rudes ac plebeios homines prohiberi a coelesti sapientia, et magnos ac nobiles ad eam sua perspicacia vel doctrinae adiumentis non pervenire. Sic intimos et ignobiles summis Deus coniungit, ut neque illos sua ruditas impediat, neque hi proprio acumine tam alte descendant: sed unus peraeque omnium magister sit spiritus. Quod autem fanatici homines hinc occasionem arripiunt abolendae externae praedicationis, ac si sub Christi regno esset supervacua: facile eorum insanis refellitur. Haec eorum est obiectio, post Christi adventum non debet quisque proximum suum docere: faceseat igitur externum ministerium, ut internae Dei inspirationi detur locus. Atqui praetererunt quod imprimis animadversione dignum erat. Neque enim in totum propheta negat quin docturi sint alii alios, sed haec sunt verba: non docebunt dicendo: Cognosce Dominum. Ac si diceret, Non amplius occupabit hominum mentes ignorantia qualis antehac, ut nesciant quis sit Deus. Scimus autem duplarem esse doctrinae usum, primo, ut qui penitus rudes sunt, a primis elementis incipient: deinde, ut qui iam sunt iniciati, maiores faciant progressus. Quum ergo Christianis quamdiu vivunt, proficendum sit, certum est, neminem usque adeo sapere quin doceri opus habeat, ut pars non postrema sapientiae nostrae sit docilitas. Quae autom proficiendi sit ratio si velimus Christi esse discipuli, Paulus ostendit ad Ephesios capite 4, 11, Constituit

pastores et doctores, etc. Hinc apparet nihil minus prophetae venisse in mentem, quam spoliare ecclesiam tam necessario bono. Tantum iudicare voluit, Deum parvis ac magnis se patefacturum, quemadmodum et Iohannes praedicit capite 2, 28. Est autem obiter hoc quoque notandum, peculiariter hanc sanae intelligentiae lucem ecclesiae promitti. Quare hic locis nonnisi ad domesticos fidei pertinet.

13. *Dicendo novum. Ab unius contrarii positione alterius eversionem colligit: etc., ex nomine veteris testamenti, argumentum assumit, oportuisse ipsum abrogari.* Vetustas enim ad interitum propendet. Deinde quia novum substituitur, necesse est ut prius illud desinat: quia hoc secundum, alterius est generis, quemadmodum dictum est. Quod si totum Mosis ministerium, quatenus Christi ministerio opponitur, interit: cessant etiam caeremoniae.

CAPUT IX.

1. *Habebat quidem prius illud iustificationes cultus, et sanctum mundanum.* 2. *Tabernaculum enim primum compositum erat, in quo candelabrum et mensa, et panum propositio, quod dicitur sancta.* 3. *Post secundum autem velum, tabernaculum quod sancta sanctorum dicitur,* 4. *aureum habens thuribulum, et arcam foederis undique cooperatam auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron quae floruerat, et tabulae testamenti.* 5. *Supra autem ipsam, Cherubim gloriae obumbrantes propitiatorium: de quibus non attinet nunc dicere sigillatum.*

1. *Habebat quidem prius.* Postquam in genere de abrogatione veteris testamenti loquutus est, nunc specialiter ad caeremonias sermonem illum accommodat. Consilium autem eius est, ostendere nihil tunc fuisse in usu cui finem non imposnerit Christi adventus. Principio dicit in veteri testamento certam fuisse Divini cultus regulam, et quae peculiariter tempori congrueret. Postea ex comparatione patet, quales fuerint omnes illi ritus qui in lege prescripti erant. Quaedam exemplaria habent πρώτη σκηνήν, primum tabernaculum, sed mendum existimo in tabernaculi nomine: nec dubito quin aliquis indoctus lector, quum adiectivum sine substantivo legeret, pro sua inscitia ad tabernaculum referens quod de foedere dictum erat, σκηνὴν perperam addiderit. *Invaluisse vero errorem illum, ut magno consensu ita legatur apud Graecos, valde quidem miror: sed necessitas cogit vetustam lectionem sequi.* Nam¹⁾ apostolus (ut iam dixi) loquutus de veteri testamento, nunc ad caeremonias descendit quae erant ipsius veluti accessiones. Significat ergo, ritus

omnes legis mosaicae partem esse veteris testamenti: et candem sapero votustatem, ut interire ipsos oporteat. Λατρεῖας multi in accensativo plurali accipiunt. Ego iis potius assentior qui ἀιχαίματα λατρεῖας simul coniungunt. Nam instituta vel ritus quos Hebrei Ορνίν vocant, Graeci ἀιχαίματα verterunt. Sensus est, veteri testamento annexam fuisse totam illam rationem colendi Dei, quae sacrificiis, ablutionibus, et reliquis symbolis constabat, una cum sanctuario. Et sanctum mundanum vocat, quia illis nondum suberat coelestis veritas. Quamquam enim imago erat primi exemplaris quod Mosi erat ostensum, tamen imago a reipsa differt: praesertim vero ubi inter se conferuntur tanquam res oppositae, sicuti hoc loco. Quare sanctuarium in se quidem terrenum fuit, et iure consetur inter mundi elementa: coeleste tamen fuit quoad significacionem.

2. *Tabernaculum enim, etc.* Quia hic apostolus tabernaculi structuram leviter tantum attingit, neque plus in ea immoratur quam ferat argumenti necessitas: ego etiam ab ea subtilius explicanda consulto supersedeo. Ergo quod ad praesentem locum satis est, tabernaculum dividamus in tres partes: quarum prima sit atrium populi: media sit sanctuarium communiter appellatum: postrema sanctuarium interior, quod sancta sanctorum κατ' ἔξοχὴν vocant. Quod ad prius sanctuarium attinet, quod atrio populi contiguum erat, dicit illic fuisse candelabrum, et mensam in qua panes erant collocati sed locum illum in plurali vocat τὰ ἄγια. Subsequebatur adytum illud quod sancta sanctorum vocabant, magis remotum a populi conspectu: imo etiam sacerdotum qui in priore sanctuario ministrabant. Nam quum interposito velo clauderetur prius sanctuarium, alterum velum sacerdotes a sanctis sanctorum arebat. Illic apostolus dicit fuisse θυμιατήριον, quo nomine altare suffitus vel thymiamatis potius intelligo, quam thuribulum. Deinde arcam foederis cum suo operculo, duos Oberubim, urnam auream manna refertam, virgam Aaron et duas tabulas. Hucusque apostolus in tabernaculi descriptione propreditur. Caeterum quod urnam ubi manna reposuerat Moses, et virgam Aaron quae floruerat, dicit in arca fuisse cum duabus tabulis, videtur pugnare cum sacra historia quae priore Regum libro, capite 8, 9, refert nihil in arca fuisse praeter duas tabulas. Sed facilis est horum locorum conciliatio: urnam et virgam Aaron Deus iusserat coram testimonio reponi. Quare probabile est, in arca simul cum tabulis fuisse inclusas. Quum autem templum exstructum est, tunc ordine singula digeruntur. Et certe historia hoc quasi novum commemorat, quod arca nihil praeter duas tabulas habuerit.

5. *De quibus non attinet nunc, etc.* Quoniam

¹⁾ Atqui.

nihil satis est curiosis hominibus, argutiis praesenti instituto non congruentibus ansam apostolus praeedit, ne longior harum rerum tractatio filium disputationis abrumpat. Quare intempestive faciet si quis hic contempta apostoli admonitione, serupulosins immoretur. Esset fortassis alibi locus, sed nunc satius est intendere ad causam quam agit. Tametsi ultra instum modum philosophari (quod nonnulli faciunt) non inutile modo, sed etiam periculorum est. Quaedam sunt non obscura, et apta ad fidei aedificationem: sed delectus adhibendus est ac sobrietas, ne plus sapere appetamus quam rovelare Domino placuit.

6. *His vero sic compositis, in prius tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes qui sacra peragunt.* 7. *At in secundum semel quotannis solus pontifex, non sine sanguine quem offert pro suis et populi ignorantis:* 8. *hoc declarante spiritu sancto, nondum manifestatam esse sanctorum viam, stante adhuc priore tabernaculo.* 9. *Quae similitudo erat in praesens tempus, quo dona et hostiae offeruntur quae non possunt secundum conscientiam sacrificare cultorem:* 10. *solum in eibis et potibus, et diversis ablutionibus, et sanctificationibus carnis usque ad tempus correctionis imposita.* 11. *Christus autem superveniens pontifex futurorum bonorum, per maius et perfectius tabernaculum non manufactum, hoc est non huius creationis,* 12. *neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem intravit semel in suneta, aeterna redemptione inventa.*

6. *His vero sic compositis.* Aliis omissis sibi tractandum sumit de quo maxima controversia erat. Dicit sacerdotes, qui sacrificia peragunt, quotidie in prius tabernaculum ingredi solitos: at in sancta sanctorum quotannis summum pontificem cum solenni sacrificio ingredi. Hinc colligit, stante illo tabernaculo legali sanctuarium adhuc fuisse clausum: nec aliter quam illo everso viam nobis in regnum Dei apertam fuisse. Videamus ut ipsa tabernaculi veteris forma Iudeos monuerit alio adspirandum esse. Stulte ergo faciunt qui umbras legis retinendo sponte sibi obviam obstruunt. Πρώτην σχετικήν alio sensu hic posuit quam nuper. Nam prius significabat sanctuarium commune, nunc vero totum tabernaculi corpus. Opponitur enim spirituali sanctuario Christi, cuius statim mentionem faciet. Contendit illud concidisse nostro summo bono: quia per eius ruinam stratus nobis fuit ad Deum magis familiaris accessus.

7. *Pro suis et populi ignorantis.* Quum ἡλίς Hebreis errare significet, inde nomen ἡλίς deducunt, quod proprio errorem denotat: sed tamen generaliter pro quovis peccato sumitur. Et certe nunquam peccamus nisi Satanae illecebris decepti.

Simplicem quidem (ut vocant) ignorantiam non intelligit apostolus, quin potius voluntaria etiam peccata comprehendit hoc nomine: sed (ut iam dixi) nullum unquam peccatum errore vacat. Nam ut maxime sciens ac volens quis peccet, exceccatum tamen sua cupiditate esse eportet ne recto iudicet, imo ut se ac Deum obliviscatur. Nunquam enim consulto in suum exitium ruerent homines, nisi Satanae fallaciis impliciti a recto iudicio aberrarent.

9. *Quae similitudo erat, etc.* Graceo est παραβολὴ: quod nomen hic, meo iudicio, tantum valet ac si dixisset ἀντίτυπον. Intelligit enim tabernaculum illud, secundarium fuisse exemplar quod primo respondeat. Sic enim conferri debet hominis imago cum ipso homine, ut illa conspecta mentes nostras protinus ad hunc se referant. Praeterea dicit illam similitudinem fuisse in tempus praesens, nempe quamdiu vigebat externa observatio, ut eius usum ac durationem restringat ad aetatem legis. Nam idem valet atque quod addit paulo post, caeremonias omnes impositas fuisse usque ad tempus correctionis. Nec obstat quod usurpat praesens tempus, quum dicit offorri hostias: nam quia illi negotium est cum Iudeis, per concessionem loquitur, quasi unus esset ex eorum numero qui sacrificant. *Dona et hostiae inter se differunt ut genus et species.*

Secundum conscientiam sacrificare. Hoc est, quae non penetrant in animas ut veram conferant sanctitatem. Alii legunt perfidere: quod ego non reiicio: Sanctificandi tamen verbum contextui aptius mihi visum est. Porro ut apostoli mentem melius teneant lectores, notanda est antithesis inter carnem et conscientiam. Sacrificiis legalibus negat spiritualiter vel intus mundari potuisse cultores. Rationis vice additur, quia illi omnes ritus carnis fuerint, vel carnales. Quid ergo residuum illis facit? Vulgo intelligent, utilem duntaxat inter homines fuisse paedagogiam quae honestate ac decoro serviret. Sed qui ita sentiunt, non expendunt satis pro merito additas promissiones. Quare hoc commentum prorsus repudiandum est. Et perperam ac imperito iustificationes carnis interpretantur, quae corpus tantum purgant vel sanctificant: quum apostolus bac voce terrena esse symbola intelligat quae ad animam usque non pervenient. Nam utecumque vera fuerint perfectae sanctitatis testimonia, eam tamen minime in se continebant vel conferro poterant hominibus. Oportuit enim talibus adminiculis fideles ad Christum manu duci, ut ab eo peterent quod symbolis deerat. Si quaerat quispiam, cur tam parum honorifice et quasi contemptim de sacramentis divinitus institutis loquatur apostolus, vimque eorum extenuet: id fit quoniam ea a Christo separat. Scimus autem quum per se aestimantur, egena esse mundi clementa, sicuti

etiam Paulus vocat (Galat. 4, 9). Quum dicit tempus correctionis, alludit ad vaticinium Ieremiae (Ier. 31, 37). Novum enim testamentum veteri instar correctionis successit. Nominatum cibos ac potus recenset, ac similia quibus minus inerat momenti: quia ex levibus istis observatione eulis certius iudicium fieri poterat, quam procul ab evangelii perfectione lex distaret.

11. *Christus autem superveniens, etc.* Iam veritatem earum rerum, quae sub lege fuerunt, in medium profert, quae ab illis ad se oculos convertat. Nam qui vere in Christo exhibita fuisse credit quaecunque tunc fuerunt adumbrata, non amplius in umbris haeret, sed corpus ipsum et solidam veritatem amplectitur. Notandae autem sunt diligenter partes, in quibus Christum cum veteri pontifice comparat. Dixerat, unicum pontificem semel quotannis in sanctuarium ingredi cum sanguine quo peccata expiat. Hoc simile Christus habet cum illo veteri, quod solus dignitatem et munus pontificis obtinet: hoc vero diversum quod supervenit, et aeterna bona secum adfert quae perpetuitatem conciliant eius sacerdotio. Secundo hoc simile est inter veterem pontificem et hunc nostrum, quod uterque per sanctuarium ingreditur ad sancta sanctorum: sed in hoc differunt, quod Christus solus in coelum ingressus est per templum corporis sui. Quod semel tantum quotannis sancta sautorum aperiebantur pontifici ad peragendam solennem expiationem, id iam obscure figurabat unicum Christi oblationem. Ambobus igitur illud semel commune est, sed terreno fuit anniversarium: coelesti autem aeternum est usque ad finem mundi. Ambobus communis est sanguinis oblatio: sed magnum in sanguine discrimen, quia non pecuinum, sed proprium sanguinem Christus obtulit. Ambobus communis expiatio: sed legalis illa, quia inefficax erat, quotannis repetebatur: expiatio autem per Christum parta semper viget, et perpetuae nobis salutis causa est. Ita singulis prope verbis magnum inest pondus. Quod alii vertunt, Christus assistens, non vere exprimit mentem apostoli: significat enim postquam munere suo ad praefixum tempus defuncti sunt levitici sacerdotes, Christum fuisse subrogatum, sicuti supra septimo capite habuimus. Futura bona pro aeternis accipe. Nam sicuti μέλλων κακίρδες τῷ ἐνεστηκέτι opponitur, ita futura bona præsentibus. Summa est, Christi sacerdotio nos in coeleste Dei regnum perduci, nosque spiritualis institiae et aeternae vitae sic fieri compotes, ut quidquam appetere melius fas non sit. Solus igitur Christus habet quo nos in se retineat ac sistat.

Per maius et perfectius. Etiamsi varie exponitur hic locus, mihi non dubium est quin Christi corpus intelligat. Sicuti enim accessus erat olim pontifici levitico in sancta sanctorum per sanctuarium com-

mune: ita per corpus suum Christus in coelestem gloriam ingressus est. Quia dum induit carnem nostram, et in ea passus est: hanc sibi prærogativam comparavit, ut coram Deo nunc pro nobis mediator appareat. Primo sauctuarii nomen apte et congruerter ad corpus Christi transfertur: est enim templum, in quo tota Dei maiestas habitat. Dicitur autem per corpus suum iter fecisse ut in coelum ascenderet, quia in corpore illo se Deo consecravit: in eo fuit sanctifieatus in veram iustitiam, in eo se præparavit ad peragendum sacrificium: denique quia in eo se exinanivit, et mortem crucis pertulit, ideo extulit illum pater, et dedit illi nomen quod sit supra omne nomen, cui fleetatur omne genu, etc. Itaque per corpus suum coelos ingressus est, quia ideo nunc sedet ad patris dexteram: ideo in coelo pro nobis intercedit, quod carne nostra induitus eam Deo patri in templum conceceravit: et in ea sanctificavit se ipsum ut nobis aeternam iustitiam, facta peccatorum expiatione, acquireret. Mirum tamen videri possit cur neget corpus Christi huius fuisse creationis. Nam certe creatum fuit ex Abraham semine, et passionibus mortisque obnoxium. Respondeo, non hic agi de corporis substantia, vel etiam corporea qualitate, sed de virtute spirituali, quae inde ad nos manat. Quatenus enim est vivifica Christi caro, et coelestis cibus ad pascendas animas, quatenus spiritualis potus est et lavacrum eius sanguis, nihil in illis terrenum vel elementale imaginari licet. Deinde meminerimus hoc dici veteris tabernaculi respectu, quod ex ligno, aere, pellibus, variis texturis, auro et argento compositum erat, hoc est ex rebus mortuis. At Christi carnem, ut vivum sit et spirituale templum, Dei potentia inspirat.

12. *Nec per sanguinem hircorum.* Huc spectant ista omnia, tantopere excellere quae in Christo sunt, ut merito in nihilum redigant omnes legis figuras. Quale enim sanguinis Christi pretium erit, si brutorum sanguini accenseatur? qualis erit expiatio morte eius parta, si legales purgationes vigorem suum retineant? Simil ergo atque in medium prodit Christus cum effectu mortis sua, figuræ omnes cessare necesse est.

13. *Si enim sanguis taurorum et hircorum et cinis vitulæ adspersus, eos qui communicant, sanctificat ad carnis puritatem,* 14. *quanto magis sanguis Christi qui per spiritum aeternum se ipsum obtulit irreprehensibilem Deo, mundabit conscientiam vestram a mortuis operibus, ad serviendum Deo viventi?* 15. *Ac propterea testamenti novi mediator est, ut morte intercedente in redemptionem transgressionum quae sub priore testamento erant, qui vocati sunt, promissionem accipiant aeternae haereditatis.* 16. *Nam ubi est testamentum, illic necesse est mortem testatoris intercedere.* 17. *Testa-*

mentum enim in mortuis firmum est, quia nunquam validum est quādū vivit testator.

13. *Si enim sanguis taurorum.* Hic locus multis errandi occasionem praebnit, quia non reputabant de sacramentis tractari, quorum spiritualis est significatio. Carnis emundationem exponunt quae tantum inter homines valeat: sicuti profani homines habebant sua piacula quibus scelerum infamiam delorent. Hace vero expositio nimis profana est. Nam iniuria fit Dei premissionibus, si earum effectum restringimus ad politiam duntaxat. Subinde occurrit haec sententia apud Mosem: *Quum saerificium rite perfectum fuerit, expiabitur iniquitas.* Haec certe spiritualis est fidei doctrina. Praeterea quoniam hue destinatae fuerint omnes victimae, ut ad Christum ducerent: quoniam aeterna est in Christo animae salus, ita illa vera huius salutis testimonia erant. Quid ergo sibi vult apostolus quoniam de carnis purgatione meminit? Nempe symbolicum intelligit, vel sacramentalem: hoc sensu: Si pecudum sanguis verum fuit purgationis symbolum, ita ut sacramentali modo purgaret: quanto magis Christus ipse, qui veritas est, purgationem non modo externe ritu testabitur, sed re ipsa conscientiis praestabit? Itaque argumentum est a signis ad rem signatam, quia rei effectus longo intervallo praecedit signorum veritatem.

14. *Per spiritum aeternum.* Nunc clare ostendit unde aestimanda sit mors Christi, non ab externo actu scilicet, sed a spiritu virtute. Passus enim est Christus, ut homo, sed ut mors illa nobis salvifica esset, proveniebat ex efficacia spiritus. Sacrificium enim expiationis aeternae opus fuit plus quam humanum. Et ideo spiritum vocat aeternum, ut sciamus, reconciliationem, cuius est effector, aeternam esse. Quoniam dicit irreprehensibilem, tametsi alludit ad legales victimas, quae mutilas aut vitiosae esse non debebant: tamen significat, Christum solum legitimam esse victimam ac idoneam placando Deo. Semper enim in aliis fuit quod desiderari iure posset: *unde et prius dixit legale foedus non fuisse ἄμεμπτον.* Haec autem una nihil habet nisi summe perfectum. Mortua opera intellige vel quae mortem generant, vel quae fructus sunt mortis. Nam quoniam animae vita sit nostra eum Deo coniunctio: qui alienati sunt per peccatum, vere censentur mortui. Netandus est autem purgationis finis, ut serviamus Deo. Neque enim abluiamur a Christo, ut in novas subinde sordes nos immergamus: sed ut nostra puritas Dei gloriae serviat. Praeterea docet, nihil posse a nobis prodire quod Deo gratum sit, donec Christi sanguine purgati simus. Nam quoniam inimici Deo simus omnes ante reconciliationem, exosa quoque opera nostra habet. Quare initium legitimi cultus est re-

conciliatio. Deinde quia nullum opus ita purum est, omnino macula vacuum, ut per se Deo placeat, necesse est purgationem ex sanguine Christi intervenire quae maculas omnes delect. Et elegans est antithesis inter Deum vivum et opera mortua.

15. *Ac propterea novi testamenti.* Concludit non iam amplius alio sacerdote opus esse, quia Christus sub novo testamento has partes impletat. Neque enim Christo vendicat honorem mediatoris ut alii eum eo interea maneat, sed contendit alios omnes esse abdicatos quoniam injunctum fuit munus Christo. Sed quo plenius id confirmet, simul recenset quo modo mediatoris officio defunetus sit, nempe morte intercedente. Si hoc in solo Christo reperitur, aliis omnibus deest: sequitur, ipsum solum iustum esse mediatorem. Commemorat praeterea vim et effectum mortis eius, quoniam dicit solutum esse pro peccatis pretium, quae sub priore testamento deleri peccatum sanguine non poterant: quibus verbis Iudeos a lege ad Christum traducere voluit. Nam si tanta est legis imbecillitas, ut quaeunque expiandis peccatis remedia adhibet, minime praestent quod figurant: quis in ea tanquam in portu quiescat? Hoc inquam unum abunde eos stimulare debuit ad expetendam legis correctionem: quia fieri non poterat quin perpetuo anxii essent. Contra ubi ad Christum ventum est, quia in ipso obtinemus plenam redemptionem, nihil est quod nos amplius sollicitet. Ergo his verbis legem infirmat, ut in eam renumbere Iudei desinant: et stare in Christo docet, quia in ipso reperitur quidquid pacantis conscientiis expeti potest. Si quis autem roget annon remissa fuerint patribus peccata etiam sub lege, tenenda est solutio quam ante dixi: fuisse remissa, sed Christi beneficio: ergo quod ad externas expiations, semper tenebantur reatu alligati. Hac ratione Paulus dicit (Coloss. 2, 14), legem fuisse chirographum nobis contrarium. Nam quoniam prodiret in medium peccator, seque Deo obnoxium palam profiteretur, et innoxium animal mactando, se dignum aeterna morte esse agnosceret: quid consequebatur ex sua victima, nisi quod mortem suam hoc quasi chirographo obsignabat? Denique tunc demum in peccatorum remissione acquiescebant, quoniam respicerent in Christum. Quod si solus Christi respectus peccata abstulit, nunquam illi fuisse liberati, si in lege restitissent. Pronuntiat quidem David, beatum esse hominem cui non imputantur peccata (Psal. 32, 2): sed ut huius beatitudinis sit compos, necesse habet, relicta lege, coniicere oculos in Christum. Nam si in lege haereat, nunquam reatu eximetur.

Qui vocati sunt, promissionem, etc. Huc spectat divinum erga nos foedus, ut in filios adoptati vitae aeternae tandem simus haeredes. Hoc Christi beneficio nos consequi docet apostolus: unde patet, in

eo esse foederis complementum. Promissio autem haereditatis, pro haereditate promissa capit. Ac si dixisset: Promissio vitae aeternae non aliter nobis constat ut ea fruamur quam per Christi mortem. Vita quidem patribus olim promissa fuit, et eadem ab initio fuit filiorum Dei haereditas: sed in possessionem non aliter ingredimur quam praeceunte Christi sanguine. Loquitur autem de vocatis, ut Iudaeos, qui huius vocationis erant participes, magis afficiat. Singularis enim est haec gratia, quum Christi cognitione donamur. Itaque eo magis cavadum est ne tam inestimabili thesauro neglecto alibi vagentur mentes nostrae. Vocatos quidam pro electis accipiunt: sed perperam meo iudicio. Idem enim hic docet apostolus quod habetur Rom. capite 3, 25, iustitiam et salutem Christi sanguine partam esse, fide vero a nobis percipi.

16. *Nam ubi est testamentum.* Vel hic unus locus argumento est, epistolam hebraice scriptam non fuisse. בְּרִית enim foedus Hebraeis, non testamentum significat: sed quia apud Graecos διαθήκη utrumque comprehendit, apostolus ad secundam significationem alludens, promissiones non aliter potuisse ratas ac validas esse disputat, quam si Christi morte obsegnatae essent. Idque probat ex communi iure testamentorum: quorum vis suspensa est usque ad eorum mortem qui testantur. Quamquam videtur apostolus nimis infirmae rationi inniti, ut nullo negotio refutari queat quod dicit. Neque enim testamentum condidit Deus sub lege, sed foedus pepigit eum veteri populo: ita neque ex re, neque ex nomine colligere potuit necessarium fuisse Christi mortem. Nam si ex re inferat, oportuisse Christum mori, quia testamentum non nisi morte testatoris ratum sit: prompta est exceptio, בְּרִית (quo nomine passim utitur Moses) foedus esse quod inter vivos pereutitur, nec de re ipsa aliud sentiendum est. Quod ad nomen spectat, simpliciter (ut iam dixi) ad ambiguam gracieae vocis significationem allusit. Quare in rem ipsam praecipue insistit. Nec obstat quod Deus eum populo suo foedus paciscebatur. Quia foedus hoc simile testamento erat, quippe quod sanguine sanciebatur. Hoc axioma tenendum est, Nulla unquam symbola temere vel abs re a Deo fuisse usurpata. Atqui Deus in stabiliendo legis foedere sanguinem interposuit. Ergo non fuit contractus inter vivos (ut loquuntur), sed qui mortem postularet. Porro haec propria est conditio testamenti, ut a morte effectum suum habero incipiat. Si ex re cogitemus apostolum pugnare, non ex verbo: deinde si reputemus illum pro confesso sumere (quod iam dixi) nihil frustra a Deo fuisse institutum: non multum erit difficultatis. Si quis obiiciat, gentes in alium sensum foedera sacrificiis mactasse: id quidem verum esse fateor, sed Deus ritum sacrificandi ex gentium con-

suetudine mutuatus non est: quin potius omnia gentium sacrificia degeneres fuerunt corruptelae, quae tamen initium traxerunt a Dei institutis. Proinde semper huc redeundum est, foedus Dei quod sanguine percussum fuit, apte conferri testamento, quia eiusdem conditionis ac naturae fuerit.

18. *Unde neque primum illud sine sanguine dedicatum fuit.* 19. *Nam postquam exposuisset Moses secundum legem totum mandatum universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua et lana coccinea, et hyssopo, librum et totum populum adspersit,* 20. *dicens: hic est sanguis testamenti, quod Deus mandavit vobis omnibus.* 21. *Quin et tabernaculum, et omnia vasa ministerii, sanguine similiter adspersit:* 22. *et propemodum sanguine omnia purgantur secundum legem, nec sine sanguinis effusione fit remissio.* 23. *Necesse igitur est, exempla eorum quae sunt in coelis, istis purgari: ipsa vero coelestia melioribus quam illac fuerint hostiis.*

18. *Neque primum illud.* Hinc appareat rem praecepue urgeri, non autem verbi quaestionem esse: etsi in suum commodum apostolus vocem inflexerit sibi oblatam in ea lingua qua scribebat. Quemadmodum si quis de eodem Dei foedore disserens, quod saepe μάρτυρις graciee vocatur, inter alia ipsum hoc elogio commendet. Vere sane μάρτυρις est cui testimonium e coelo angeli reddunt: cuius tot locupletissimi fuerunt in terris testes, nempe omnes sancti prophetae, apostoli et ingens martyrum turba: cuius se demum sponsorem interposuit ipse Dei filius. Nemo in tali sermone quidquam reperiet absurdum. Et tamen hebraici verbi בְּרִית proprietas id non evincit: sed quia nihil dicitur nisi rei ipsi consentaneum, non tam scrupulosa habetur vocabuli ratio. Itaque dicit apostolus vetus testamentum sanguine dedicatum fuisse. Unde colligit, iam tunc admonitos fuisse homines, non aliter stabile et efficax esse posse, quam si mors interveniret. Nam quod tunc pecudum sanguis fuit effusus, id valuisse negat ad aeterni foederis confirmationem. Quod ut clarius pateat, observandus est adspersionis ritus quem hic recitat ex Mose. Primo tradit foedus fuisse dedicatum: non quod profanum in se quidquam haberet, sed quia nihil tam sanctum est quod non homines sua immunditia profanent, nisi Deus ipse facta omnium innovatione occurrat. Quare dedicatio fit in hominum gratiam, qui ea soli indigent. Addit postea, tabernaculum cum omnibus vasibus, adeoque librum ipsum legis fuisse adspersum. Qua caeremonia iam tunc populus edocebatur, non aliter Deum posse in salutem quaeri vel adspici, nec aliter rite coli posse, quam si ubique fides in sanguinem intermedium intueretur. Nam et Dei maiestas merito

nobis est formidabilis: et via ad eam nihil quam existialis est labyrinthus, donec Christi sanguine placatum nobis sciamus esse, et idem sanguis facilem nobis accessum praebeat. Omnes etiam cultus vitiosi sunt ac impuri, nisi Christus sanguinis sui adspersione eos mundet. Nam tabernaculum visibilis quaedam imago Dei fuit: vasa ministerii ut ad eum colendum erant destinata, sie veri cultus symbola erant. Quod si nihil eorum populo salutare erat sine sanguine, hinc facile colligimus, ubi Christus eum sanguino suo non appareret, nihil nobis esse cum Deo. Sie neque doctrina ipsa, uteunque immutabilis sit Dei voluntas, nobis ac in usum nostrum efficax erit, nisi sanguine dedicata: quemadmodum hoc verbo melius exprimitur. Scio alios secus interpretari. Nam illis tabernaculum est corpus ecclesiae: vasa singuli fideles, quorum Deus ministerio utitur. Sed illud quod dixi, longe aptius est. Nam quoties invocandus erat Deus, ad sanctuarium se vertabant. Et trita est illa loquutio, sistere se coram facie Domini, quum in templo apparerent.

20. *Sanguis testamenti quod mandavit.* Si ille sanguis testamenti: ergo nec testamentum sine sanguine ratum est, nec sanguis sine testamento ad expiationem valet. Ideo necesse est utrumque coniungi. Et videmus nonnisi exposita lege additum fuisse symbolum. Quale enim sacramentum foret, nisi praeeunte verbo? Proinde symbolum quaedam ad verbum accessio est. Et observa hoc verbum non ad magicam incantationem susurrari, sed clara voce proferri: quemadmodum populo destinatur, ita verba sonant foederis: *Quod Deus mandavit vobis.* Quare perversus est sacramentorum abusus, adeoque impia corruptela, ubi nulla auditur mandati expositio, quae est velut sacramenti anima. Quare papistae, qui a signis veram rerum intelligentiam tollunt, mortua dunt taxat elementa retinent. Locus hic admonet, omnes Dei promissiones tunc demum utiles nobis esse, dum ex Christi sanguine accessit confirmatio. Nam quod in Christo Paulus omnes Dei promissiones Etiam et Amen esse testatur (2. Cor. 1, 20), id fit quum eius sanguis, instar sigilli, cordibus nostris insculptus est: vel quum non tantum audimus loquentem Deum, sed Christum cernimus se offerentem in pignus eorum quae dicuntur. Haec tantum cogitatio si in mentem nobis veniret, non tam atramento quam filii Dei sanguine scriptum esse quidquid legimus: quum evangelium praedicatur, una cum voce sacrum illum sanguinem stillare: longe maior nostra esset tum attentio, tum reverentia. Huius rei symbolum fuit adspersio illa, cuius mentio fit apud Mosem. Quamquam plus hic habetur quam Mosis verba exprimant. Neque enim librum, sed populum fuisse adpersum narrat: neque hircos nominat, neque lanam coccineam, neque hyssopum.

Quod ad librum spectat: etsi clare non potest evinci eius adspersio, probabili tamen conjectura olicetur ex eo quod dicitur Moses cum protulisse in medium postquam sacrificaverat, idque ut solenni stipulatione populum Deo obstringeret. Quod ad reliqua attinet, videtur mihi apostolus varias expiationes, quarum eadem erat ratio, permiscuisse. Nec sane in eo quidquam est absurdum: quum generalem quaestionem tractet de veteris testamenti purgatione, quae per sanguinem fiebat. Quod autem ex hyssopo adspergillum fiebat, et lana coccinea, non dubium est quin mysticam adsperginem quae fit per spiritum, repraesentaverit. Scimus hyssopum singulari purgandi et excoquendi efficacia pollere: ita Christus spiritu suo vice adspergilli uititur ad nos sanguine suo abluidos, dum serio poenitentiae sensu nos afficit, dum excoquit pravas carnis nostrae cupiditates, dum pretioso iustitiae suae colore nos tingit, neque enim de nihilo hoc Deus instituerat. Huc quoque allusit David Psal. 51, 9, quum dicit, *Adsperves me Domine hyssopo, et mundabor.* Haec sufficient quibus sobrie philosophari animus est.

22. *Et propemodum omnia.* Quum dicit prope modum, videtur indicare aliter quaedam purgari. Et certe aqua se et alias res immundas saepenumero ablubant. Verum et aqua illa vim abluidi habebat ex sacrificiis, ut vere apostolus tandem pronuntiet, nullam sine sanguine fuisse remissionem. Proinde imputabatur immundities, donec sacrificio esset expiata. Et quemadmodum extra Christum non est puritas neque salus, ita nihil sine sanguine vel purum, vel salutare esse potuit: quia nunquam a mortis suae sacrificio separandus est Christus. Sed apostolus simpliciter dicere voluit, fere semper adhibitum fuisse hoc symbolum. Quod si quando non fiebat purgatio, nihilominus erat in sanguine: quandoquidem omnes ritus vim suam quodammodo ex generali expiatione mutuabantur. Nam neque singuli ex populo adspersi fuerunt (quomodo enim modica sanguinis portio ad tantam multitudinem sufficere poterat?), purgatio tamen periebat simul ad omnes. Ergo particula prope modum, tantudem valet ac si dixisset, frequentissimum huius caeremoniae usum fuisse, ut ea raro abstinerent in purgationibus. Nam quod Chrysostomus improprietatem ita notari putat, quia figurae tantum illuc fuerint: alienum est a mente apostoli.

Non fit remissio. Hoc modo prohibiti sunt homines a Dei conspectu: quia cum illis omnibus iure infensus sit, non est cur ullam sibi gratiam apud eum promittant, donec placatus fuerit. Porro una est ratio placandi per sanguinis expiationem: proinde nulla peccatorum venia speranda est nisi sanguinem afferamus. Hoc fit dum fide confugimus ad Christi mortem.

23. *Exempla corum.* Ne quis obiiceret alium

fuisse quam testatoris sanguinem quo vetus testamentum dedicatum fuit: anticipat apostolus, ac dicit non osse mirum si pecudum victimis consecratum fuerit tabernaculum illud quod terrestre erat: analogiam enim ac similitudinem fuisse inter purgationem et res purgatas. At coeleste istud, de quo disserit, exemplar longe alio modo consecrari oportuisse: hic locum non habere hircos aut vitulos, unde sequitur, testatoris mortem esse necessariam. Hic ergo sensus est, Quum in lege terrestres duntaxat rerum spiritualium imagines fuerint, expiandi quoque ritus carnalis et figurativus (ut ita loquar) fuit. At quum coeleste exemplar nihil terrenum admittat, alium postulat quam pecudum sanguinem qui eius respondeat praestantiae: sic mors testatoris flagitatur, ut vera fiat testamenti consecratio. Coelestia vocat regnum Christi quod spirituale est, solidamque habet veritatis revelationem: potiores victimas pro victima, quia tantum una est: sed propter antithesim plurali numero libere abusus est.

24. *Neque enim in manufacta sancta ingressus est Christus, exempla verorum: sed in ipsum coelum, ut nunc appareat coram facie Dei pro nobis.* 25. *Neque ut saepe offerat se ipsum, quemadmodum pontifex ingreditur in sancta quotannis cum sanguine alieno:* 26. *(quandoquidem oportuisset illum saepius pati a creatione mundi) nunc autem in consummatione saeculorum, semel in destructionem peccati, per victimam sui ipsius apparuit.* 27. *Et quatenus constitutum est hominibus semel mori, post hoc vero, iudicium:* 28. *ita et Christus semel oblatus ut multorum auferret peccata: secundo absque peccato conspicetur iis qui eum expectant in salutem.*

24. *Neque enim, etc.* Est confirmatio superioris sententiae. Loquitus erat de vero sanctuario, hoc est coeli: nunc addit, Christum illuc ingressum esse, unde sequitur requiri etiam confirmationem quae congruat. Sancta pro sanctuario accipit. Vocat non manufactum quod inter creaturas corruptioni obnoxias censeri non debet. Neque enim coelum hic intelligit quod oculis cernimus, et in quo stellae lucent: sed gloriam regni Dei quae coelos omnes superat. Sanctuarium vetus ἀγάπητον veri, hoc est spiritualis, appellat: quia externae omnes figurae, quasi in speculo repraesentant quod aliqui sub sensu corporeos non cadit. Eodem verbo interdum utuntur scriptores graeci quum de sacramentis nostris disputant: idque scite et congruenter, quia omne sacramentum visibilis est rerum invisibilium imago.

Ut nunc appareat. Sic olim sacerdos leviticus populi nomine se in Dei conspectum sistebat, sed in figura: in Christo autem solida veritas et plenus figurae effectus. Arca enim symbolum erat divinae praesentiae. At Christus se in Dei conspectum

vere offert ac sistit ad impetrandam nobis gratiam: ut iam nulla sit causa cur fugiamus tribunal Dei, ubi tam bonum habemus patronum, cuius fide ac tutela salvi ac tuti sumus. Erat quidem iam tunc advocatus noster Christus quum in terris agoret: sed hoc praeterea infirmitati nostrae concessum est, ut coelos condescenderet ad subeundum patroni munus. Ita quoties de eius in coelum adscensu fit mentio, debet hacc utilitas nobis venire in mentem, quod illie coram Deo appetit, ut nos suo patrocinio defendat. Stulte ergo et intempestive a quibusdam quaeritur an nou semper apparuerit, quia hic tantum do intercessione apostolus disputat, cuius causa coeleste sanctuarium ingressus est.

25. *Neque ut saepe offerat.* Quomodo igitur sacerdos, dicit quispiam, si abstinet a sacrificiis? Respondeo, in officio vel persona sacerdotis non requiri continuum sacrificandi actum. Nam et iulege praecipuis sacrificiis stati erant quotannis dies: quotidiana etiam suas horas manu et vesperi praescriptas habebant. Quum autem unicum illud sacrificium quod semel Christus obtulit, semper vigeat, adeoque perpetuum sit quod ad efficaciam: non mirum est si eius virtute quae nunquam excidit, fulciatur aeternum Christi sacerdotium. Atque hic rursus quid et quibus in rebus differat Christus a levitico sacerdote, ostendit. De sanctuario iam dictum est prius: sed unum discrimen notat in sacrificii genere: quia se ipsum Christus, non brutum animal, obtulerit. Deinde alterum, quod sacrificium hoc non repetat, quemadmodum sub lege frequens repetitio fuit, et prope assidua.

26. *Alioqui oportuisset.* Ostendit quanta sequatur absurditas, si non satis habeamus expiari uno Christi sacrificio. Inde enim saepius mori oportuisse colligit, quia mors cum sacrificio semper sit coniuncta. Hoc autem posterius est absurdissimum. Sequitur ergo, virtutem unius sacrificii aeternam esse, et ad omnia saecula extendi. Dicit autem, a mundi origine: quia omnibus saeculis ab initio fuerunt peccata quae expiatione indigebant. Nisi ergo tunc officia fuisse Christi sacrificium, nemo ex patribus salutem consequetus esset. Nam quum irae Dei obnoxii per se fuerint, deficeret eos liberationis remedium, nisi Christus semel patiendo, quantum ad reconciliandam hominibus Dei gratiam, a mundi origine usque in finem passus esset. Ergo nisi plures mortes exspectamus, contenti simus unico sacrificio. Atque hinc patet quam frivola sit distinctio illa, in cuius argutia sibi tantopere placent papistae, quum dicunt immolationem Christi in cruce fuisse sanguineam: missae vero sacrificium quod offerri quotidie Deo fingunt, esse incuruentum. Nam si subtile illud effugium valeat, incogitantiae argendum erit spiritus Dei cui non venit in mentem. Quandoquidem hoc pro confesso apostolus sumit,

non esse absque morto sacrificium. Nihil moror quod sic loquuntur vetusti scriptores. Nequo onim est in hominum arbitrio, cuiusmodi ipsis libuerit sacrificia tingere. Stat hoc spiritus sancti axioma, non expiari sacrificio peccata quin sanguis fundatur. Quare diabolicum est commentum, saepius Christum offerri.

Nunc autem in consummatione. Perfectionem saeculorum vocat, quo ad Galatas cap. 4, 4, Plenitudo dicitur. Fuit enim ista quaedam temporis maturitas quam Deus aeterno suo decreto statuerat. At quo modo ansa praeceiditur hominum curiositati, ne inquirere audeant eur nou citius, eur illa potius aetate. Nos eni arcane Dei consilio acquiescere dect: cuius ratio tametsi nobis non est perspicua, illi tamen constat. In summa, significat apostolus tempestivam fuisse Christi mortem, quum a patre hae de causa missus fuit in mundum, penes quem legitima, ut rerum omnium, ita et temporum gubernatio est: quum eorum seriem summa, etsi nobis saepe abscondita, sapientia ordinet. Praeterea haec consummatio anteacti temporis imperfectioni opponitur. Sic enim suspensum tenuit Deus populum veterem, ut facile iudicari posset, nondum ad fixam conditionem ventum esso. Ideo prioris ad Corinthios cap. 10, 11, Paulus fines saeculorum in nos incidisse tradit. Quo significat, regnum Christi omnibus rebus complementum attulisse. Quod si haec fuit temporum plenitudo quum ad peccata expianda apparuit Christus, atrocem illi iniuriam faciunt qui volunt renovari sacrificium, ac si morte eius nondum completa essent omnia. Semel ergo apparuit: quia si fieret iterum vel tertio, aliquid ad primam oblationem deesset quod plenitudini repugnat.

In destructionem. Congruit hoc cum Danielis vaticinio (9, 14), quo postquam obsignatio et abolitio scelerum promissa est, finis sacrificii indicitur. Quorsum enim piacula destructis sceleribus? Porro destructio haec in eo consistit, quod iam non imputantur peccata iis, qui ad Christi sacrificium confugiunt. Nam quamvis petenda sit quotidie venia, ut quotidie iram Dei provocamus: quia tamen non alio quam unicae Christi mortis pignore reconciliamur Deo, merito dicitur per eam destructum esse peccatum.

27. *Quatenus constitutum est.* Sensus est: Quum patienter a morte hominis exspectemus iudicii diem, quia haec communis sit lex naturae cui reluctari fas non est: eur minus esset patientiae in expectando secundo Christi adventu? Nam si in hominum vulgo, beatae resurrectionis spei nihil derogat longum temporis intervallum: quum absurdum esset minus honoris deferri Christo? Minus autem deferemus, si eum vocemus ad secundam mortem, quum una in perpetuum defunctus sit. Si quis obliciat, bis quosdam esse mortuos, ut Laza-

rum et similes: expedita est solutio, apostolum hic de ordinaria hominum conditione disputare, quin etiam ab hoc ordine eximuntur quos subita imminutio corruptione exuet: quia non comprehendit nisi eos qui diu in pulvere corporum suorum redemptio nem exspectant.

Secundo absque peccato. Hoc unum apostolus urgat, non debere nos inquietari inanibus pravisque novarum expiationum desideriis, quia una mors Christi nobis abundo sufficiat. Ideo dicit, semel apparuisse cum sacrificio ad delenda peccata: secundo adventu palam facturum quid officia mors sua habuerit, ut amplius non sit peccato vis ad nocendum. *Auferro* peccata est liberare sua satisfactione a reatu eos qui peccarunt. Multos dicit, pro omnibus: sicuti ad Romanos capitulo 5, 15. Certum quidem est, non omnes ex Christi morte fructum percipere: sed hoc ideo fit, quia eos impedit sua incredulitas. Quamquam hic de nihilo agitaret illa quaestio. Quia non disputat apostolus quam paucis, vel quam multis proposita mors Christi: sed intelligit simpliciter, aliis, nou sibi esse mortuum. Itaque multos uni opponit. Sed quid est quod sino peccato apparitum tradit? Quidam piaculum aut victimam peccati expiatrixem expnunt, sicuti ad Romanos cap. 8, 3, et 2. ad Corinth. cap. 5, 21, ac pluribus locis apud Mosem: sed expressius quiddam (meo iudicio) dicere voluit: nempe Christum, quum veniet, patefacturum quam vere abstulerit peccata, ut non alio ad placandum Deum sacrificio iam opus sit. Ac si diceret: ubi ad Christi tribunal ventum fuerit, sentiemus nihil eius morti defuisse. Quo etiam pertinet quod continuo post adiicit, in salutem iis qui cum exspectant. Alii secus contexunt, hoc scilicet modo, qui cum exspectant in salutem. Sed alter ille sensus aptior: significat onim eos plenam salutem sensuros ex Christi morte qui tranquillis animis in eam recumbunt. Nam exspectatio haec ad circumstantiam praesentis causae refertur. Hoc quidem in commune fidelibus alibi tribuit scriptura (1. Thes. 1, 10), quod adventum Domini exspectent, ut eos ab impiis discernat, quibus formidabilis est eius mentio: sed quia nunc apostolus contendit debero nos quiescere in unico Christi sacrificio, exspectationem Christi vocat, quum unica illa redemptione contenti, nova remedia vel subsidia non appetimus.

CAPUT X.

1. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam vivam imaginem rerum, sacrificiis quae quotannis eadem continenter offeruntur, nunquam potest eos qui accedunt, perficere.* 2. *Alioqui annos desiissent offerri?* propterea quod nullam amplius conscient-

tiam peccatorum haberent cultores semel purgati.
3. Atqui in his fit quotannis commemoratio peccatorum. 4. Impossible enim est ut sanguis taurorum tollat peccata.

1. *Umbram enim, etc.* Similitudinem hanc mutuatus est ab arte pictoria. Nam umbra hic aliter quam ad Colossenses capite 2, 17, accipitur: ubi caeremonias veteres sic appellat, quia solidam rerum, quas figurabant, substantiam intus non habuerint. Nunc vero similes fuisse dicit rudibus lineamentis, quae sunt veluti adumbratio vivaे picturac. Solent enim pictores, antequam vivos colores penicillo inducant, carbone adumbrare quam sibi proponunt exprimendam. Haec obsecurior pictura Graecis σκαρπία vocatur: quasi latine dicas, umbratilem. Sieuti εἰκών illis est expressa effigies. Unde et eiconicae imagines etiam Latinis dictae, quae ad vivum repreäsentabunt vel hominum, vel animalium, vel locorum faciem. Hoc ergo discrimen inter legem, et evangelium statuit apostolus, quod sub illa rudibus duntaxat et inchoatis lineis fuerit adumbratum quod hodie vivis et graphicē distinctis coloribus expressum est. Hoc modo iterum confirmat quod prius dixit, non otiosam fuisse legem, nec inaneis eius caeremonias. Nam etsi non fuit illic rerum coelestium effigies, quasi extrema (quod aiunt) artificis manu absoluta: tamen illa qualiscunque indicatio patribus non parum utilis fuit, etiamsi nostra conditio sit potior. Ac notandum est, easdem illis res eminus fuisse ostensas quae nunc sub oculis nobis ponuntur. Idem itaque Christus utrisque, eadem iustitia, sanctificatio et salus. Tantum in modo pingendi est dissimilitudo. Futura bona pro aeternis diei puto. Fateor quidem, futurum Christi regnum, quod nobis praesens est, olim annuntiatum fuisse. Sed apostoli verba sonant, vivam nos habere futurorum bonorum effigiem. Intelligit ergo spirituale illud exemplum, cuius plena fruitio usque in resurrectionem et futurum saeculum differtur. Quamquam fateor, rursus ab exordio regni Christi haec bona rovelari coepita esse. Sed hoc nunc agitur, non veteris modo testamenti respectu futura bona dici: sed quia a nobis adhuc quoque sperantur.

Quac quotannis eadem. Maxime de anniversario sacrificio loquitur, cuius mentio fit Levit. capite 17: tametsi genus totum sub specie comprehenditur. Sic autem argumentatur: ubi nulla est amplius peccati conscientia, illic oblationis usus non est. Atqui sub lege, eiusdem victimae oblatio subinde repetebatur. Ergo nec Deo satisfactum erat, nec sublatus reatus, nec pacatae erant conscientiae: alioqui finis sacrificandi factus esset. Porro diligenter observandum quod easdem appellat victimas quarum similis erat ratio. Nam ab eodem Dei instituto potius aestimabantur quam a diversis pecudibus: quod unum

abunde valet ad refutandam papistarum argutiam, qua sibi ingeniose videntur effugere absurditatem in excusando missae sacrificio. Nam quum illis obiicitur, supervacuam esse repotionem sacrificii, quum perpetuus sit illius vigor quod semel Christus obtulit: protinus excipiunt non aliud esse sacrificium quod peragitur in missa, sed illud idem. Haec corum est solutio: sed quid exadverso apostolus? Sacrificium quod iterato offertur, etiamsi idem sit, efficax aut idoneum ad expiationem esse negat. Nunc ut millies clamant papistae, idem non aliud esse sacrificium quod semel in cruce peregit Christus, et quod ipsi quotidie peragunt: semper ex ore apostoli contendam, si ad placandum Deum valuit Christi oblatio, non tantum aliis finem esse impositum, sed illam iterari nefas esse: unde constat sacrilegam esse in missa Christi oblationem.

3. *Quotannis fit commemoratio.* Quum evangelium nostrae cum Deo reconciliationis legatio sit, nunc etiam quotidie peccata inter nos commemorari necesse est. Sed apostolus significat, proferri in medium peccata ut remodio praesentis sacrificii tollatur reatus. Non igitur quamlibet memoriam designat: sed quae talem reatus confessionem affert coram Deo, ut sacrificio sit opus ad medicinam afferendam. Tale est missae sacrificium apud papistas. Nam illic mortis Christi gratiam nobis applicari fingunt ut deleantur peccata. Quod si legis sacrificia inde apostolus scite colligit infirma fuisse, quia quotannis repetebantur ad impetrandam veniam: eadom prorsus ratione colligi poterit, infirmum fuisse mortis Christi sacrificium, si quotidie peragendum est ut vis eius nobis applicetur. Quibuscunque ergo fucis missam suam colorent, nunquam poterunt atrocis in Christum blasphemiae crimen effugere.

4. *Impossible enim.* Confirmat superiorē sententiam eadem, quam prius adduxit, ratione, quod sanguis pecudum animas non purgarit. Habebant quidem Iudei illie verae purgationis symbolum ac pignus, sed alio respectu: nempe quatenus vituli sanguis Christi sanguinem figurabat. Hic vero disputat apostolus quid per se valuerit sanguis pecudum. Proinde merito vim illis purgandi detrahit. Est autem subintelligenda oppositio quæ non exprimitur: ac si dixisset, veteres hostias non mirum est fuisse invalidas, ut continenter illas offerri oportuerit: illic enim nihil erat quam pecudum sanguis qui usque in animas non penetrat. At vero sanguinis Christi longo alia virtus est. Oblationem ergo ab ipso peractam ex prioribus illis metiri non convenit.

5. *Quapropter ingrediens in mundum, dicit: sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* 6. *Holocausta et victimas pro peccato non probasti:* 7. *tunc dico: cccc adsum: in capitc libri scrip-*

tum est de me ut faciam, o Deus, voluntatem tuam.
8. Quum prius dixisset, sacrificium et oblationem,
holocausta et victimas pro peccato noluisti, neque com-
probasti quae secundum legem offeruntur: 9. *tunc*
dixit: ecce adsum ut faciam o Deus, voluntatem tuam.
Tollit prius ut secundum statuat: 10. *in qua volun-*
tate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu
Christi semel.

5. *Quapropter ingrediens.* Hic in mundum ingressus, fuit manifestatio Christi in carne. Nam quum hominis naturam induit ut redemptorem mundo praestaret, et apparuit hominibus: tunc dicitur in mundum venisse, sicut alibi descendisse ex coelo. Psalmus tamen quadragesimus, quem citat, videtur ad Christum violenter torqueri: nam in eius personam minime competit quod illuc habetur: iniquitates meae comprehenduerunt me, nisi quod membrorum vitia Christus ultro in se recipit. Totum certo argumentum proprie Davidi convenit: sed quia notum est, Davidem Christi fuisse typum, nihil absurdum est si in Christum transferantur quae de se praedicat David: ac praesertim ubi mentio fit do abrogandis sacrificiis legalibus, sicuti hoc loco. Quamquam non concedunt omnes hunc verbis sensum inesse. Putant enim non simpliciter hic repudiari sacrificia: sed refutari superstitionem opinionem quae vulgo invaluerat, quod vulgo in illis statueretur totus Dei cultus. Quod si ita esset, parum valeret hoc testimonium ad praesentem causam. Quare hunc locum proprius excutere operae pretium est, ut constet au apposite cum hoc apostolus adduxerit. Passim apud prophetas occurunt istae sententiae, sacrificia non placere Deo, nec ab eo requiri, nec quidquam pretii habere: imo potius abominationi esse. At tunc non vitium quod haeret sacrificiis a natura, sed adventitium potius notatur. Nam quum hypocritae aliqui in sua impietate obstinati, Deum sacrificiis placare vellent, hoc modo arguendi fuerunt. Quare prophetae sacrificia reiiciunt: non quatenus instituta erant a Deo, sed ut a sceleratis hominibus vitiata erant et profanata ob impuras conscientias. Hic diversa est ratio. Neque enim sacrificia per hypocrisis oblata, vel alias non rite propter hominum pravitatem et nequitiam perfecta, damnat: sed negat a piis et sinceris Dei cultoribus requiri. De se enim verba facit qui illa mundo corde priusque manibus offerebat: et tamen Deo non placere dicit. Si quis excipiat, non perse, neque dignitate propria accepta esse, sed propter alienum finem: rursus dico, intempestive hoc loco ingeri eiusmodi sermonem. Tunc enim ad spiritualem cultum revocantur homines, si externis caeremoniis plus aequo tribuerint. Tunc caeremonias nihil apud Deum esse pronuntiat spiritus sanctus, quum praeter modum efferuntur hominum errore.

David certe, quum legi subiectus esset, sacrificandi morem negligero non debuit. Interiore cordis affectu Deum, fateor, debuit colere: sed praetorire quod illi Deus mandaverat, fas non fuit. Habuit autem commune una cum reliquis omnibus sacrificandi mandatum. Ita colligimus, longius quam ad aetatis suae rationem ipsum respexisse, quum diceret, sacrificium noluisti. Istud quidem otiam tempore Davidis verum aliqua ex parte fuit, Deum sacrificia non morari. Sed quia adhuc sub iugo paedagogiae tenebantur omnes: cultum Deo integrum praestare non poterat David nisi eiusmodi forma (ut ita loquar) vestitum. Ergo ad Christi regnum venire necesse est, ut penitus verum sit, Deum nolle. Similis est locus Psal. 16, 10, non sines sanctum tuum videre corruptionem. Nam etsi aliquousque Davidem a corruptione Dens eripuit, non fuit tamen hoc nisi in Christo vero completum. Multum pondoris hoc habet, quod quum se profiteatur facturum Dei voluntatem, sacrificiis locum nullum assignat. Nam inde colligimus, citra illa perfectam Dei obedientiam constare: quod nonnisi abrogata lege verum fuit. Neque tamen inficiar, Davidem, tam hoc loco quam Psal. 51, 18, externa sacrificia sic extenuasse, ut quod praecipuum erat praeficerret. Sed non dubium est quin utroque loco oculos concierit in regnum Christi. Atque adeo in hoc Psalmo iure Christum loquentem induci testis est apostolus, ubi inter Dei mandata ne infimus quidem locus relinquitur sacrificiis quae Deus sub lege tam severe exigebat.

Corpus aptasti. Verba Davidis aliud sonant, aurem perforasti mihi. Quam loquitionem nonnulli ductam putant ab antiquo legis ritu. Nam si quis contempta iubilaei manumissionem, in perpetuam servitudinem addicere se volebat, illi auris subula perforabatur. Hunc itaque sensum esse volunt, Domine tu me servum habes perpetuo tibi addicatum. Ego tamen aliter accipio, pro eo quod est docilem et obsequentem reddere. Surdi enim sumus donec aures nobis Deus aperiat: hoc est, perviciaciam corrigat quae in nobis haeret. Quamquam inter promiscuum et crassum vulgus (cui sacrificia tantum spectra erant sine virtute) et inter Davidem cui subtilius ostenderat Deus spiritualem et legitimum usum, subest tacita antithesis. Apostolus autem Graecos sequutus dixit: *corpus aptasti.* Neque enim in verbis recitandis adeo religiosi fuerunt, modo ne scriptura in suum commodum falso abuterentur. Semper hoc spectandum est, quorsum litent testimonia: nam in scopo ipso diligenter carent ne scripturam trahant in alienum sensum: sed tam in verbis, quam in aliis, quae praesentis instituti non sunt, sibi liberius indulgent.

7. *In capite libri.* Verbum hebraicum proprium volumen significat. Scimus enim libros antiquitus

in morem cylindri fuisse complicatos. Porro libri nomine legem intelligi, quae regulam sancto vivendi omnibus Dei filiis praescribit, absurdum non est. Quamquam mihi genuina magis videtur haec expositio, ut dicat se in eorum catalogo censeri qui se Deo praebent obsequentes. Lex quidem iubet nos omnes Deo obedire. Sed intelligit David, se inter eos numerari qui vocati sunt ut Deo obdiant. Deinde testatur se vocationi obtemperare, quum addit: Volui. Quod in Christum peculiariter competit. Nam uteunque ad Dei iustitiam sancti omnes adspicient: unus tamen et Christus qui plane sit ad faciendam Dei voluntatem compositus. Hic tamen locus nos omnes ad obsequii promptitudinem stimulare debet. Nam ideo Christus perfectae obedientiae exemplar est, ut quicunque eius sunt, certatim ad eius imitationem contendant: ut simul respondeant Dei vocationi, totaque eorum vita hanc vocem comprobet, Ecce adsum. Eodem pertinet quod sequitur, scriptum esse in libro ut Dei faciamus voluntatem. Quemadmodum alibi dicitur, hunc electionis nostrae esse finem, ut sancti et irreprehensibiles simus in eius conspectu (Coloss. 1, 22).

9. *Tollit prius.* En cur et quorsum citetur hic locus: nempe ut sciamus plenam solidamque iustitiam sub regno Christi sacrificiis legalibus non indigere. Nam Dei voluntas quoad perfectionis regulam illis sublati statuitur. Sequitur itaque, a Christi sacerdotio removendas esse pecudum victimas: quia commune nihil cum eo habent. Non enim, ut diximus, causa erat cur sacrificia reiiceret propter accidentale vitium: quia non agit cum hypocritis, nec superstitionem reprehendit cultus praeposteri, sed ab homine pio riteque instituto postulari negat usitata sacrificia, perfecteque obediiri Deo testatur illis praeteritis.

10. *In qua voluntate.* Postquam Davidis testimonium causae suae accommodavit, nunc per occasionem verba quaedam inflectit ad suum commodum: idque exornandi magis quam explicandi causa. Profitetur David non tam in sua quam Christi persona, se ad faciendum Dei voluntatem paratum esse. Id ad omnia Christi membra extenditur: generalis enim est doctrina Pauli, quum dicit, (1. Thess. 4, 3), Haec voluntas est Christi, sanctificatio vestra, ut quisque ab immunditia abstineat. Sed quia in Christo hoc illustre prae aliis obedientiae specimen fuit, offerre se ad mortem crucis, ot hac potissimum de causa induit servi personam: dicit apostolus, Christum se offerendo, patris mandata satisfecisse, atque ita nos fuisse sanctificatos. Quum addit, per oblationem corporis, alludit ad illam Psalmi partem, Corpus aptasti mihi: saltem ut graece habetur. Ita significat Christum in se ipso reperisse quod Deum placaret, ut externis administriculis minime opus habuerit. Nam si leviticus

sacerdos corpus habuisset aptatum, supervacuae fuisserent pecudum victimae. Christus autem solus sufficit, ac per se idoneus est ad praestandum quidquid Deus requirit.

11. *Et omnis quidem sacerdos quotidie ad ministrandum adstat, et easdem saepius offerendum victimas, quae nunquam possunt tollere peccata.* 12. *Ipse autem una pro peccatis oblata victimam, perpetuo scdet in dextera Dei,* 13. *quod reliquum est exspectans, donec ponantur inimici sui scabellum pedum suorum.* 14. *Una enim oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.* 15. *Testimonium autem reddit nobis etiam spiritus sanctus.* Nam postquam praedixerat, 16. *hoc est testamentum quod statuam cum ipsis, post dies illos, dicit Dominus, ut ponam leges meas in corda illorum, et in mentibus eorum inscribam illas,* 17. *et peccatorum et iniquitatum eorum non recordabor amplius.* 18. *Porro ubi fit horum remissio, non est amplius oblatio pro peccato.*

11. *Omnis quidem sacerdos.* Hic est conclusio totius disputationis, dissentaneum esse et alienum prorsus a Christi sacerdotio quotidianum offerendi morem. Ideoque post eius adventum abdicatos officio esse leviticos sacerdotes, quorum ratio et institutum est quotidie offerre. Haec enim est repugnantium natura, ut uno posito, alterum concedat. Hactenus satis superque laboravit in asserendo Christi sacerdotio: restat igitur ut cessest antiquum illud quod cum eo non congruit. Plenam enim consecrationem habent sancti omnes in unica Christi oblatione. Quamquam verbum τετελέσθω, pro quo reddidi, consecravit: posset exponi, perfecit. Mihi altera significatio magis placuit, quia nunc de sacris agitur. Quum dicit, Eos qui sanctificantur, comprehendit hoc nomine omnes Dei filios: et admonet frustra aliunde peti sanctificationis gratiam. Sed ne otiosum nunc in coelo Christum iacere sibi fingant homines, iterum repetit eum sedere ad patris dexteram. Qua locutione (ut alibi visum est) designatur imperium et potestas. Quare timendum non est ne vim mortis suae extinguui patiatur vel sepultam iacere sinat, qui ideo vivit ut virtute sua impletat coelum et terram. Deinde admonet ex verbis psalmi, quounque durare hic status debeat: nempe donec inimicos omnes suos Christus prostraverit. Ergo si fides nostra Christum in dextera Dei sedentem quaerat, et quieta recumbat in hanc sessionem: tandem potiemur fructu huius victoriae: una inquam cum capite nostro, profligatis hostibus, Satana, peccato et morte, et toto mundo, carnis coruis corruptione exuti triumphabimus.

15. *Testimonium reddit spiritus.* Quod secundo adducit testimonium Ieremiae, non abs re, nec super-

vacuum est. Prius in alium finem citavit, ut ostenderet abrogari vetus testamentum oportuisse: quandoquidem novum aliud promissum erat, idque ad corrigendam votoris infirmitatem. Nunc autem alio respicit. Pugnat enim tantum ex illo verbo, Iniquitatum non recordabor. Ac inde colligit nullum amplius esse sacrificii usum quum delota sint peccata. Videri quidem possit haec parum firma illatio. Nam quum olim innumerae extarent in lego et prophetis de peccatorum remissione promissiones, victimas tamen pro illis offerre non dosinebat ecclesia. Proinde remissio peccatorum sacrificia non excludit. Verum si singula proprius consideres, habebant etiam patres sub lege easdem, quas hodie habemus, de peccatorum remissione promissiones. Illis froti Doum invocabant, et de impetrata venia gloriabantur. Atqui propheta, quasi novum quiddam et prius inauditum adferat, promittit nullam sub novo foedere peccatorum fore memoriam eorum Deo. Hinc colligere, licet diverso modo nunc remitti peccata quam olim. Haec porro diversitas non in verbo nec in fide sita est, sed in ipso pretio remissionis. Nunc ergo peccatorum Deus non recordatur, quia omnium semel facta est expiatio. Alioquin frustra diceretur a propheta, fore hoc novi testamenti beneficium, quod Deus peccatorum non recordabitur.

Porro quando ad finem disputationis ventum est quae hic habita est de sacerdotio Christi: breviter admonendi sunt lectores, non magis hic abrogari legis sacrificia, quam papistarum commentum de sacrificio missae refutari. Missam suam asserunt sacrificium esse expiandis vivorum et mortuorum peccatis: apostolus iam sacrificio locum esse negat, ex quo impletum est Ieremiae *vaticinium*. Cavillantur illi, non esse novum aut aliud a Christi sacrificio, sed idem. At exadverso contendit apostolus, idem repeti non debere: *neq; unum Christi sacrificium modo pronuntiat, sed semel peractum*. Adde quod saepius uni Christo vendicat honorem sacerdotii, ut nemo ad cum offerendum sit idoneus nisi solus ipse. Aliud effugium papistae habent, quum sacrificium ἀνάπτοντον appellant. Atqui apostolus sine exceptione affirmat, morte opus esse ad sacrificium. Tergiversant etiam papistae, dum excipiunt missam unius sacrificii, quod peregit Christus, applicationem esse. Atqui apostolus contra docet, ideo morte Christi abolita fuisset legis sacrificia quod illic peccatorum recordatio fiebat. Unde apparet, genus hoc applicandi, quod sibi fingunt, cessasse. Denique, ut se in omnes formas vertant papistae, clabi nunquam poterunt quin praesens apostoli disputatio missam ipsorum pluribus scatore sacrilegiis planum faciat. Primum enim, teste apostolo, unus Christus ad se offerendum idoneus fuit: in missa per alienas manus offertur. Secundo, non

unicum modo sacrificium Christi apostolus assorit, sed nonnisi sonol peractum, ut iterari sit nefas: in missa uteunquo idem sacrificium esso garriant, tamen quotidie fieri apareat, et ipsi fatentur. Apostolus nullum sine sanguine et morto sacrificiorum agnoscit: isti ergo frustra negantur sacrificium, quod offerunt, esse incrementum. Apostolus quum de impetranda peccatorum venia agitur, confugore nos iubet ad unum illud sacrificium quo defunctus est Christus in cruce: et nos hac nota discernit a patribus, quod assiduus sacrificandi ritus Christi adventu obsolevit. Isti, ut mors Christi nobis sit efficax, quotidianas per sacrificium applicationes requirunt, ut nihil nisi in externo symbolo differant a Iudeis Christiani.

19. *Habentes itaque fratres, fiduciam ingrediendi in sancta per sanguinem Iesu, 20. via quam dedit nobis recentem ac vivam per velum, hoe est carnem suam, 21. et sacerdotem magnum super dominum Dei: 22. accedamus cum sincero corde in certitudine fidei, adspersi cordibus a conscientia mala, et abluti corpore aqua munda, 23. tencamus confessionem speciei inflexibilem. Fidelis enim qui promisit.*

19. *Habentes itaque fratres. Superioris doctrinae epilogum vel summam colligit, cui deinde opportune subiicit gravem exhortationem, et severe iis minatur qui Christi gratiam abiecerint. Summa autem est, caeremonias omnes, quibus sub lege patefiebat accessus in sanctuarium Dei, in Christo habere solidam veritatem: ut Christum habenti superfluous sit ac inutilis earum usus. Id quo melius exprimat, allegorice describit accessum quem nobis Christus patefacit. Coelum enim comparat veteri sanctuario: et quae in Christo spiritualiter impleta sunt, sub typicis loquutionibus proponit. Obscurant quidem magis rem interdum allegoriae quam illustrant. Sed haec non parum habet gratiae, nec parum lucis afferit, quum veteres legis figurae ad Christum apostolus transfert: ut in eo recognoscamus vere nunc esse exhibita quaecunque lex adumbravit. Sicut autem singulis pene verbis pondus inest, ita meminerimus subesse antithesen, ut veritas quae in Christo conspicitur, veteres figurae aboleat. Primo dicit, nos fiduciam habere ingrediendi in sancta. Hoc iuris patribus nunquam concessum fuit sub lege: populo enim aditus in sanctuarium visible prohibebatur, nisi quod nomina tribuum pontifex in humeris, et duodecim lapides in eorum memoriam ante pectus gestabat. Nunc vero longe alia ratio est. Non enim symbolice tantum, sed re ipsa in coelum ingressus nobis patet, Christi beneficio: quia nos fecit regale sacerdotium. Dicit per sanguinem Iesu, quia ad solennem pontificis ingressum non aperiebatur ostium sanctuarii nisi sanguine interposito. Sed postea discrimen*

notat inter hunc et pecudum saquinem. Nam pecudum sanguis quum statim tabesceret, non potuit diu vigorem suum retinere: at Christi sanguis qui nullo tabo corruptitur, sed puro semper colore fluit, nobis in finem usque mundi sufficiet. Nihil mirum si caesae pecudum victimae vivificandi facultate non pollebant, quum essent mortuae. At Christus qui a morte resurrexit, ut nobis vitam conferat, suam in nos diffundit. Haec est perpetua viae dedicatio, quod coram facie patris semper quodammodo stillat sanguis Christi ad irrigandum coelum et terram.

20. *Per velum.* Sicuti velum operiebat arcana sanctuarii, et tamen aditum illuc reserabat: sic quum in Christi carne divinitas latuerit, nos tamen in coelum usque perducit: nec quisquam Deum inventiet, nisi cui via et ostium erit homo Christus. Ita admonemur, non aestimandam esse Christi gloriam ab externo carnis adspectu, nec despiciendam esse carnem, quia Dei maiestatem quasi velum occultet: quum eadem nobis ad fruenda omnia Dei bona sit directrix.

21. *Et sacerdotum magnum.* Quaecunque prius disseruit de abrogatione veteris sacerdotii, nunc memoria repetere docet. Nam aliter Christus sacerdos esse non potest quin priores illi munere abdcentur, quum aliis fuerit ordo. Significat igitur relinquenda esse illa omnia quae suo adventu Christus mutavit. Ac ideo ipsum praeficit universae Dei domui, ut quisquis locum in ecclesia habere cupit, Christo se subiiciat, eumque sibi ducem ac praesidem eligat, non alium.

22. *Acedamus cum sincero corde.* Sicuti in Christo eiisque sacrificio nihil nisi spirituale, aut coeleste esse ostendit: ita quae ex parte nostra afferimus, vult congruere. Olim Iudei variis adsersionibus se purgabant, ut essent ad cultum Dei praeparati. Ritus purgandi carnales fuisse, nihil mirum est, quum ipse Dei cultus umbris involutus carnem adhuc quodammodo separaret. Sacerdos enim mortalis ex peccatoribus eligebaratur qui ad tempus sacra faceret: ornatus erat pretioso quidem vestitu, sed tamen mundano, ut se in Dei conspectum sisteret: tantum ad arcam foederis accedebat, ut ingressum sanctificaret: victimam bruti animalis ex armento vel grege mutuabatur. In Christo omnia longe praecellunt. Ipse non modo purus et innocens, sed fons omnis sanctitatis et iustitiae colesti oraculo constitutus sacerdos, non ad breve mortalis vitae spatium, sed perpetuo. Sanctionis causa iurandum interponitur. Prodit in medium omnibus spiritus sancti donis ad summam perfectionem ornatus: sanguine suo Deum propitiatus, eumque pacificat cum hominibus: supra coelos condescendit, ut coram Dei pro nobis appareat mediator. Itaque vicissim nihil a nobis afferendum est quod non

respondeat: quandoquidem mutuus inter sacerdotem et populum consensus esse debet. Proinde facessant externae carnis lotiones, ac esset totus ille cremeniarum apparatus. Nam externis illis figuris apostolus sincerum cor opponit, et fidei certitudinem et abstersionem omnium vitiorum. Atque hinc colligimus qualiter nos comparatos esse deceat, ut fruamur Christi beneficiis. Neque enim ad eum acceditur, nisi integro corde seu veraci, certaque fide ac pura conscientia. Porro cor verax aut sincerum fucato ac duplici opponitur. In voce πληρωφορίας fidei naturam designat apostolus: et simul nos admonet non posse percipi Christi gratiam, nisi ab iis qui fixam et indubiam persuasionem afferunt. Abstersionem cordis a mala conscientia appellat, vel quum impetrata peccatoram venia puri censemur coram Deo, vel dum cor ab omnibus pravis affectibus purgatum, carnis stimulis non pungit. Ego libenter utrumque comprehendo. Quod sequitur de corpore aqua pura abluto, plerique de baptismo accipiunt: sed mihi probabilius videtur, apostolum alludere ad veteres legis caeremonias: at quo ita sub aquae nomine designare spiritum Dei, quemadmodum Ezechiel loquitur (36, 25), Effundam super vos aquas mundas, etc. Summa est, nos fieri Christi participes si corpore et anima sanctificati ad eum accedimus. Hanc porro sanctificationem esse, non quae visibili caeremoniarum pompa constat, sed firmam fidem, puram conscientiam, corporis et animae munditiem, quae in spiritu Dei manat ac perficitur. Ita Paulus 2. ad Cor. cap. 7, 1, fideles hortatur ut se purgent ab omni inquinamento carnis et spiritus, quum sint adoptati a Deo in filios.

23. *Teneamus confessionem spei.* Quoniam hic Iudeos ad perseverantium hortatnr, spem potius quam fidem nominat. Nam spes sicuti ex fide nascitur, ita eam ad extremum usque alit ac sustinet. Confessionem praeterea requirit, quia non est vera fides nisi quae se exserit ad homines. Et videtur oblique perstringere eorum simulationem qui in gentis suaे gratiam legales ritus nimis religiose servabant. Non ergo tantum corde credere, sed re ipsa quoque ostendere ac profiteri eos iubet quantum Christo deferant. Diligenter autem notanda est ratio quam subiicit, Deum, qui promisit, fidem esse. Nam inde primum docemur, hoc fundamento niti fidem nostram, quod Deus verax sit. Porro haec veritas promissione continetur: nam ut credamus, praetere Dei vocem oportet. Nec quaelibet vox ad gignendam fidem erit idonea: sola promissio est in quam fides recumbit. Adeoque ex hoc loco mutua inter fidem hominum et Dei promissionem ratio colligi potest: nisi enim promittat Deus, nemo erit qui credat.

24. *Et consideremus nos mutuo in aemulationem caritatis et bonorum operum:* 25. *neque descrambus aggregationem nostri, quemadmodum mos est quibusdam: sed exhortemur, idque eo magis, quia videtis appropinquantem diem.* 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam veritatis notitiam, non amplius relinquitur pro peccatis hostia:* 27. *sed terribilis expectatio iudicii, et zelus ignis qui devorabit adversarios.*

24. *Consideremus nos mutuo.* Non dubito quin Iudeos peculiariter compellat hac exhortatione. Scitur quanta fuerit gentis illius arrogantia. Quia posteri erant Abrahae, gloriabantur se solos, exclusis reliquis omnibus, in fodus vitae aeternae a Domino esse cooptatos. Tali praerogativa inflati quum prae se omnes alios populos despicerent, soli in Dei ecclesia censeri volebant: imo supercilioso sibi vendicabant ecclesiae titulum. In hoc fastu corrigendo, multum opera sumere apostolos oportuit: idque nunc, meo iudicio, agit apostolus, ne aegreferant Iudei sibi associari gentes, et in idem ecclesiae corpus secum coalescere. Ac primum quidem dicit: consideremus nos mutuo: nam tunc Deus ecclesiam colligebat ex gentibus et Iudeis, inter quos semper fuerat magnum dissidium: ut haec societas esset veluti ignis et aquae coniunctio. Itaque Iudei resiliebant, quod putarent indignum esse gentes sibi comparari. Huic perversae aemulationis stimulo, qui eos pungebat, alium contrarium opponit apostolus, nempe caritatis. Nam παροξυσμός, quo nomine utitur, contentionis ardorem significat. Ergo ne Iudei invidia accensi ad certamen efferantur, eos ad piam aemulationem hortatur: nempe ut se vi-eissim ad caritatem exstiment. Hanc expositionem confirmat quod proxime sequitur, ne deseramus, inquit, aggregationem. Notanda est nominis graeci compositio: nam ἐπί accessionem significat. Ideo ἐπισυνάγωγή tantundem valet ac congregatio novis incrementis aucta. Tunc pariete diruto eos, qui alieni ab ecclesia fuerant, Deus ad filios suos aggregabat: ita gentes novum erant et insolitum ecclesiae augmentum. Id Iudei sibi contumeliosum esse ducebant: ut multi ab ecclesia discessionem facerent, honestum se ex tali mistura praetextum habere putantes. Neque enim facile adduci poterant ut iure suo cederent. Porro ius adoptionis peculiare ac proprium sibi esse arbitrabantur. Monet igitur eos apostolus ne aequalitas illa ad deserendam ecclesiam ipsos incitet: ac ne videatur frustra eos monere, commemorat hoc multis esse commune vitium. Tenemus nunc consilium apostoli, et quao eum necessitas impulerit ad hanc exhortationem. Nobis tamen hinc colligenda est universalis doctrina. Regnat enim hic morbus passim in humano genere, ut se quisque aliis preeferat: ac praesertim ut qui

videntur in re aliqua excellere, inferiores sibi aequari nonnisi aegre patiuntur. Deinde tanta est fere in omnibus morositas, ut sibi libenter proprias ecclesias singuli facturi sint si licet, quia difficile est ad aliorum mores se accommodare. Divites inter se invident. Vix centesimus quisque divitum reperiatur qui pauperes dignetur fratrum nomine et numero. Nisi morum similitudo et aliae blanditiae, vel commoditates nos alliciant, difficilestimum est alere perpetuam inter nos concordiam. Quare plus quam necessaria nobis omnibus est ista admonitio, ut ad caritatem potius quam invidiam stimulomur: neque ab iis faciamus divertium, quos nobis Deus coniungit: sed fraterna bonevolentia amplectamur eos omnes, qui so fidei consensu nobis associant. Et certe eo nos ad studium unitatis magis intentos esse docet, quo acerius advigilat Satan ut nos ab ecclesia quovis modo vel avellat, vel furtim abducatur. Id fieri si nemo sibi plus aequo placeat, sed unum hoc propositum habeamus omnes, ut mutuo nos incitemus ad caritatem: neque alia inter nos quam bene agendi aemulatio vigeat. Nam certe fratrum contemptus, morositas, invidia, immoda nostra aestimatio, et aliae pravae punctiones, aut frigere in nobis caritatem, aut nullam prorsus esse testantur. Quum dixit: non deserentes aggregationem, subiicit, sed exhortantes. Quo significat, debere pios omnes, quibus possunt modis, ad colligendam undique ecclesiam eniti: nam hac conditione vocamur a Domino, ut postea studeat unusquisque alios adducere, errantes in viam reducere conetur, manum lapsis porrigit, alienos acquirat. Quod si tantum impendere debemus opera erga eos, qui adhuc extranei sunt a grege Christi, quanto maior in exhortandis fratribus requiritur sedulitas, quos iam nobis Deus adjunxit?

25. *Quemadmodum mos est.* Hinc apparent primam schismatum omnium originem hanc fuisse, quod superbi homines cum aliorum contemptu sibi plus iusto placuerint. Sed quum audimus, iam a saeculo apostolorum fuisse perfidos homines qui ab ecclesia discederent: minus percelli nos ac turbari convenit similib[us] sdefectionum exemplis, quae hodie cernere licet. Est quidem haec non levis offensio, quum homines qui aliquod pietatis signum dederant, et eandem nobiscum fidem erant professi, deficiunt a Deo vivo: sed quia nihil novum contingit, minus (ut iam dixi) commoveri nos decet. Porro hoc membrum inseruit apostolus, ut ostenderet se non abs re ita loqui: sed morbo iam grassanti necessariam medicinam afferre.

Idque eo magis. Nonnulli locum hunc congruere putant cum illo Pauli (Rom. 13, 11): Hora est surgendi e somno. Nunc enim propior nobis est salus quam quum credidimus. Ego vero potius sentio hic mentionem de ultimo Christi adventu fieri, cuius

exspectatio maximo acuere nos debet tam ad sanctae vitae meditationem, quam ad curam et ardentem conatum ecclesiae colligendac. Quorsum enim venturus est Christus, nisi ut nos omnes ex hac, in qua nunc vagamur, dispersione in unum colligat? Itaque quo propior est eius adventus, eo magis elaborandum ut qui dissipati sunt, coeant et coaduentur, fiatque unum ovile et unus pastor. Si quis roget quomodo dicat apostolus eos qui tam procul adbuc aberant a Christi revelatione, vidisse propinquum diem, ac iam fere instantem: respondeo, sic ab initio regni Christi constitutam fuisse ecclesiam, ut quasi mox venturum iudicem sibi proponere debuerint fideles. Nec vero fallaci imaginatione delusi fuerunt, quum ad excipiendum Christum singulis fere momentis parati essent. Talis enim ab evangelii promulgatione fuit ecclesiae status, ut vere et proprie totum illud tempus vocetur extremum. Proinde qui iam a multis saeculis sunt mortui, non minus quam nos, sub novissimis diebus vixerunt. Subsannant bac in parte simplicitatem nostram vafri et nasuti homines, quibus fabulosum est quidquid de carnis resurrectione et ultimo iudicio credimus. Sed ne suis ludibriis fidem nostram labefactent, exadverso nos spiritus sanctus admonet, primum mille annos coram Deo instar diei unius esse, ut quoties de regni coelestis aeternitate cogitamus, nullum nobis tempus videri longum debeat. Deinde ex quo Christus expletis omnibus salutis nostrae partibus in coelum ascendit, aequum esse ut continua secundae eius revelationis exspectatione suspensi, unumquemque diem perinde reputemus ac postremum.

26. *Voluntarie enim.* Ostendit quam severa Dei ultio manet eos omnes qui a Christi gratia deficiunt: quia privati unica salute, iam quasi certo exitio devoti sint. Hoc testimonio se olim armavit Novatus cum sua factione, ut omnibus post baptismum lapsis promiscue spem veniae tolleret. Qui diluere eius calumniam non poterant, fidem huic epistolae derogare maluerunt quam tantae absurditati subscribere. Atqui genuina loci expositio quamvis alieno suffragio non adiuta, satis per se ad repellendam Novati impudentiam valebit. Peccantes vocat apostolus: non qui in quovis genere delinquunt, sed qui prorsus deserta ecclesia se a Christo alienant. Non enim hic de hoc vel illo peccati genere tractat, sed eos nominatim arguit, qui ultiro se ab ecclesiae societate abdicabant. Porro multum interest inter particulares lapsus et universalem eiusmodi defecctionem, qua fit ut a Christi gratia in totum excidamus. Quia autem nemini hoc contingere potest nisi qui iam illuminatus fuit: ideo dixit, voluntarie post acceptam veritatis notitiam peccantibus. Ac si diceret, qui sciens ac volens gratiam, quam adeptus erat, abiecerit. Nunc videre est quantum haec

doctrina a Novati errore dissideat. Quod autem solos apostatas hic comprehendat apostolus, patet ex contextu: hoc enim agit, ne ecclesiam deserant qui semel in eam fuerant cooptati, quemadmodum soliti quidam essent. Nunc talibus nullam restare amplius hostiam pronuntiat, quia voluntarie peccent post acceptam veritatis notitiam. Atqui peccatoribus qui uno aliquo in genere lapsi sunt, Christus se quotidie offert: ut non alia hostia quaerenda sit expiandis eorum peccatis. Hostiam ergo iis residuam esse negat, qui a Christi morte discedunt: quod non fit particulari aliquo delicto, sed abiecta in totum fide. Haec Dei severitas tametsi horrenda est, et ideo proponitur ut terrorum ineuat: non potest tamen insimulari saevitiae. Nam quum mors Christi unicum sit remedium quo ab aeterna morte liberamur: qui vim illius ac beneficium, quantum in se est, abolent, nonne digni sunt quibus praeter desperationem nihil reliquum fiat? Qui in Christo manent, eos ad quotidianam reconciliationem Deus invitat, quotidie irrigantur Christi sanguine, quotidie expiantur eorum peccata perpetuo eius sacrificio. Si extra eum non est quaerenda salus, ne miremur omnes, qui cum sponte relinquunt, omni spe veniae privari. Hoc sibi vult adverbium ετι, vel amplius. Christi enim sacrificium usque ad mortem piis est efficax, etiamsi subinde peccent. Imo propterea vigorem suum semper retinet: quia fieri non potest ut vacui sint peccato, quamdiu in carne habitant. Eos igitur solos notat apostolus, qui Christum impie deserendo mortis eius beneficio se privant. Membrum illud, post acceptam veritatis notitiam, exaggerandae ingratitudinis causa positum est. Nam qui sponte ac deliberata improbitate lucem Dei in corde suo accensam extinguit, nihil habet quod ad se excusandum Deo obiiciat. Proinde discamus non modo oblatam nobis veritatem reverenter promptaque animi docilitate amplecti, sed in eius notitia constanter perstare, ne tam atroces eius contemptae poenas demus.

27. *Sed terribilis exspectatio.* Cruciatum malae conscientiae significat quem sentiunt impii, qui non modo gustum gratiae nullum habent, sed percepto eius gustu, sua culpa in perpetuum se abdicatos esse norunt. Tales non pungi tantum ac morderi, sed horrendum in modum torqueri ac laniari necesse est. Hinc fit ut adversus Deum contumaciter frement, quoniam tam severum iudicem ferre nequeunt. Tentant quidem omnia ut sensum irae Dei a se amolianter: sed frustra id faciunt. Nam simul ac breves illis indutias Deus concessit, mox ad tribunal suum retractos, tormentis quae maxime fugiunt, eos exagitat. Addit ignis zelum: quo posteriore nomine vehementer impetum, aut violentum ardorem (meo iudicio) significat. In voce ignis trita est metaphora. Quemadmodum enim nunc impii di-

vinae irae formidine aestuant, ita praesenti sensu tunc conflagrabunt. Nec me latet, sophistas argute de hoc igne philosophari: sed eorum commenta nihil moror: quum palam sit, dum scriptura ignem eum verme coniungit (Sir. 7, 19), eandem esse loquendi rationem. Atqui nemo dubitat quin metaphorice vermem appellat dirum illud conscientiae tormentum quo roduntur impii.

Qui derorabit adversarios. Sic vorabit ut perdat, non consumat: quia inexstinguibilis erit. Atque ita admonet, in Christi hostibus censeri quicunque datum sibi inter fideles locum tenere recusaverint. Neque enim media est conditio. Quin Satanae se abdicant qui ab ecclesia discedunt.

28. *Qui abiicerit legem Mosis, sine misericordia sub duobus aut tribus testibus moritur.* 29. *Quanto putatis graviore dignus iudicabitur supplicio qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti, per quem fuerat sanctificatus, profanum duxerit, et spiritum gratiae contumelia affecerit?* 30. *Novimus enim quis dicat, mihi vindictam, et ego repandam, dicit Dominus. Et rursum, Dominus iudicabit populum suum* 31. *Horribile est, incidere in manus Dei viventis.*

28. *Qui abiicerit.* Argumentum a minori ad maius. Nam si capitale fuit legem Mosis violare, quanto gravierem meretur poenam Evangelii rejectio, quae tot ac tam atrocibus sacrilegiis est implicita? Aptissima porro ad Iudeos permovendos haec ratiocinatio fuit. Illa tam severa in legis apostatas animadversio neque nova illis, neque aequo durior videri poterat. Ergo iustam agnoscere debent quantumvis severam ultiōnem, qua hodie evangelii sui maiestatem Deus sancit. Caeterum hinc confirmatur quod iam prius dixi, non de particularibus peccatis apostolum disputare, sed de universalis abnegatione Christi. Neque enim lex quasvis transgressiones morte puniebat, sed apostasiam, si quis prorsus a religione desciceret. Respxxit enim apostolus ad seutentiam illam quae habetur Deut. cap. 17, 2, si quis violet pactum Dei tui, ut serviat diis alienis, educes eum extra portam, et lapidibus obrues. Quamquam autem lex a Deo profecta est, nec autor eius fuit Moses, sed minister duntaxat: apostolus tamen legem Mosis appellat, quia per manum eius tradita fuit: ut magis amplificeat evangelii dignitatem quod a filio Dei proditum est.

Sub duobus aut tribus. Hoc nihil ad praesentem locum facit, sed pars est politiae mozaicae, quod duo vel tres flagitantur testes ad reum peragendum. Inde tamen certius colligimus quale crimen netare apostolus voluerit: nisi enim hoc fuisset additum, aperta fuisset fenestra pluribus falsis conjecturis. Nunc autem extra controversiam est, de apostasia

sermonem haberi. Interea tamen observanda est illa aequitas quam sequuti sunt politici fere omnes, ne quis nisi duorum testimonio convictus dainnetur.

29. *Qui filium Dei conculcaverit.* Hoc simile est inter legis et evangelii apostatas, quod utrique sine misericordia pereunt. Sed genus interitus est diversum: nam contemptoribus Christi non corporis tantum mortem denuntiat apostolus, sed aeternum existium. Itaque hos deterius supplicium manere dicit. Tribus autem loquendi formulis christianismi desertionem exprimit. Dicit enim hoc modo conculcari filium Dei, profanari eius sanguinem, et spiritum gratiae contumelia affici. Gravius autem est conculcare quam abiicere: et longe alia est Christi dignitas quam Mosis. Adde quod non simpliciter evangelium legi, sed Christi et spiritus sancti personam unius Mosis personae opponit.

Sanguinem testamenti. Comparatione beneficiorum ingratitudinem auget. Valde indignum est, sanguinem Christi, qui sanctificationis nostrae materia est, profanare. Hoc vero faciunt qui desciscunt a fide. Nam fides nostra non in nudam doctrinam respicit, sed in sanguinem quo sancta est nostra salus. Ideo vocat sanguinem testamenti, quia tunc demum ratae sunt nobis promissiones quum accedit pignus illud. Sed medium confirmationis notat, quum dicit nos sanctificatos: quia nihil prodesset fusus sanguis nisi nos per spiritum sanctum eo irrigaremur. Unde et expiatio et sanctitas. Simul tamen alludit apostolus ad veterem adspersionis ritum, qui ad veram sanctificationem non valebat, sed eius tantum umbra erat vel imago.

Spiritum gratiae. Spiritum gratiae vocat ab effectu, per quem et cuius virtute oblatam in Christo gratiam percipimus. Nam is est qui fide mentes nostras illustrat, qui Dei adoptionem obsignat cordibus nostris, qui nos regenerat in vitae novitatem, qui nos in Christi corpus inserit ut vivat in nobis, et nos in ipso. Merito itaque spiritus gratiae appellatur, per quem noster fit Christus cum omnibus suis bonis. Hunc vero contumelia afficere, a quo tot tantisque beneficiis affecti sumus, nimis scelestia est impietas. Hinc collige, in spiritum Dei contumelioses esse omnes qui gratiam eius, qua donati erant, sponte inutilem reddunt. Quare nihil mirum si eiusmodi sacrilegia Deus tam acriter vindicet: nihil mirum si inexorabilem se iis praebeat, qui Christum mediatorem pedibus calcarunt qui solus eum nobis exorat: non mirum si viam salutis precludat iis, qui unicum ducem spiritum sanctum repulerunt.

30. *Novimus enim quis dicat.* Uterque locus ex Deut. cap. 23, 35, sumptus est. Quum autem illic Moses Deum illatas populo suo iniurias ulturum promittat, videtur improprie ac violenter hue queri quod meminit de vindicta. Quid enim nunc

agit apostolus? ncmpe eorum impietatem non fore impunitam qui Deo illuserint. Et Paulus ad Rom. 12, 19, genuinam loci intelligentiam sequutus, alio accommodat. Nam dum vult ad patientiam nos hortari, iubet ut Deo locum demus ad vindictam sumendam, quia haec sint eius partes: atque id probat hoc Mosis testimonio. Verum nihil obstat quominus speciales sententias transferamus ad doctrinam universalem. Tametsi ergo consilium Mosis est fideles consolari, quia Deum habituri sint iniuriarum suarum vindicem: tamen ex eius verbis colligere semper licet, proprium Dei officium esse poenas sumere de impiis. Nec eius testimonio abutitur qui inde probat non impunitum fore contemptum Dei, quia ipse iustus sit iudex qui munus vindicandi sibi asserat. Quamquam posset hic etiam apostolus ratiocinari a minori ad maius, hoc modo, Deus se passurum negat ut populus suus impune laedatur: seque profitetur certum fore ultorem. Si inultas hominum iniurias non sinit, an suas ipsius non vindicaret? An adeo parvam habebit vel nullam gloriae suae curam ac rationem, ut, quum probro afficitur, dissimulet ac negligat? Sed illud simplicius est ac minus coactum, ut apostolus tantummodo ostendat Deum non impune ludibrio habitum iri, quum eius proprium sit munus, impiis rependere quod meriti sunt.

Iudicabit populum suum. Hic eadem aut maior oritur difficultas: quia non videtur congruere Mosis sensus cum praesenti institute. Videtur apostolus ita citare hunc locum, ac si Iudicare poneret Moses pro punire. Atqui quum expositionis vice continuo post addat, Erga sanctos suos erit misericors: inde liquet, illud iudicandi verbum accipi pro gubernatore agere: ut frequens est linguae hebraicae usus. Videtur autem id parum facere ad praesentem causam. Verum qui omnia recto expenderit, hunc quoque locum apte et commode adduci agnoscat. Neque enim gubernare potest Deus ecclesiam suam quin eam purget, ac quae illuc confusa sunt, in ordinem restituat. Proinde haec gubernatio hypocritis merito formidabilis esse debet, qui tunc daturi sunt poenas, quod locum sibi inter pios usurparient, et sacro Dei nomine perfide fuerint abusi: quum ipse paterfamilias constituendae domus suae curam suscipiet. Hoc sensu dicitur Deus exsurgere ad populum suum iudicandum, quum vere pios ab hypocritis discernit, Psal. 50, 1. *Et Psal. 125, 3, ubi de exterminandis hypocritis loquitur propheta, ne amplius gloriari audeant, quia ipsis Deus indulget, se ex ecclesia esse: pacem Israeli denuntiat, postquam hoc iudicium completum fuerit.* Non ergo intemperate apostolus, dum admonet Deum ecclesiae suaes praeesse, ac nihil omittere quod ad legitimam gubernationem faciat, quo sollicite se continere discant omnes sub eius imperio, ac meminerint reddendam

esse suo iudici rationem. Inde concludit, horrendum esse incidere in manus Dei viventis: quia mortalis homo, ut sit infestissimus, non potest tamen ultra mortem saevire: at Dei potentiam tam angustis limitibus finita non ost. Practerea saepe eludimus homines: Dei iudicium effugere non licet. Itaque quisquis sibi cum Deo esse negotium reputabit, cum (nisi valde sit stupidus) serio trepidare et expavescere necesse est. Imo fieri nequit quin illo Dei sensus totum hominem absorbeat: ut nulli dolores vel cruciatus cum eo sint conferendi. Denique quoties nobis delicias facit caro nostra, vel nobis ullo modo in peccatis blandimur: haec sola admonitio sufficere ad nos excitandos debet, quod horribile sit incidere in manus Dei viventis: cuius ira tot ac tam horrendis in aeternum exitium poenis armata est. Videtur tamen vox illa Davidis cum hac sententia pugnare, dum melius esse exclamat incidere in manus Dei quam hominum (2. Sam. 24, 14). Sed huius quaestionis faelis erit solutio, si cogitemus Davidem fiducia misericordiae Dei fretum, potius eligere ipsum iudicem quam homines. Tametsi enim Deum sibi iure iratum esse noverat, placatum tamen iri confidit: quia in se prostratus, nihilominus promissione gratiae erigeretur. Ergo quum exorabilem sibi Deum statuat, non mirum est si eius iram minus reformidet quam hominum. Hic autem apostolus iram Dei formidabilem reprobis esse pronuntiat, qui spe obtinenda veniae destituti, nihil praeter extremam severitatem expectant, quia iam gratiae Dei aditum praecluserint. Scimus autem Deum varie describi pro ratione hominum ad quos sermo habetur. Atque hoc est quod vult David Psal. 18, 27, Cum benigno benignus eris, eum perverso perversus.

32. *Recordamini dierum superiorum, quibus illuminati multum certamen sustinuistis passionum,*
 33. *partim dum probis et afflictionibus fuistis traducti, partim dum socii facti estis eorum qui sic conversabantur.* 34. *Etenim vinculis meis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum suscepistis cum gaudio, scientes vos habere meliorem substantiam in coelis et manentem.* 35. *Ne abiiciatis igitur fiduciam vestram quae remunerationem magnam habet.*

32. *Recordamini.* Ut stimulus illis addat, et alacritatem excitet ad pergendum: revocat illis in memoriam quae prius ediderant pietatis speciemina. Turpe enim est quum bene cooperis, in medio cursu fatigari: turpius vero retrocedere, quum iam magnos feceris progressus. Haec demum utilis est anteactae militiae recordatio, si fideliter ac strenue nos sub Christo gessimus: non ut praetextum quaeramus ignaviae, quasi defuncti iam essemus: sed ut ad cursum, qui nobis restat, perficiendum reddamur

paratores. Neque enim hac conditione nos Christus adsevit ut post aliquot annos, tanquam milites omeriti, petamus missionem: sed ut nostra stipendia ad finem usque persequamur. Porro exhortationem amplificat quum dicit, egregia stratagemata iam tune edidisse ipsos quo tempore adhuc novitii erant tyrones: quo magis pudendum esset, si nunc longo usu exercitati deficiant. Nam participium illuminati, ad tempus illud restringitur quo primum cooperarent Christo nomen dare. Ac si diceret, simul atque initiati fuitis in fidem Christi, subiustis dura arduaque certamina: nunc usus ipse confirmare vos debuit, ut sitis animosiores. Et tamen simul admonet, hoc Dei beneficio consequentos, ut crediderint non proprio marte. Illuminantur enim qui et ante in tenebris erant demersi: nec oculis praediti sunt quibus videant, nisi lux aliunde affulgeat. Ergo quoties nobis in mentem veniunt quae egimus, vel sumus passi pro Christo, totidem sint nobis stimuli qui nos ad meliorem profectum acuant.

33. *Partim dum probris.* Videmus quos compellit, nempe quorum fides non vulgaribus experimentis probata fuerat: et tamen hortari eos ad maiora non desinit. Quare nemo se perversa adulatio fallat, ac si metam attigisset, vel non opus habebret alienis stimulis. Dicit autem ipsos fuisse traductos probris et afflictionibus, ac si in theatrum producti essent. Unde colligimus insignes fuisse persequutiones quas sustinuerant. Sed postorius membrum diligenter notandum est, ubi dicit socios fuisse piorum in persequitionibus. Nam quum Christi sit causa pro qua certant pii omnes, et inter eos sit communis: quidquid unus eorum patitur, quasi in suam personam transferre debent reliqui omnes. Atque omnino sic agendum est, nisi velimus nos a Christo ipso disiungere.

34. *Suscepistis cum gaudio.* Non dubium est quin ut homines erant affectibus obnoxii, moerorem illis attulerit bonorum suorum iactura. Verum talis fuit eorum tristitia quae gaudium hoc, de quo loquitur apostolus, non impediret: quia paupertas inter res adversas censemur, bonorum direptio in se considerata dolore eos tangebat: sed quum altius respicerent, gaudii materiam concipiebant, quo illud quidquid erat doloris, leniebatur. Sic enim sensus nostros coelestis remunerationis aspectu a mundo abduci convenit. Neque aliud dico quam quod experientur pii omnes. Et certe laeti amplectimur quod persuasi sumus cessurum nobis in salutem: hunc autem proculdubio sensum habent filii Dei de certaminibus, quae pro Christi gloria suscipiunt. Itaque nunquam in illis dolore obruendis ita praevallet carnis affectus, quin erectis in coelum mentibus emergant in spirituale gaudium. Atque hoc designat ratio quam subiicit, scientes, inquit, vos habere meliorem substantiam in coelis

et manentem. Laeti ergo, bonorum suorum di-reptionem tolerabant: non quod libenter illis spoliari se viderent, sed quia animis intenti compensationem, facile conceptum ex praesentis mali sensu dolorom oblitiscebantur. Et sane ubicunque viget coelestium bonorum gustus, non usque adeo sapit mundus cum suis illecobris, ut vel paupertatis, vel ignominiae sensus dolore animos obruat. Ergo si patienter et acquis animis quidvis pro Christo velimus ferro, ad frequentem eius felicitatis meditationem assuecamus, prae qua quisquiliae sunt omnia mundi bona. Nec praetereundum est quod dicit, scientes vos habore: nisi enim quis statuat ad sc pertinero quam Deus haereditatem filii suis promisit, frigabit universalis cognitio.

35. *Ne abiiciatis igitur.* Ostendit quid nos maxime ad porseverantium confirmet: nempe si fiduciam nostram retineamus: quandoquidem ea abiecta, ipsi nos proposita mercede fraudamus. Unde apparet, ipsam pie sancteque vivendi fundamentum esse. Quod autem remunerationis nomine utitur, eo nihil diminuit de gratuita salutis promissione. Sic enim norunt fideles suum laborem in Domino non esse frustraneum, ut sola Dei misericordia nitantur. Sed hac de re alibi saepius dictum est, quomodo scilicet mercedis nomen cum gratuita iustitiae imputatione non pugnet.

36. *Patientia enim opus habetis: ut quum voluntatem Dei feceritis, obstinateis promissionem.* 37. *Adhuc enim pusillum temporis, quando qui venturus est, veniet, et non tardabit.* 38. *Iustus autem ex fide vivet.* Et si subductus fuerit, non obtestabitur anima in eo. 39. *Nos autem non sumus subductionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animae.*

CAPUT XI.

1. *Porro fides est rerum sperandarum substantia, demonstratio corum quae non videntur.*

36. *Patientia enim opus.* Patientiam dicit necessariam esse, non tantum quia in finem usque durandum est, sed quia innumeratas artes habet Satan quibus nos obturbet. Itaque nisi mira tolerantia essemus instructi, millies frangeremur antequam ad dimidium cursus nostri spatium ventum esset. Haereditas quidem vitae aeternae iam certa nobis est: sed quia vita haec instar stadii est, eniti ad metam oportet. In ipsa autem via plurima obstaacula et difficultates occurront, quae non tantum nos morentur, sed cursum nostrum prorsus abrumptant, nisi ingens adsit animi fortitudo ad eluctan-

dum. Molestias omnigenus astute ingerit Satan quibus nos exauimet. Denique nunquam duos passus conficent Christiani absque fatigacione, nisi se tolerantia sustentent. Proinde haec sola ratio est qua constanter pergamus: aliter neque parebimus Deo, neque unquam potiemur haereditate promissa, quae hic metonymice promissio vocatur.

37. *Adhuc enim pusillum temporis.* Ne molestum nobis sit tolerare, admonet non longum fore tempus. Porro nihil est quod magis ad sublevandos animos valeat si quando labascant, quam dum spes datur brevis ac propinquus exitus. Quemadmodum si imperator non procul esse finem belli militibus ostendat, modo paululum adhuc sustineant: ita apostolus modo animi nostri per mollitiem non concidant, brevi Dominum venturum admonet, qui nos eripiat ex omnibus malis. Porro ut plus fidei et autoritatis habeat consolatio, testimonium prophetae Habacuc adducit ex capite 2, 4. Sed quum graecam translationem sequutus, aliquantum discedat a prophetae verbis, primum breviter exponam quid dicat propheta: deinde conferemus quae apostolus hic recitat. Qum de horribili gentis suae clade disserisset propheta, expavescitus suo vaticinio, nihil habet reliquum nisi ut quasi mundum egressus, in speculam se recipiat. Specula autem nostra Dei verbum est, quo in coelum usque erigimur. Sic in statione sua collocatus, iubetur novam prophetiam scribere, quae salutis fiduciam piis asserat. Quoniam tamen natura importuni sunt homines, ac vota sua usque adeo praecipitant, ut semper tardum esse Deum putent, quamvis maxime festinet: promissionem sine mora venturam dicit. Quamquam simul addit: Si moram fecerit, illam exspecta. Quo significat, non tam cito futurum quod Deus promittit quin videatur nobis sero venire, sicut fertur veteri proverbio: Etiam celeritas in desiderio mora est. Sequitur postea: Ecce, eius qui se erigit, non erit anima in ipso stabilis: at iustus per fidem suam vivet. Quibus verbis denuntiat, impios, quibuslibet praesidiis muniti sint, aut confidant, non staturos: quia solida vita nonnisi in fide eonsistat. Muniant ergo se increduli ut libuerit, nihil in toto mundo nisi caducum reperient, ut necesse habeant identidem trepidare. At pios fides sua nunquam frustrabitur, quia in Deum recumbit. Hic prophetae sensus est. Nunc apostolus quod de promissione dicit Habacuc, ad Deum transfert. Verum quia Deus promissiones suas implendo, se ipsum quodammodo ostendit: ideo quantum ad rei summam parvum est discriminem. Venit inquam Dominus quoties manum suam exserit ad nos iuvandos. Brevi hoc futurum dicit apostolus post prophetam: quia Deus auxilium suum non longius differt quam expedit. Neque enim tempus extrahendo, frustra nos lactat, sicuti homines solent: sed opportunitatem suam novit,

quam effluere non patitur quin subveniat in ipso articulo. Dicit autem, qui venturus est, veniet, et non tardabit. Cuius sententiae duo sunt membra. Priore docemur adfuturum nobis Deum, quia promisit: secundo, id facturum tempestive, nec serius quam oportet.

38. *Iustus autem.* Significat tolerantiam ex fide nasci: quod verum est. Neque enim ad sustinenda certamina pares unquam erimus nisi fide suffulti. Sieuti oconverso Iohannes (1. Ep. 5, 4) vere pronuntiat victoriam esse nostram quae vincit mundum. Haec est qua in altum condescendimus: haec est qua transsilimus omnia praesentis vitae discrimina, omnesque miserias et molestias: haec nobis in mediis procellis et tempestatibus quieta est statio. Ergo apostolus exprimere voluit, quicunque iusti censemur coram Deo, non aliter quam fide vivere. Caeterum in verbo vivendi, futurum tempus, vitae perpetuitatem designat. Reliqua ex primo ad Romanos cap. 1, 17, et ad Galatas 3, 11, petant lectores, *ubi idem citatur locus.*

Et si subductus fuerit. Pro eo quod dicit propheta πλευ: hoc est, ubi fuerit elatio vel munitio, recta hominis anima in eo non manebit: Graeci reddiderunt quod hic refert apostolus. Quod partim cum mente prophetae congruit, partim vero ab ea est alienum. Nam subductio haec nihil aut parum differt ab elatione qua turgent impii. Si quidem quod praefracte adversus Deum insurgunt, ideo fit quia perversa confidentia inebrinati se eximunt ab eius potestate, tranquillumque sibi et ab omni malo immunem statum promittunt. Subduci ergo dicuntur, dum falsas eiusmodi munitiones opponunt, quibus a se proculsent omnem Dei timorem ac reverentiam. Itaque hoc verbo non minus fidei vis quam impietatis ingenium exprimitur. Superba enim ideo est impietas, quod debitum Deo honorem non tribuit, ut illi hominem subiiciat. Ex hac securitate, ferocia et contemptu fit ut quamdiu bene est iniquis, nubibus, ut inquit ille, oppedere audeant. Quod si fidei nihil magis contrarium est quam subductio, haec eius natura est ut hominem a se ipso abductum Deo in obsequium tradat. Membrum illud: non placebit animae meae: vel (ut ego plenius reddidi) non oblectabitur in eo anima mea, perinde accipendum est ac si ex suo sensu apostolus proferret hanc sententiam. Neque enim illi propositum fuit exacte recitare prophetae verba, sed duntaxat locum notare, ut ad propiorem intuitum invitaret lectores.

39. *Non sumus subductionis.* Libenter apostolus graeca translatione usus est quae superiori, quam tractavit, doctrinae aptissime quadrabat, sieut eam nunc eleganter accommodat. Prius admonuit ne ecclesiam deserendo se tandem a fide et gratia Christi alienarent. Nunc ita vocatos esse docet, ut

se nunquam subducant. Atque iterum fidem et subdictionem inter se opponit, sicuti acquisitionem animae eiusdem exitio. Notemus autem, hanc sententiam ad nos quoque pertinere: nos enim quos semel dignatus est Deus evangelii sui luce, quia in salutem vocati sumus, hunc agnoscere debemus vocationis nostrae finem, ut proficiamus magis ac magis in Dei obedientia, et assidue proprius ad eum accedere conemur. Haec vera est animae acquisitionis: quia sic agendo effugimus aeternum inferitum.

1. *Porro fides est.* Quisquis hic fecit initium capitis undecimi, perperam contextum obrupit. Nam apostoli consilium est probare quod dixerat, opus scilicet esse patientia. Citavit testimonium Habacuc, qui dicit iustum fide sua vivere. Nunc quod restabat ostendit, non magis a patientia fidem avelli quam a scipsa posse. Quare talis est orationis series. Nunquam perveniemus ad salutis metam nisi patientia simus instructi. Propheta enim iustum fide victorum asserit. Atqui fides ad res procul remotas nos vocat, et quibus nondum potimus. Necessario igitur patientiam in se continet. Itaque in syllogismo haec minor propositio erit: *Fides est substantia, etc.* Unde etiam apparet longe falli eos qui iustum fidei definitionem hic ponni existimant: neque enim hic de tota fidei natura disserit apostolus, sed partem elegit suo instituto congruentem: nempe quod eum patientia semper couiuncta sit. Nunc verba expendamus. Hypostasis vocat rerum quae sperantur. Scimus autem sperari non quae nobis ad manum sunt, sed quae adhuc latent: vel quorum saltem fruitio in aliud tempus reiicitur. Idem ergo nunc docet apostolus quod Paulus ad Romanos capite 8, 24. Postquam enim dixit: Non videri quod speratur: ex eo infert, per patientiam exspectari. Sic apostolus noster admonet, non haberi Deo fidem de praesentibus, sed quorum exspectatio adhuc suspensa est. Nec vero gratia caret antilogiae species. Fides, inquit, est hypostasis, hoc est futura vel possessio, in qua pedem figimus. Sed quarum rerum? absentium, quae adeo pedibus nostris non subiacent, ut longe superent ingenii nostri captum. Eadem est ratio secundi membra, ubi elenchum, id est, demonstrationem vocat rerum non apparentium. Demonstrationem enim facit ut res appareant, nec vulgo pertinet nisi ad ea quae sub sensus nostros cadunt. Itaque pugnant haec duo in speciem: et tamen optime convenient ubi de fide agitur. Res enim absconditas nobis demonstrat spiritus Dei, quarum nulla ad sensus nostros pervenire potest cognitio. Nobis vita aeterna promittitur, sed mortuis: nobis sermo fit de beata resurrectione, interea putredine sumus obvoluti: iusti pronuntiamur, et habitat in nobis peccatum: audimus nos esse beatos, interea

obruimur infinitis miseriis: promittitur bonorum omnium affluentia, prolixe vero esurimus et siti mus: clamat Deus, statim se nobis adfuturum, sed videtur surdus esse ad clamores nostros. Quid fieret nisi spei inniteremur, ac mens nostra praelucenti Dei verbo ac spiritu per medias tenebras supra mundum emerget? Quare merito fides subsistentia vocatur rerum, quae in spe adhuc possitae sunt, et evidentia non apparentium. Quod Augustinus pro elencho aliquoties coniunctionem transtulit, non displicet: nam fideleri apostoli mentem exprimit. Sed ego demonstrationis aut evidentiæ nomen malo: quia minus est coactum.

2. *Per hanc enim testimonium consequuti sunt seniores.* 3. *Fide intelligimus aptata esse sacula verbo Dei, ut non apparentium spectacula fierent.* 4. *Fide Abel praestantiorum hostiam quam Cain obtulit Deo: per quam testimonium obtinuit, quod iustus esset, testimonium reddente Deo eius donis: et per ipsam mortuus adhuc loquitur.*

2. *Per hanc enim testimonium.* Tractabit hoc argumentum usque ad finem capituli: non aliunde salutem adeptos esse patres, aut Deo gratos fuisse quam ex fide. Erat aliqua ratio cur Iudei patribus suis multum deferrent: sed praepostera quaedam patrum admiratio sic inter eos obtainuerat, ut magnum impedimentum esset quominus se totos Christi gubernandos permitterent: sive hoc ambitio faciebat, sive supersticio, sive utrumque. Nam quum audirent benedictum ac sanctum esse Abrahæ semen: hoc elegio inflati, in homines potius quam in Deum coniicabant oculos. Deinde accedebat perversa acmulario, quia non considerabant quid in patribus maxime imitatione dignum esset: ita fiebat ut caeremoniis veteribus insisterent, ac si tota religio perfectaque sanctitas illis constaret. Hunc errorem refellit apostolus, ac docet quid in illis fuerit præcipuum: ut intelligent posteri quomodo vere futuri sint illorum similes. Ergo meminerimus hunc esse statum et quasi cardinem, in quo versatur oratio apostoli. Patres quicunque ab initio mundi Deo probati fuerunt, non aliter quam fide illi fuisse coniuctos: ut sciant Iudei sola fide se colligari cum patribus in sanctam unitatem: simul vero atque a fide discesserint, se abdicari ab ecclesia, nec iam legitimos esse Abrahæ filios, sed degeneres ac spurios.

3. *Fide intelligimus.* Optima proximae sententiae haec probatio est. Nihil enim a brutis animalibus differimus, si non tenemus mundum a Deo esse conditum. Quorsum enim ratione ac intellectu praediti sunt homines, nisi ut creatorem suum agnoscant? Atqui sola fide percipimus mundum esse a Deo creatum. Ergo nihil mirum si fides in patri-

bus emineat prae aliis virtutibus. Verum hic quaeri potest cur fide intelligi asserat apostolus quod infideles ipsi cognoscunt. Nam impios etiam cogit coeli ac terrae adspectus, ut opificem aliquem agnoscant. Atque hinc Paulus reos ingratitudinis omnes peragit: quia postquam Deum cognoverint, debitum illi honorem non tribuant (Rom. 1, 21). Et certe non ita semper viguissest inter omnes populos religio, nisi hac persuasione occupatae fuissent hominum mentes, Deum esse mundi conditorem. Videatur itaque extra fidem locum habere haec cognitio quam apostolus in fide includit. Respondeo, aliquam semper fuisse eiusmodi opinionem inter gentes quod mundus a Deo esset conditus, sed evanidam. Simul enim ac Deum aliquem imaginati sunt, mox evanescunt in suis cogitationibus, ut umbram incerti numinis palpent in tenebris potius, quam verum Deum teneant. Praeterea quum fluxa tantum sit opinio quae in oorum mentibus volitat, procul distat ab intelligentia. Adde quod in mundo gubernando regnum fortunae assignant: providentiae Dei, quae sola est moderatrix, nulla mentio. Caecutiunt itaque hominum mentes ad hanc naturae lucem quae in creaturis omnibus refulget, donec irradiatae a spiritu Dei fide intelligere incipient quod alioquin nunquam caperent. Quare verissime apostolus, qui talenm fidei intelligentiam adscribit: nam fideles non tantum leviter opinantur Deum esse mundi architectum, sed persuasionem penitus animis infixam habent, ac verum Deum intuentur. Deinde potentiam verbis eius apprehendunt, non quae se ad momentum in creando mundo ostenderit, sed quae perpetuo in eius conservatione se proferat: nec potentiae modo sensus concipiunt, sed bonitatis et sapientiae et aequitatis: unde ad Dei cultum, amorem, ac reverentiam incitantur.

Ut non apparentium. In hoc membro hallucinati sunt, meo iudicio, omnes interpretes. Hinc autem natus est error quod praepositionem *ex* separant a participio φανομένων. Ita exponunt, Ut fierent visibilia *ex* non apparentibus. Atqui ex his verbis vix ullus sensus elici potest: saltem nisi valde iejunus. Deinde orationis contextus hoc non patitur. Dicendum enim erat, *ἐκ μὴ φανομένων*. Alia autem apud apostolum est series. Quare aliter, si quis verbum e verbo transferre velit, non potest hoc membrum exponi quam sic: Ut non apparentium fierent visa, hoc est spectacula: ut praepositio *ex* sit composita cum participio. Continent porro haec verba optimam doctrinam: quod in hoc mundo conspicuam habeamus Dei imaginem. Adeoque idem hoc loco docet apostolus noster quod Paulus ad Romanos capite 1, 20, quum tradit invisibilia Dei nobis patefieri ex mundi creatione, dum in operibus cernuntur. Aeternac enim suae sapientiae, bonitati, potentiae Deus luculentum

testimonium reddit in tota mundi architectura: et quum in se sit invisibilis, nobis quodammodo in suis operibus appareat. Quare eleganter mundus divinitatis speculum nominatur: non quod satis sit hominibus perspicaciae ad Deum ex mundi adspectu cognoscendum: sed ita se impiis patefacit, ut excusatione careat eorum ignorantia. Fideles autem, quibus oculos dedit in singulis creaturis, velut emicantes gloriae eius scintillas cernunt. Certe in hunc finem conditus est mundus, ut esset divinae gloriae theatrum.

4. Fide Abel. Posthac disputabit, quaecunque unquam eximia fuerunt sanctorum opera, pretium suum, dignitatem, et quidquid habuerunt praestantiae, a fide mutata esse. Unde confieatur quod iam prius dixit, patres sola fide placuisse Deo. Porro duplici nomine fidem hic commendat: propter obedientiam scilicet, quia nihil nisi ex praescripto verbi Dei aggreditur aut suscipit: deinde quia Dei promissionibus innixa, pretium ac dignitatem operibus ex mera Dei gratia conciliat. Ita quoties inculcabitur hoc capite fidei nomen, meminerimus apostolum hoc agere ut Iudei non aliam habeant fidei regulam quam Dei verbum: deinde ut a solis eius promissionibus pendeant. Principio dicit hostiam Abel non alia ratione potiorem fuisse quam fratris, nisi quod fide sanctificata fuit: nam certe adeps brutorum animalium non ita suaviter olebat, ut odore suo placare Deum potuerit. Et scriptura facile ostendit cur Deus gratas habuerit eius hostias. Verba enim Mosis sunt: Respexit Deus ad Abel et ad munera eius. Ex quibus colligere promptum est, ideo placuisse eius hostias quia ipse gratiosus esset Deo. Unde porro illa gratia, nisi quod habuit cor fide purgatum?

Testimonium perhibente. Confirmat quod iam dixi, nulla a nobis proficiisci opera quae Deo placeant, donec ipsi in gratiam recepti simus. Vel (ut brevius loquar) nulla censeri coram Deo iusta opera nisi iusti hominis. Sic enim rationatur, Deus testimonium muneribus Abel reddidit: ergo iustitiae laudem coram Deo obtinet. Utilis est haec doctrina, et eo diligentius notanda, quod non facile nobis persuadetur: nam in quoque opere splendor aliquis affulget, statim admiratione rapimur, nec putamus posse a Deo iure improbari. Atqui Deus qui internam tantum cordis puritatem respicit, non moratur externas operam larvas. Discamus ergo nullum a nobis prodire rectum opus, donec iustificati simus coram Deo.

Per ipsam mortuus. Hoc etiam fidei fert acceptum, quod Deus Abelem sibi curae esse testatus est non minus post mortem quam in vita. Nam quum dicit ipsum clamasse mortuum, significat quod refert Moses, Deum indigna eius morte fuisse commotum ut vindictam sumeret. Quod ergo vel

Abel, vel eius sanguis clamare dicitur, utrumque tigratum est. Porro singulare divini erga eum amoris hoc testimonium fuit, quod Deus euram habuit mortui: atque inde patet reputari inter Dei sanatos, quorum mors illi pretiosa est.

5. *Fide Enoch translatus est ne videaret mortem: neque inventus est, propterea quod Deus illum transulerat. Nam ante translationem suam testimonium adeptus erat quod placeuerat Deo.* 6. *Sine fide autem impossibile est placeere Deo: nam qui ad Deum accedit, eum eredere oportet quod sit, et quod remunerator sit iis qui eum quaerunt.*

5. *Fide Enoeh.* Paucos deligit ex vetustissimis, ut sibi ad Abraham et eius posteros transitum faciat. Fidei beneficio factum esse docet ut Enoch translatus fuerit. In primis vero tenenda est causa eur insolito modo eum Deus e terra subduxerit. Insigne hoc fuit specimen, unde omnes cognoscerent quam carus esset Deo. Impietas et omnes corruptelae ubique tunc grassabantur. Si vulgari hominum more mortuus fuisset, nemini venisset in mentem, ita servatum esse Dei providentia, ne contagione inficeretur: sed quum rapitur sine morte, palam se ostendit e coelo Dei manus, ut eum quasi ex incendio eripiat. Quare non vulgare hoc honoris signum est quo Deus eum dignatur. Id apostolus fide consequutum esse affirmat. Refert quidem Moses iustum huius hominem, et coram Deo ambulasse: sed quoniam iustitia a fide incipit, merito hoc fidei tribuitur, quod dilectus fuerit Deo. Argutas quaestiones, quibus se curiosi homines torquere solent, negligere satius est. Quaerunt quid his duobus factum fuerit, Enoch et Elia. Postea ne videantur frustra quaesiisse, servari divinant usque ad ultimum ecclesiae tempus: ut tunc repente prodeant in mundum. Ad hanc rem citatur Apocalypsis Iohannis. Hanc aeream philosophiam levibus ingenii relinquamus, quae in solido stare nequeunt. Nobis sufficiat quod eorum raptus mors quaedam fuerit extraordinaria: nec dubitemus quin exuendi sint mortali et corruptibili carne, ut cum aliis Christi membris in beatam immortalitatem renoverentur.

6. *Sine fide autem.* Haec propositio exemplis omnibus, quae apostolus hoc capite recenset, communis est: sed quoniam nonnulli obscuritatis habet, operae pretium est eius sensum propius excutere. Nemo autem nobis melior erit interpres, quam is ipse qui loquitur. Itaque probatio quam continuo post subiicit, nobis vice expositionis esse potest. Haec inquam ratio est cur citra fidem nullus Deo placeat: quia nullus ad Deum unquam accedet nisi qui crederet Deum esse, et statuet remuneratorem esse omnibus qui eum quaerunt. Si accessus ad Deum non patet nisi fide, sequitur, extra illam exosos Deo esse omnes. Primum hinc ostendit

apostolus quo modo gratiam nobis conciliat fides: nempe quia nobis ad colendum verum Deum magistra est. Deinde quia nos de eius voluntate certiores reddit, ne frustra nobis videamur eum quaerere. Haec duo membra non leviter praetereunda sunt: nempe ut ipsum esse Deum credamus: secundo, ut persuasi simus, non frustra ipsum a nobis quaeri. Videtur quidem nihil hic magnum dici, quum postulat apostolus ut credamus esse Deum. Verum si proprius attendas, reperies huberem hic ac reconditam sublimemque doctrinam contineri. Tametsi enim Deum esse, extra controversiam ab omnibus fero ponitur: nisi tamen nos Dominus in firma sui cognitione retineat, subinde obrepunt variae dubitationes quae totum divinitatis sensum executant. Ad hanc certe vanitatem propensum est hominius ingenium, ut facile Deum obliviscatur. Quamquam non hoc tantum vult apostolus, ut certo persuasum habeant homines esse aliquem Deum: sed hoc de vero Deo praedicat. Non sufficiet inquam si quemlibet apprehendas Deum, nisi discernas quisnam verus sit Deus. Quid enim proderit idolum fingere, cui Dei gloriam transscribas? Iam tenemus quid hoc membro apostolus significet. Negat ad Deum nobis esse accessum, nisi penitus hoc in animis nostris infixum habeamus, ipsum esse Deum: ne variis opinionibus huc et illuc circumferamur. Unde patet, frustra homines in colendo Deo fatigari nisi rectam viam teneant. Nec vanas modo, sed vitiosas quoque esse omnes religiones, quae certam Dei notitiam coniunctam non habent: quoniam a Dei accessu prohibentur omnes qui eum ab idolis non discernunt. Denique nulla est religio nisi in qua regnat veritas. Quod si vera Dei cognitio cordibus nostris insideat, fieri non poterit quin nos afficiat reverentia et timore. Deus enim sine maiestate sua non vere cognoscitur. Hinc studium eius collendi, hinc fit ut ad eum veluti scopum tota vita dirigatur. Secundum membrum est, ut persuasi simus Deum non frustra quaeri. Quae persuasio salutis vitaeque aeternae spem in se complectitur. Nemo enim, nisi percepto divinae bonitatis sensu, ita ut salutem ab eo speret, ad eum quaerendum crit animo comparatus. Fugimus enim vel contemnimus Deum ubi nulla salus appetit. Meminerimus autem id credendum esse, non opinandum: quia impii etiam si quid tale interdum concipient, non tamen ad Deum propterea accedunt, quia non utuntur firma et stabili fide. Haec altera est pars fidei qua gratiam consequimur apud Deum: nempe dum certo statuimus salutem apud eum nobis esse repositam. Sed hoc membrum calumnioso multi depravant, dum inde operum merita et merendi fiduciam eliciunt. Sic enim ratiocinantur: si ideo fide placemus Deo, quia illum credimus remuneratorem: ergo fides respectum habet ad operum merita.

Hic error non aliter melius poterit refutari, quam si consideremus quaerendi modum: neque enim si extra viam quis vagetur, Deum quaerere putandus est. Hanc porro quaerendi Dei rationem assignat scriptura, ut homo in se prostratus, perculsusque aeternae mortis reatu, ac de se desperans, ad Christum, tanquam unicum salutis asyrum, confugiat. Nusquam certe hoc reperiemus, afferendum esse ullum operis meritum Deo quod nos apud eum in gratiam ponat. Ergo qui hanc definitionem quaerendi Dei probe tenebit, expeditus erit omni difficultate: quia remuneratio non ad operum dignitatem vel pretium, sed ad fidem refertur. Ita concidunt frigidae illac sophistarum glossae: per fidem placemus Deo, quia merendo intentionem habemus placendi. Longo altius nos apostolus evehere voluit: nempe ut certo secum statuat conscientia, in quaerendo Deo non irritum esse cursum. Quae certitudo longe captum nostrum superat, praesertim quum in se quisque descendit. Neque enim hoc in medio poneundum est, Deum iis esse remuneratorem qui ipsum quaerunt: sed privatim ad se quisque usum et fructum eius doctrinae accommodare debet, nempe ut sciamus nos a Deo respici: tantae illi curae salutem esse nostram, ut nobis nunquam sit defuturus: preces ab eo nostras exaudiri: illum nobis perpetuum fore liberatorem. Quum vero nihil horum sine Christo nobis constet, necesse est ut semper se in eum fides nostra referat, et in eo solo baereat. Ex his duobus membris colligere nunc licet quomodo et cur impossibile sit hominem sine fide placere Deo. Nam omnes nos iure exosos habet quum maledicti simus natura: nec vero in potestate nostra est remedium. Quare necesse est ut nos Deus gratia sua praeveniat. Id fit dum ipsum cognoscimus Deum esse, ut nulla prava superstitione nos alio abducatur: deinde quum certam nobis ab eo salutem promittimus. Si quis pleniorum huius argumenti tractationem desideret, hinc facendum erit exordium, nos frustra tentare omnia et moliri, nisi in Deum respicimus. Hinc enim unicus est rectae vitae finis, eius gloriae servire. Id nunquam fiet nisi praecedat eius cognitio. Sed haec tantum fidei dimidia est pars, parumque professetur nisi accedcret fiducia. Ergo tunc demum suis numeris absoluta est fides, ut gratiam nobis apud Deum comparet, quum certo confidimus, non frustra nos ipsum quaerere, adeoque certam ab eo salutem nobis promittimus. Porro nemo nisi excaecatus superbia, perversoque sui amore fascinatus, Deum suis meritis remuneratorem fore confidet. Ergo fiducia haec, de qua loquimur, non in opera neque in propriam hominis dignitatem, sed in solam Dei gratiam recumbet. Quum autem Dei gratia non nisi in Christo inveniatur, is unus est in quem respicere debet fides.

7. *Fide Noe, divinitus admonitus de iis quae nondum videbantur, veritus apparavit arcam in salutem domus suae: per quam condemnavit mundum, et eius (quae secundum fidem est) iustitiae factus est haeres.*

7. *Fide Noe.* Hoc admirabile virtutis exemplum fuit, quod quum totus mundus impunitatem sibi promittens, secure et licenter delitiis indulgeret: solus Noe vindictam Dei, quae diu tamen adhuc differenda erat, sibi ante oculos proposuit: quod centum et viginti annos misere se fatigavit in construenda arca: quod inter tot impiorum sub-sannationes stetit infractus: quod in totius mundi interitu se salvum fore non dubitavit, imo sibi vitam statuit in sepulcro, hoc est in arca ipsa. Rem breviter attingo: circumstantias per se quisque expendere melius potest. Huius tam paeclarae virtutis laudem apostolus fidei assignat. Hactenus disseruit de patrum fide qui sub prima mundi aetate vixerunt: haec vero quaedam palingenesia fuit, dum Noe cum sua familia emersit ex diluvio. Hinc conficitur, omnibus saeculis non aliter homines probatos fuisse Deo, nec quidquam laude dignum edidisse quam per fidem. Nunc videamus quid in Noe considerandum proponat: nempe quod de futuris, needum manifestis rebus admonitus timuit: deinde quod construxit arcam: tertio quod mundum ea structura condemnavit: quarto quod iustitiae, quae secundum fidem est, fuerit haeres. Quod ordine primum posui, fidei vim maxime exprimit. Semper enim ad principium illud nos revocat, quod fides evidenter sit rerum non apparentium. Et certe proprium eius est, quae latent, atque a sensibus nostris remota sunt, in verbo Dei intueri. Quum ante vero diluvium post centum et viginti annos futurum denuntiaretur, primum temporis longitudu poterat metum demere: deinde res erat incredibilis: impios interea cernebat secure delitiari: denique terribilis ille diluvii nuntius inane terriculamentum videri poterat. Atqui tantum defert Noe Dei verbo, ut oculos a praesenti rerum adspectu advertens, interitum, quem Deus minatur, quasi praesentem timeat. Fides ergo, quam habet verbo Dei, ipsum ad Dei obedientiam format: cuius postea documentum praebet in fabricanda arca. Sed hic obiicitur quaestio, eur fidem timoris causam faciat apostolus, quum gratiae promissiones potius quam minas respiciat. Qua ratione Paulus evangelium, quo iustitia Dei nobis offertur in salutem, verbum fidei nuncupat (Rom. 10, 8). Improprie ergo dictum hoc videtur, quod Noe inductus fide fuerit ad timendum. Respondeo, proprie quidem ex promissionibus fidem nasci, in illis esse fundatam, in illas collimare. Ideo dicimus Christum esse verum fidei scopum, in quo nobis propitius est pater coelestis, et in quo

obsignatae ac ruitae sunt omnes salutis promissiones. Neque tamen id obstat quominus fides Deum resipiet, ac reverenter excipiat quidquid ipse loquitur. Aut si brovius habere mavis, proprium fidei est loquentem audire Deum, et quidquid ex sacro eius ore prodit, sine dubitatione amplecti. Ita fides praeceptis ac minis, non sœus ac gratuitis promissionibus, subiicitur. Sed quia nemo unquam ut debet, ac quantum satis est, Dei praeceptis ad parendum asticetur, nec minis commovetur ad deprecaendam eius iram, nisi qui gratiae promissiones iam apprehendit, ut illum benevolum patrem agnoscat salutisque autorem: ideo a præcipua parte evangelium per syncedochen vocatur verbum fidei: et relatio inter hanc et illud mutua statuitur. Fides tamen utcunq; recta in Dei promissiones se conferat, ad minas nihil omnisi intenta est quatenus nos ad Dei timorem ac obsequium eruditiri necesse est.

Apparavit arcam. Hic obedientia notatur quae ex fido manavit, tanquam ex fonte aqua. Longum erat et laboriosum opus structura arcae: quotidianis impiorum ludibriis impediri, adeoque milles abrumpti peterat: nec dubium quin undique sancto viro insultaverint. Quod ergo protertos eorum insultus infracto animo sustinuit, in eo prodidit non vulgare obsequendi studium. Sed unde id quod tam constanter obedivit Deo, nisi quod in promissione, quae spem illi salutis dabat, prius acquievit, et in hac fiducia persistit usque ad extremum? Neque enim ad subeundas sponte tot molestias fuisse animatus, nec tot obstaculis vincendis par fuisse, nec tamdiu firmus stetisset in suo instituto, nisi praeunte fiducia. Sola igitur fides obedientiae magistra est. Unde exadverso colligere licet, incredulitatem nobis obstatre quominus Deo pareamus. Atque hodie horrendum in modum hac in parte se prodit mundi incredulitas, quod tam pauci Deo sint obsequentes.

Per quam damnavit mundum. Durum esset ad Noe salutem referre quod mundum damnaverit: de fide intelligi contextus vix patitur. Ergo de arca intelligamus. Duplici autem nomine dicitur mundum per arcam damnasse. Nam quod in ea construenda tamdiu occupatus fuit, id excusationem reprobis abstulit: et eventus, qui sequutus est, iustum mundi exitium comprobavit. Cur enim arca salutis custodia fuit uni familiae, nisi quod viro iusto parcit ira Domini, ne una cum impiis pereat? Ergo nisi reliquus superfuisset, non tam conspicua esset mundi damnatio. Quod ergo Dei mandato obtinetur Nee, mundi contumaciam suo exemplo damnat: quod mirabiliter eripitur ex media morte, id documento est, iuste perire totum mundum, quem proculdubio servaret Deus, nisi indignus esset salute.

Quae secundum fidem est, iustitiae. Hoc ulti-

mum est quod observandum admonet apostolus in persona Noe. Moses refert illum fuisse iustum. Causam ac radicem huius iustitiae fidem fuisse quia ille historice non refert, ex re ipsa apostolus testatur. Quod non ideo tantum verum est quia nemo unquam se Deo in obsequium sincere addit, nisi qui paternae eius benevolentiae promissionibus fretus acceptam illi suam vitam fore confidit: sed quia nullius quilibet sancti hominis vita, quam ad Dei regulam exigitur, placere sine venia potest. Ergo necesso est ut in fidem iustitia recumbat.

8. *Fide Abraham,* quum vocatus esset, obediuit ut exiret in locum quem accepturus erat in haereditatem: et exivit nesciens quo veniret. 9. *Fide peregrinus* est in terra promissa quasi aliena: in tabernaculis habitans cum Isaac et Iacob cohaeredibus eiusdem promissionis. 10. *Exspectabat* enim civitatem habentem fundamenta, cuius architectus et opifex est Deus. 11. *Fide et ipsa Sara facultatem* ad conceptionem seminis accepit, et praeter tempus aetatis peperit: quia fidem existimavit eum qui promiserat. 12. *Propterea etiam ex uno geniti sunt,* et quidem emortuo, multitudine tanquam astra coeli, et quasi arena quae est iuxta marginem maris innumerabilis.

8. *Fide Abraham.* Iam ad ipsum Abraham descendit, qui præcipius est in terris ecclesiæ Dei pater: et cuius nomine gloriabantur Iudei, quasi hoc sole titulo exempti essent a communi hominum ordine, quia erant sancta Abrahae progenies. Quid autem potissimum habere debeant admonet, ut reputentur inter Abrahae filios: atque ita eos ad fidem revocat, quia nihil habuerit eximium ipse Abraham quod non ex fide processerit. Principio docet, fidem fuisse causam cur statim paruerit Deo quum iussus esset ex patria migrare: deinde eadem fide fuisse factum ut constanter in vocatione sua ad finem usque pergeret. His duobus testimoniosis luctuente comprobata fuit Abrahae fides, obsequendi promptitudine et pergendi constantia.

Quum vocatus esset. Vetus interpres et Erasmus ad nomen referunt: quod nimis dilutum est et frigidum. Ego potius de oraculo interpretor quo evocatus fuit extra patriam. Ita enim sibi voluntarium exilium sponte indixit, ut tamen nihil fecerit nisi Dei mandato. Et certe hoc unum est ex fidei principiis, ne pedem moveamus nisi viam nobis præmonstret Dei verbum, ac instar lucernæ nobis prælucceat, quemadmodum inquit David (Psal. 119, 105). Quare hoc observare discamus tota vita, ne quid aggrediamur nisi vocante Deo.

Ut exiret in locum. Ad mandatum accessit promissio, quod terram illi daturus esset Deus in haereditatem. Hanc promissionem extemplo amplectitur, nec aliter festinat quam si in possessionem

simul mitteundus esset. Hoc rarum est fidei experimentum, relinquere quod sub manu est, et quae procul sunt et nobis incognita, quaeramus. Nam quum Deus illum migrare iubet, non designat locum in quo velit eum degere: sed suspensum perplexumque animi relinquit. Veni, inquit, in locum quem monstrabo tibi. Quorsum loci notationem differt, nisi ut magis ac magis exerceatur eius fides? Et poterat natalis soli amor non modo retardare Abrahæ alacritatem, sed prorsus tenere ligatum eius animum, ne domo exiret. Non vulgaris ergo fuit eius fides, quae ita omnibus abruptis impedimentis eum rapuit quo Dominus vocabat.

9. *Fide peregrinatus est.* Hec est secundum membrum: quod terram ingressus, vix tanquam alienigena et inquilinus excipitur. Ubi illa haereditas quam speraverat? Protinus certe in mentem illi venire potuit, se fuisse a Deo delusum: maior etiam illa frustrationis species quam apostolus omittit, quod paulo post eum inde fames expellit, quod secundo etiam cogitur fugere in terram Gerar. Sed apostolus satis habuit uno verbo commendare eius perseverantiam, quum dixit fuisse inquilinum terrae promissæ: nam inquilini conditio promissioni erat contraria. Quod ergo fortiter hanc tentationem sustinuit Abraham, insignis virtus fuit: sed quae prodit ex sola fide.

Cum Isaac et Iacob. Non significat sub iisdem tabernaculis vel eodem tempore eos habitasse, sed comites Abrahæ adiungit filium et nepotem, quia peregrinati fuerint in haereditate sibi promissa, neque tamen defecerint, utcunque in longum tempus ipsos Deus extraheret. Nam quo longior fuit mora, eo magis crevit tentatio: nisi opposito fidei elypeo omnes dubitationem insultus repulissent.

10. *Exspectabant enim.* Reddit causam cur fidei adscribat eorum tolerantiam: nempe quia in coelum respicerent. Hoc vero fuit videre quae non videntur. Quamquam enim hoc iam magnum erat, de terrae possessione fidem sibi a Deo datam fovere in animis, donec post aliquot saecula res ipsa exhibetur: tamen quum ne illic quidem subsidunt, sed penetrant usque in coelum, in eo luculentius fidem suam demonstrant. Coelum vocat urbem fundatam, cuius status perpetuus est: quum in mundo nihil sit nisi fluidum et caducum. Hoc autem absurdum videri posset, quod Deum facit coeli conditorem, quasi non terram quoque creaverit. Respondeo, quia in terrenis structuris ad materiem accedunt hominum manus, illis Dei opificium non inepte opponi. Quidquid autem ab hominibus construitur, autores suos ipsa instabilitate refert: sicuti coelestis vitae perpetuitas Dei conditoris naturae convenient. Eius porro exspectatione sublevari omne taedium docet apostolus, ne unquam Deum sequendo fatigemur.

11. *Fide et ipsa Sara.* Ut sibi non minus quam viris mulieres hanc doctrinam communem esse intelligant, Saræ exemplum adducit: quam ideo præ aliis nominat, quod omnium fidelium sit mater. Sed mirum est commendari eius fidem quae incredulitatis palam arguitur: quia angeli vocem velut fabulosam rideat. Neque enim admirationis risus ille fuit: alioqui non tam severe reprehensa fuisset ab angelo. Fatendum est diffidentia mixtam fuisset eius fidem: sed quoniam monita diffidentiam suam corrigit, nihilominus agnoscitur a Deo et laudatur eius fides. Quod ergo iustus reiicit quasi incredibile, simulatque audit ex ore Dei profectum, obediens recipit. Atque hinc utilem doctrinam colligimus: quod etiam siqua in parte vacillat aut claudicet fides nostra, non desinit probari Deo, modo ne diffidentiae nostræ indulgeamus. Summa autem est, miraculum quod tunc edidit Deus quum Isaac genitus fuit, fructum fidei Abrahæ et uxoris fuisse qua Dei virtutem apprehenderunt.

Quia fidem. Diligenter notandæ sunt istæ rationes, quae vim naturamque fidei exprimunt. Si quis tantum audiat Saram fide peperisse nondum quid hoc sibi velit assequetur: sed haec expositio quam apostolus attexuit, tollit omnem difficultatem. Hanc enim fuisse Saræ fidem praedicat, quod verecum iudicavit Deum, idque in suis promissionibus. Cuius sententiae duo sunt membra. Primum euim hinc docemur, nullam absque verbo Dei esse fidem: quia de eius veritate persuasi non erimus donec loquutus sit. Quod unum abunde valet ad refutandum sophistarum commentum de fide implicita: semper enim tenenda est mutua inter verbum Dei et fidem nostram relatio. Sed quia in Dei benevolentia præcipue (ut iam dictum est) fundatur fides, ideo non quodlibet verbum, quamvis profectum ex eius ore, sufficeret: sed requiritur promissio gratiae testis. Quamobrem dicitur Sara veracem iudicasse Deum qui promiserat. Haec inquam vera est fides, quae et Deum loquentem audit et promissionem eius nititur.

12. *Ex uno geniti sunt.* Iudeos etiam nunc admonet, fide esse factum ut sint Abrahæ soboles. Erat enim iam quasi semimortuus Abraham: Sara uxor, quae in flore aetatis sterilis fuerat, iam senio efforta. Citius ergo oleum ex lapide fluere debebat, quam ex illis prodire aliquis populus. Atqui innumera multitudo nascitur. Si nunc origine sua superbiunt Iudei, causam attendant. Certe quidquid sunt, fidei Abrahæ et Saræ tribuendum est. Unde sequitur, non aliter quam fide retinere ac tueri posse ipsos quem consequuti sunt statum.

13. *Secundum fidem mortui sunt isti omnes non acceptis promissionibus: sed quum procul eas vidissent, et credidissent, et salutassent, et confessi essent*

quod hospites et peregrini erant super terram. 14. *Sane qui haec dicunt, ostendunt se patriam inquirere.* 15. *Et si quidem illius meminissent a qua exierant, habebant tempus revertendi:* 16. *nunc vero meliorem appetunt, id est coelestem.* Quare non crubescit Deus, vocari Deus ipsorum: paravit enim illis civitatem.

13. *Secundum fidem.* Comparatione amplificat fidem patriarcharum: quia cum Dei promissiones tantum libassont, tanquam illarum dulcedine satiati, quidquid in mundo erat spreverunt: nec unquam illarum gustum, quantumvis tenuem, oblii sunt vel in vita vel in morte. Quamquam particula, Secundum fidem, bifariam exponitur. Quidam simpli-citer intelligunt, secundum fidem esse mortuos, quia in hac vita nunquam promissis bonis potiti sint. Sicuti hodie quoque sub spe nobis abscondita est salus. Ego tamen iis potius assentior, qui hic notari inter nos et patros discrimen putant: atque ita expono: Quum Deus gratiam, quae in nos large effusa est, patribus dyntaxat gustandom praebuerit, quum eminus illis ostenderit obscuram Christi imaginem, qui nunc se conspiciendum quasi sub oculos nostros offert: tamen acquieverunt, nec unquam exciderunt a sua fide: quanto nobis hodie amplior datur perseverandi materia? Si deficimus, bis sumus inexcusabiles. Haec ergo circumstantia plurimum auget, quod procul intuiti sunt patres spirituale Christi regnum, cuius hodie tam propinquus est ad-spectus: quod procul salutarunt promissiones, quae tam familiariter nobiscum habitant. Nam si illi nihilominus ad mortem usque sustinuerunt: quantae nunc ignaviae erit fatigari credendo, quum Dominus tot adminiculis nos fulciat? Si quis obiiciat, non potuisse eos credere nisi acceptis promissionibus, in quibus necessario fundanda est fides: respondeo, hoc per comparationem dici. Procul enim ab hoc gradu absuerunt, in quem nos Deus evexit. Proinde tametsi eadem illi salus fuit promissa, promissionum tamen claritatem, qua sub Christi regno fruimur, non habebant: sed contenti fuerunt eam procul adspicere.

Et confessi quod hospites. Hoc Jacob constitutus quum Pharaoni respondet tempus peregrinationis suae breve fuisse prae tempore peregrinationis patrum suorum, plenumque multis acerumnis, Genes. 47, 9. Si Jacob peregrinum se agnoscit in ea terra, quae illi in perpetuam haereditatem promissa erat: satis patet, minime in mundo fuisse defixum, sed mentem supra coelos extulisse. Ideo infert apostolus, patres, ita loquendo, palam ostendisse sibi esse meliorem in coelo patriam: nam si hic peregrinantur, alibi patria est ac fixa sedes. Quod si illi inter obscuras nubes in coelestem patriam animis evolarent, quid hodie nobis agendum est? Quibus e coelo conspicuam manum Christus porrigit, ut nos

secum attollat? Si illos nou detinuit terra Chanaan, quanto magis expediti esse debemus, quibus nulla ostenditur certa statio in mundo?

15. *Si quidem illius meminissent.* Praevonit ob-jectionem quae contra opponi poterat: nempe illos fuisse alienigenas, qui patriam reliquissent. Excipit apostolus, quum se peregrinos vocabant, de Mesopotannia non cogitasse: quia si cius tacti fuissent desiderio, integrum illis erat eo reverti. Atqui sponte ab ea exsulant, imo eam abnegant, quasi nihil ad se pertineat. Aliam igitur patriam designant, quae sit extra mundum.

16. *Quare non crubescit.* Respicit ad illam sententiam: Ego sum Deus Abrahae, Deus Isaac, et Deus Jacob. Rarus hic honor, quum Dominus se hominum nominibus insignit, et haec veluti nota discerni vult ab idolis. Hanc quoque praerogativam apostolus fide niti docet: quia quum sancti Patres ad coelestem patriam adspiraverint, Deus vicissim suorum civium ordine illos censcat. Sed hinc colligendum est, nobis inter filios Dei locum non fore, nisi mundo renuntiemus: nec fore nobis in coelo haereditatem, nisi peregrinemur in terra. Caeterum apostolus ex verbis illis, Ego sum Deus Abrahae, Isaac et Jacob, iure colligit ipsos eosc coeli haeredes: quoniam qui sic loquitur, non Deus est mortuorum, sed vivorum.

17. *Fide Abraham obtulit Isaac, quum tentatus esset: ac unigenitum obtulit, quum promissiones accepisset:* 18. *ad quem dictum erat, In Isaac vocabitur tibi semen:* 19. *quum reputasset Deum etiam ex mortuis posse suscitare.* Unde eum quoque in similitudine recuperavit. 20. *Fide Isaac de futuris benedixit Jacob et Esau.* 21. *Fide Jacob moriens singulos filios Ioseph benedixit, et adoravit ad summitatem virgae eius.* 22. *Fide Ioseph moriens de exitu filiorum Israel meminit, et de ossibus suis mandavit.*

17. *Fide Abraham.* Prosequitur quod de Abraham restabat. Refert enim filii immolationem. Est autem hoc tam singulare virtutis exemplum, ut vix aliud simile reperire liceat. Ideo amplificandi causa addit, Quum tentatus esset. Iam multis quidem experimentis ostenderat Abraham qualis esset. Hanc tamen probationem, sicut reliquis omnibus longe excellit, ita apostolus prae omnibus vult aestimari. Perinde ergo hoc valet ac si dixisset: Summa Abrahae virtus fuit filii immolatio, quia tunc maxime Deus probasse eum dicitur. Atqui hoc opus ex fide manavit. Ergo nihil habuit Abraham fide praestantius, quae tam praeclarum fructum edidit. Verbum temptationis nihil quam probationem significat. Quod Iacobus (1, 13) negat nos a Deo tentari, alium sensum habet: nempe quod nos ad malum non sollicitet. Hoc enim vere fieri testatur

ab uniuscuiusque concupiscentia: neque tamen interea negat quin experimentum capiat Deus nostrae integritatis et obedientiae. Quamquam non ita nos explorat Deus, quasi alias ignoret quid in eorde nostro lateat. Nulla inquam probatione indiget Deus, ut nos cognoscere incipiatur: sed quum in lucem nos producit ut operibus palam testemur quod anto absconditum erat, dicitur nos experiri aut probare: deinde quod re ipsa palam fit, Deo innotescere dicitur. Haec enim satis familiaris est ac frequens scripturae loquutio, ut quod in homines competit, Deus in se transferat. Immolatio Isaac ab animi affectu censemur: quia per Abram non stetit quominus quod sibi mandatum erat, perageret. Haec voluntas obsequendi perinde valet ac si immolasset filium.

Ac unigenitum obtulit. Hie circumstantiis notare voluit quanta fuerit et quam acris probatio Abrahæ. Quamquam aliae etiam ex Mosis historia petendae sunt, quae eodem pertinent. Iubetur Abraham accipere filium suum, unigenitum suum et sibi dilectum Isaac, ducere in locum qui postea monstrandus erat, ibique manu propria eum mactare. Blandas illas appellations data opera congerit Deus, ut intimum sancti viri cor perfodiat totidem vulneribus. Deinde quo magis eum excruciet, iubet eum conficere iter tridui. Quam acre illi tormentum fuisse putamus, quod filium semper habet in conspectu, quem iam cruentæ neci destinavit? Quum ad locum ventum est, noyo adhuc vulnere pectus eius Isaac transfigit, dum interrogat ubinam sit hostia. Quaelibet mors filii nimium acerba fuisse: mors sanguinaria maiorem habuisset luctum: quod autem sua eum manu iubetur mactare, id vero atrocius est, quam ut paterno animo sit tolerabile. Millies examinari potuit, nisi fides cor eius extra mundum sustulisset. Ergo non abs re commemorat apostolus tunc fuisse tentatum. Quaeritur tamen cur Isaac unigenitus vocetur, quum ante eum genitus esset Ismael, qui adhuc superstes erat. Respondeo, quum Dei oraculo abdicatus esset ex familia, quasi instar mortui fuisse habitum: ut saltem inter filios Abrahæ locum non teneret.

Quum promissiones accepisset. Quaecunque hactenus retulimus, utcunque animum Abrabæ penitus vulneraverint, praे hac tamen tentatione quasi leves punctuationes fuerant, quod acceptis promissionibus iubetur filium suum Isaac interficere. Omnes enim promissiones in hac fundatae erant: In Isaac vocabitur tibi semen: quoniam hac sublata, nulla spes benedictionis aut gratiae reliqua fiebat. Hic nihil terrenum veniebat in quaestionem: sed aeterna Abrahæ salus, imo totius mundi. Quantis angustiis districtum fuisse putamus sanctum hominem, quum illi in mentem veniret, in filii persona spem aeternæ vitae extingui? et tamen fide supra has

cogitationes emergit, ut quod iussus est exsequatur. Si haoc admirabilis fuit virtus, per tot ac tam ardua obstacula eluctari: merito summam laudem habet fides, quae sola fecit ut invictus Abram perstaret. Sed hic exoritur non parva difficultas: quomodo laudetur Abrahæ fides, dum a promissione discedit. Nam sicuti ex fide obedientia, ita ex promissione fides nascitur. Ubi ergo promissionem destituitur Abraham, concidat eius fides necesse est. Porro mors Isaac, ut iam dictum est, omnium promissionum quidam veluti interitus fuit: neque enim quasi unus aliquis ex vulgo hominum considerandus est Isaac, sed qui inclusum in se Christum habet. Hanc quaestionem, quae difficilis alioqui ad solvendum esset, expedit apostolus, quum mox subiicit, Abraham tribuisse hoc honoris Deo, quod filium posset ex mortuis excitare. Ergo datam sibi promissionem non abiicit: sed vim eius ac veritatem extra filii vitam extendit, quia Dei potentiam tam angustis finibus non limitat, ut mortuo Isaac vel alligata sit vel extincta. Hoc modo promissionem retinuit, quia Dei potentiam non affixit vitae Isaac: sed persuasum habuit, in eius mortui einerbis non minus quam in vivo et spirante fore efficacem.

19. *Unde eum quoque.* Ac si diceret: Neque haec spes frustrata est Abramum, quia haec quaedam resurrectionis fuit species, quod subito liberatus fuit ex media morte. Nomen parabolæ quod hic ponitur, varie exponunt interpretes. Ego simpliciter accipio pro similitudinis nota. Tametsi enim vere non resurrexit Isaac, quodammodo tamen videtur resurrexisse quum repente ac mirabiliter, inexpectata Dei gratia, eripitur. Neque tamen displicet quod alii in ariete, qui subrogatus est in locum Isaac, carnem nostram designari putant, quae morti subiicitur. Fateor etiam verum esse quod alii tradunt, in hac immolatione pictam fuisse Christi imaginem. Sed nunc quid senserit apostolus, non quid vere dici possit, disputo. Hic autem, meo iudicio, genuinus est sensus: quod Abraham non aliter filium suum recepit, quam si illi ex morte restitutus esset in novam vitam.

10. *Fide Isaac.* Hoc etiam fidei opus fuit, de futuris benedicere, quia ubi res non exstat, sed nudum verbum apparet, necesse est solam fidem regnare. Sed primo loco notandum est quid valeat benedictio de qua loquitur: nam saepe generaliter benedicere pro bene precari accipitur. Sed longe alia ratio fuit benedictionis Isaac: erat enim quasi missio in possessionem eius terrae quam Deus illi et posteris promiserat. Atqui in ea nihil habet prorsus nisi ius sepulcri. Ridicula ergo videntur magnificiae illae voces, Serviant tibi populi, et tribus te adorent (Gen. 27, 29). Qualem enim dominium tradere potuit, qui ipse vix liber erat? Videmus itaque hanc benedictionem fide niti, quia nihil praeter

Dei verbum habet Isaac quod ia filios suos conferrat. Dubitari tamen potest an illa fuerit in benedictione Esan fides, quum reprobis esset atque a Deo abdicatus. Solutio facilis est, quia in co maxime enituit fides, quum gemellos ex se genitos discripsit: et ita quidem ut minori tribuerit priorem locum. Nam Dei oraculum sequutus, primogenito ordinarium ius naturae ademit. Ille autem pendet totius gentis conditio, quod electus a Deo fuit Iacob, atque ea electio patris benedictione sancta fuit.

21. *Fide Iacob.* Quaecunq; memoratu digna acciderunt in populo, apostoli consilium est fidei adscribere. Quia tamen omnia recensere nimis longum fuisse, pauca ex multis eligit: qualo hoc est. Nam tribus Ephraim ita reliquas superavit, ut quodammodo laterent sub eius umbra. Saepe enim decem tribus comprehendit scriptura sub hoc nomine. Atqui Ephraim ex duobus filiis Ioseph minor natu fuit. Quo tempore ipsum et fratrem Iacob benedicebat, ambo erant pueri. Quid in minore cernebat Iacob cur primogenito cum praeferret? Quintotiam id dum facit, oculos habet senio obtusos et hebetes: nec fortuito dextram manum imponit capiti Ephraim: brachia enim decussatim componit, ut dextram manum in sinistram transferat. Praeterea duas illi portiones assignat, ac si iam eius terrae esset dominus unde eum fames abegerat. Nihil hic rationi consentaneum, nisi fides dominetur. Ergo si quid esse volunt Iudei, non alibi quam in fide glorientur.

Adoravit ad summitem. Hic unus est ex iis locis unde conjecturam facere licet, puncta olim apud Hebraeos non fuisse in usu: quia non ita hallucinari poterant graeci interpres, ut virgam pro lecto redderent, si eadem tunc fuisse quae hodie scribendi ratio. Non dubium est quin Moses de lectuli capite loquatur, quum dicit **לְאַשְׁתָּמֵן**. Graeci autem, quasi scriptum esset, *Matthaei*, transtulerunt caput virgae. Quod vulgo receptum erat apostolus non dubitat suo instituto accommodare. Iudeis quidem scribebat, sed qui in varias regiones dispersi patriam linguam graeca mutaverant. Scimus autem apostolos hac in parte non adeo fuisse scrupulosos, quin se rudibus attemperarent, quibus adhuc lacte erat opus. Et in ea ro nihil est periculi, modo semper revocentur lectores ad sinceram nativamque scripturae lectionem. Cae terum in re ipsa parum est discriminis: quia quod adoravit Iacob, id fuit gratiarum actionis symbolum: quare fide adductus est ut se filio submitteret.

22. *Fide Ioseph.* Hoc ultimum est quod ex patriarcharum gestis Moses, ut certe dignum est, narrat. Nam quod illa opulentia, delitiae, honores, promissionis oblivionem sancto viro non inducunt, neque eum in Aegypto remorantur: id vero non

parvao fidei argumentum est. Unde enim tanta animi magnitudo, ut quidquid in mundo est sub lime, despiciat, quidquid pretiosum ost, ducat pro nihilo, nisi quod in coelum concescenderat? Quod ossa sua iubet exportari, in eo sui rationem non habet, quasi sepulcrum ei dulcissimum futurum esset vel melius in terra Chanaan quam in Aegypto: sed tantum voluit gentis suae desiderium acuere, ut vehementius ad redemtionem adspirarent. Voluit et fidem confirmare, ut certo sperarent se tandem liberatum iri.

23. *Fide Moses, quum natus esset, occultatus fuit tres menses a parentibus suis, quia videbant elegantem puellum, et non timuerunt edictum regis.*

24. *Fide Moses iam grandis renuit vocari filius filiae Pharaonis.* 25. *Potius eligens malis affie cum populo Dei, quam temporales habere peccati delitias:* 26. *maiores existimans divitias probrum Christi quam Aegypti thesauros.* Intuebatur enim in remuneracionem. 27. *Fide reliquit Aegyptum, nee timuit furorem regis: quasi enim invisibilem vidisset, obduruerat.*

23. *Fide Moses.* Fuerunt etiam alii, et quidem profani homines, qui non Dei timore, sed tantum sobolis propagandae studio liberos suos non absque periculo servarunt. Sed apostolus alia ratione impulsos fuisse docet parentes Mosis ut eum servarent: nempe, quia Deus promiserat, quum servitute oppressi essent, vindicem aliquando se fore: hac fiducia freti infantem saluti suae praetulerunt. Sed videtur hoc fidei naturae contrarium, quod dicit eos formae elegantia adductos. Scimus enim reprehensum fuisse Isai, quum filios suos offerret Samuela, prout quisque forma excellebat. Et certe Deus nos in externis larvis non detinet. Respondeo, non illectos fuisse pulchritudine parentes Mosis, ut misericordia tangerentur ad eum servandum, qualiter vulgo solent affici homines: sed aliquam veluti notam futurae excellentiae fuisse insculptam in puer, quae rarum nescio quid de eo promitteret. Non ergo dubium est quin adspectu ipso in spem propinquae liberationis excitati fuerint, eo quod puerum magnis robus gerendis confiderent destinatum esse. Porro hoc multum ponderis apud Iudeos habere debuit, quum audirent Mosen redemtionis suae ministrum mirabiliter ex morte fuisse erectum fidei beneficio. Notandum tamen est, fidem, quae hic laudatur, valde fuisse imbecillam. Nam quum posthabito mortis suae metu Mosen deberent educare, eum exponunt. Patet igitur illorum fidem brevi non tantum vacillasse, sed fuisse collapsam: saltem partes suas deserunt, ubi infantem proiiciunt ad ripam fluminis. Sed eo magis nos animari convenit, dum audimus fidem, licet infirmam, Deo

tamen sic probari, ut vitam Mosis impetraret, ex qua pendebat ecclesiae liberatio.

24. *Mosis iam grandis.* Memorabile prao alis apud Iudeos esse debuit Mosis exemplum, per cuius manum fuerant ex servitute manuissi, foedus Dei cum illis renovatum, status ecclesiae publicata lege constitutus. Quod si fides in Mose praecipue est consideranda: nimis absurdum erit si inde ipsos alio abdueat. Unde sequitur, male in lege proficere omnes qui ab ipsa non diriguntur ad fidem. Nunc videndum est quibus in rebus Mosis fidem praedicet. Hanc ordine primam virtutem ponit, quod iam grandis natu adoptionem filiae Pharaonis contempsit. Aetatis meminit, quia si puer hoc fecisset, levitati aut ignorantiae posset imputari: quandoquidem enim in pueris nondum viget consilium aut ratio, temere se quovis proiiciunt: adolescentes etiam saepe huc vel illuc rapit inconsideratus fervor. Ergo ut sciamus, nihil nisi consulto factum fuisse, et quod longo iam tempore meditatus erat: refert apostolus tunc fuisse grandem natu: quod etiam ex historia liquet. Porro adoptionem sprevisse dicitur, quia quum inviseret fratres suos, quum sublevare ipsos studeret, quum vindicaret eorum iniurias, huc spectabant omnia ut rediret potius ad genus eum, quam in aula regis maneret. Ergo perinde id valuit, ac si ultro se abdicasset. Id fidei adscribit apostolus: quia multo satius erat in Aegypto manere, nisi genus Abrahae benedictum esse persuasus esset: cuius benedictionis sola testis erat Dei promissio. Nam oculis nihil tale cernebat. Hinc apparet fide esse intuitum quod longe a conspectu remotum erat.

26. *Maiores existimans divitias, probrum Christi.* Sedulo notanda est haec loquutio, qua docemur, instar letalis veneni fugiendum esse quidquid obtineri nequit quin Dei offensa redimatur. Delitias enim peccati vocat illecebras mundi omnes, quae nos a Deo eiusque vocatione abducunt. Nam commoda vitae terrenae quibus pura conscientia et Dei permisso frui licet, ea hoc numero non censentur. Quare semper meminerimus discernere quid nobis Deus permittat. Sunt autem quaedam per se licita, quorum usum nobis prohibent vel temporis vel loci vel aliarum rerum circumstantiae. Quare in omnibus praesentis vitae commodis semper id spectandum, ut nobis ad sequendum Deum adminicula sint, non impedimenta. Et temporales quidem delitias peccati vocat, quae cito evanescunt simul cum vita. His opponit probrum Christi, quod libenter in se suscipere debent pii omnes. Nam quos elegit Deus, eos etiam praeordinavit ut fiant imagini filii sui conformes: non quod ad eundem omnes modum probris aut alio crucis genere exerceat, sed quod omnes ita comparatos esse decet ut crucis societatem cum Christo subire non recusent.

Reputet igitur quisque apud se quatenus ad hanc communicationem vocetur, ut obstacula homnia abrumpat. Nec praeter eundum est quod Christi probris annumerat quascunque ignorantias fideles ab initio mundi pertulerunt. Nam sicuti membra fuerunt eiusdem corporis, ita nihil habebant a nobis separatum. Sunt quidem omnes aerumnæ, sicut praemia peccati, ita etiam maledictionis fructus, quae primo homini fuit imposita: sed quascunque iniurias Christi nomine sustinemus ab impiis, eas ipse suas dicit. Unde gloriatur Paulus se supplere quod passionibus Christi deest. Id si rite expenderemus, non tam molestum nobis esset atque acerbum, pro Christo pati. Melius etiam hoc membro declarat quid significet per probrum Christi, ubi dicit: malis affiei cum Dei populo. Non poterat aliter Mosos se unum esse ex Dei populo profiteri, nisi gentis suae miseriis adiungeret se comitem. Ergo ubi hic finis est ne discedamus a corpore ecclesiae: quidquid patimur, sciamus capitum nomine esse consecratum. Ita exadverso thosauros Aegypti vocat, quos aliter possidere nemo potest quia ecclesiae renuntiet.

Intuebatur enim in remunerationem. Probat, illam animi magnitudinem fuisse fidei affectum, ex descriptione quam posuit: quia Moses oculos in Dei promissionem defixos habebat. Neque enim sibi melius fore sperasset cum populo israelitico quam apud Aegyptios, nisi sola promissione confisus. Porro si quis inde inferat, fidem non in solam Dei misericordiam recumbere, quia praemii respectum habeat: respondeo, non hic disputari de iustitia aut salutis causa: sed apostolum generaliter complecti quidquid fidei convenit. Ergo fides, quatenus quaerenda est iustitia coram Deo, non remunerationem, sed gratuitam Dei bonitatem, non opera nostra, sed Christum solum intuetur. Sed fides extra iustificationis causam, quia generaliter se extendit ad quodvis Dei verbum, remunerationis quae promittitur respectum habet. Fide inquam amplectimur quidquid Deus promittit: atqui operibus promittit remunerationem: ergo hanc apprehendit fides. Sed hoc totum in causa gratuitae iustificationis locum nullum habet: quia nulla operum remuneratio sperari potest, nisi gratuita iustitiae imputatio praecedat.

27. *Fide reliquit Aegyptum.* Tam de priore exitu hoc posset exponi quam de secundo, quum scilicet secum populum eduxit. Tunc enim proprie reliquit Aegyptum, quum ex domo Pharaonis aufugit. Huc accedit quod ante celebrationem paschatis hic egressus recensetur ab apostolo. Videtur ergo de Mosis fuga loqui. Nec obstat quod addit, non timuisse furorem regis: quum Moses ipse narret terrore se fuisse compulsum. Nam si initium spectamus, non timuit quum se populi vin-

dieem profiteretur. Omnibus tamen expensis, ad secundum exitum referre malo. Tunc enim intrepido regis ferociam despexit, tanta spiritus Dei virtute armatus, ut furiosam illam bestiam ultro subinde lassceret. Haec certo mira fuit vis fidei, quod imbellem multitudinem secum trahens ac multis impedimentis onustam, iter sibi per innumeratas difficultates, Dei manu patefactum iri speravit. Videbat potentissimum regem impotenter furere: sciebatque fineum nou facturum donec extrema quaeque tentasset. Verum quia autorem suae profectionis Denim esse novit eventum illi commendat, nec dubitat quiu omnes Aegyptiorum impetus in tempore cohibiturns sit.

Quasi enim invisibilem. Imo Deum viderat in medio rubi ardantis: quare improprie hoc videtur dici, et parum apte ad causam praesentem. Fateor sane, visione illa confirmatum prius fuisse Mosen, quam praeclarum illud liberandi populi facinus aggrederetur. Sed nego tam fuisse Dei conspectum, qui eum exueret sensu carnis, et extra mundi pericula educeret. Signum duntaxat quoddam praesentiae suae tunc illi Deus ostendit: sed multum absuit quin Deum qualis est, videret. Apostolus autem intelligit non secus obdurnisse Mosen, quam si in coelum raptus Deum solum haberet ante oculos, negotium vero cum hominibus non haberet, non subiiceretur buius vitae periculis, nullum cum Pharaone haberet certamen. Atqui certum est, eum tot difficultatibus fuisse obrutum, ut posset animo interdum concipere Deum procul abesse: aut certe superiore tandem fore regis contumaciam, tot praesidiis instructam ad resistendum. Denique ita se Deus Mosi videndum praebuerat, ut fidei tamen locum reliquerat: at Moses quum undique multi terrores instantent, omnes in Deum sensus suos convertit. Adiutus quidem fuit ad eam rem visione illa quam diximus: sed tamen plus in Deo vidit, quam ferebat signum illud visible. Potentiam enim eius apprehendit, quae metus omnes omnianque discrimina absorberet. Promissione fretus certo statuit populum, tametsi Aegyptiorum tyrannde premebatur, iam terrae promissae esse dominum. Hinc colligimus, veram fidei naturam esse, Deum semper habere pree oculis. Secundo, fidem altiora et magis recondita in Deo intueri, quam quae sub sensus nostros cadant. Tertio, solum Dei conspectum sufficere ad mollitiem nostram corrugandam: ut simus contra omnes Satanae insultus plusquam saxe. Unde sequitur, quo quisque mollior est ac minus virili animo, eo minus habere fidei.

28. *Fide fecit pascha et adspersionem sanguinis, ut qui perdebat primogenita, non tangeret eos.* 29. *Fide transierunt mare rubrum quasi per terram siecam: quod quum tentassent Aegyptii, absorpti sunt.* 30. *Fide*

concoiderunt moenia Iericho, circumdata per septem dies. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, quum exceperisset exploratores cum pacce.*

28. *Fide pascha.* Hoc ad fidei commendationem multum valere debuit apud Iudeos, quibus praecepum et maximae venerationis sacrificium pascha erat. Porro fide celebratum fuisse dicit, non quia agnus ille figura fuit Christi: sed quia quum postes ad-pergeret sanguine, nondum oxstabat profectus. Quare ubi veritas ipsa adhuc latebat, fide exspectari necesse fuit. Imo ridiculum videri poterat, quod Moses pancas sanguinis guttulas Dei vindictae in remedium opponeret: sed solo tamen Dei verbo contentus immunem fore populum a plaga, quae Aegyptiis instabat, non dubitavit. Unde non immrito fidem eius apostolus hac in parte laudat. Qui fide celebratum fuisse pascha interpretantur, quia Moses in Christum respexerit, utrumquidem dicunt: sed apostolus simpliciter hic fidei meminit, quatenus in solo Dei verbo acquiescit, ubi res ipsa non apparet. Ideo intempestivum est subtilius hoc loco philosophari. Quod autem Mosen solum fecisse pascha commemorat, haec causa est, quod per eius manum Deus pascha instituit.

29. *Fide transierunt.* Certum est, complures in illa multitudine fuisse incredulos: at Dominus paucorum hoc fidei concessit, ut sicco pede per mare transiret tota multitudo. Nam in eadem re magnum inter Israelitas et Aegyptios discrimen fuit, quod quum alii incolumes transiissent, alii paulo post demersi sunt. Unde hoc discrimen? nisi quia verbum Dei priores amplexi sunt, quo destituebantur Aegyptii. Argumentum igitur est a contrariis, quum dicit Aegyptios fuisse submersos. Nam infelix ille eventus poena fuit temeritatis: quemadmodum ex adverso salutem consequuti sunt Israelitae, quod verbo Dei freti inter medias aquarum moles iter facere non recusarunt.

30. *Fide conciderunt moenia Iericho.* Sicuti prius fide abrumptum fuisse servitutis iugum docuit, ita nunc eadem fide commemorat populum haereditatis sibi promissae possessionem fuisse adeptum. Nam primo terrae ingressu obiecta erat urbs Iericho, munita et fere inexpugnabilis, quae progredi ultra vetaret, quum nulla esset illius expugnandae ratio. Praecipit Dominus ut semel quotidie omnes viri bellicosi muros circumeant: septimo autem die septies. Puerilis erat circuitus ille plenusque ludibrio. Parent nihilominus mandato Dei, neque ludunt operam: feliciter enim succedit ut promissum illis fuerat. Certum est non hominum clamore, vel strepitu, nec clangore tubarum moenia corruisse: sed quia speravit populus quod se facturum Dominus promiserat. Haec quoque in usum nostrum accommodare licet: quia neque aliter quam

fide ex diaboli tyrannide asserimur in libertatem: et eadem fide hostes nostros profligamus, omnesque inferorum munitiones concidunt.

31. *Fide Rahab.* Tametsi primo adspectu videatur hoc exemplum ob personae ignobilitatem minus illustre, ac prope indignum esse quod in hoc ordine recenseatur: congruenter tamen neque abs re citatur ab apostolo. Haec tenus ostendit, patriarchas, quibus Iudaei plurimum honoris ac reverentiae deferebant, nihil gessisse laude dignum nisi per fidem: quaecunque Dei beneficia erga eos memoratu digna extiterunt, fuisse eiusdem fidei effectus. Nunc vero docet, mulierem alienigenam, et apud suos non infimae tantum conditionis, sed quae meretrix fuerat, in ecclesiae corpus per fidem fuisse insitam. Unde sequitur, eos qui maxime excellunt, nullius eorum Deo pretii esse, nisi ex fide aestimentur: contra vero in societatem angelorum adoptari qui inter profanos et reprobos vix prius locum habebant. Porro fidei Rahab Iacobus quoque testimonium reddit (2, 25): et facile est ex sacra historia colligere, mulierem hanc vera fide fuisse praeditam. Sibi enim certo persuasum esse profitetur quod Deus Israelitis promiserat: et quasi victores iam essent quos metus ab accessu terrae prohibebat, veniam sibi ac suis dari petit: neque ea in re homines considerat, sed Deum ipsum. Huius fidei testimonium est, quod non sine vitae periculo exploratores hospitatio recipit. Ergo fidei beneficio, a communis urbis suae interitu salva evadit. Nomen meretricis ad amplificandam Dei gratiam positum est. Sunt qui ἡγεμόνη vertunt hospitam, quasi quaestum ex caupona fecerit: sed quum hoc nomen ubique scriptura pro meretricie usurpet, nulla est ratio cur aliter hoc loco interpretetur. Rabini, quia hoc absurdum turpeque suae genti esse putabant, si dicerentur exploratores meretricis hospitio usi esse: coactam etymologiam excogitarunt. Sed inanis fuit ille timor: ideo enim in historia Iosuac nominatum epithetum hoc ἡγεμόνη additur, ut sciamus exploratores clanculum venisse in urbem Iericho, et ibi in domo meretricia latuisse. Quamquam hoc ad anteactam vitam referri certum est: resipiscentiae enim testis est fides.

32. *Et quid amplius dico?* deficit enim me tempus narrantem de Gedeon, Barac, et Samson, et Iephite, et David, et Samuel, et prophetis: 33. qui per fidem expugnaverunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt promissiones, obturarunt ora leonum, 34. extinxerunt vim ignis, effugerunt aciem gladii, robusti facti sunt ex infirmitate, fortes redditi sunt in proelio, profligarunt exercitus alienorum.

32. *Et quid amplius dico?* Quia timendum erat ne singula exempla referendo fidei laudes ad paucos homines restringoret, praeoccupat, ac dicit,

nullum fore finem si singulis insistat: quum id ipsum, quod de paucis narravit, ad totam Dei ecclesiam pertineat. Ac primum quidem medium illud tempus inter Iosno et Davidem designat, quo Dominus iudices excitavit ad gubernandum populum: quales fuerunt quatuor isti de quibus meminit, Gedeon, Barac, Samson et Ioph te. Ridiculum sane erat, Gedeonem cum trecentis hominibus ingentem hostium exercitum aggredi: lagenas manibus concutere, plus quam inane erat terriculamentum. Barac longe impar erat hostibus, et tantum mulieris unius consilio regebatur. Samson homo rusticanus, et qui non aliis quam agriculturae armis se exercuerat, quid poterat contra tam superbos victorios, quorum potentia subactus fuerat totus populus? Quis Iephite facinus initio temeritatis non damnasset, qui vindicem populi iam deplorati se profitetur? Sed quoniam Deum omnes sequuntur ducem, et eius promissione animati iniunctum sibi munus suscipiunt, spiritus sancti testimonio ornantur. Ergo quidquid laudabile gesserunt, fidei apostolus tribuit, quamquam nullus est eorum cuius fides non claudicaverit. Gedeon ad arma sumenda tardior est quam par sit, nec se Deo committere, nisi difficerter, audet. Barac initio trepidat, ut fere convictis Delborae sit cogendus. Samson concubinae blanditiis victus suam et totius populi salutem inconsiderate prodit. Iephite in concepido stulto voto praeceps, in solvendo nimis pertinax, pulcherriam victoriam crudeli filiae suae morte deformat. Ita in omnibus sanctis semper invenietur aliquid reprehensibile. Fides tamen etiamsi mutila sit ac imperfecta, Deo probari non desinit. Quare non est quod nos frangant vel exanimant vita quibus laboramus, modo fide pergamus in vocationis nostrae stadio.

De David. Sub nomine Davidis complectitur omnes pios reges, quibus Samuelem et prophetas adiungit. Proinde in summa docere vult, regnum Iuda in fide fuisse fundatum, et fide ad extremum stetisse. Vulgo notae erant plurimae Davidis victoriae, quas de hostibus reportaverat. Nota erat Samuellis integritas, et summa virtus in gubernando populo. Nota erant Dei beneficia quibus sanctos prophetas ac reges prosequutus fuerat. Apostolus affirmat nihil horum esse, quod non fidei acceptum referri debeat. Porro ex innumeris Dei beneficiis quaedam duntaxat attingit, ut inde generaliter colligant Iudei, quemadmodum semper Dei manus conservata fuit ecclesia per fidem, sic neque hodie aliam rationem esse qua illa erga nos beneficium sentiamus. David toties victor rediit domum, Ezechias ab infirmitate convaluit, Daniel ex fovea leonum salvus et intactus emersit, socii eius in camino ardent, non secus ac in rosido prato, laeti ambularunt. Horum omnium si causa fuit fides,

statuendum est non aliter quam fide locum Dei bonitati dari, ut se erga nos exserat. Praecipue notandum est membrum illud, ubi dicitur fido adeptos esse promissiones. Tametsi enim verax manet Deus, etiam si omnes simus increduli: infidelitas tamen nostra facit ut promissiones nobis sint irritae, hoc est, effectu careant.

34. *Robusti facti sunt ex infirmitate.* Chrysostomus alio retinet: nempe quod reducti sunt Iudei ab exsilio, in quo erant quasi desperati. Mibi de Ezechia hoc accipi non displicet. Quamquam possemus latius extendere: quod Dominus in ultimam manu sua extulerit sanctos, quoties prostrati erant, openque tulerit eorum infirmitati, ut pleno roboro vigerent.

35. *Recepérunt mulieres resurrectione mortuos suos: alii vero distenti fuerunt, non amplexi redemptionsm, ut meliorem resurrectionem obtinerent.* 36. *Alii autem ludibria et flagella experti sunt: praeterea vincula et careeres.* 37. *Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occasione gladii mortui sunt, oberrarunt in pellibus ovillis, in tergoribus caprinis, destituti, afflitti, malis affecti:* 38. *quibus mundus non erat dignus: in desertis errantes, in montibus, et speluncis, et cavernis terrae:* 39. *Et hi omnes testimonium consequunt per fidem, non consequunti sunt promissionem:* 40. *Leo quiddam pro nobis providente, ne sine nobis perficerentur.*

35. *Recepérunt, etc.* Nuper prosperos successus recensuit quibus muneratus est Deus suorum fidem: nunc diversum argumentum tractat: nempe, sanctos, quum ad extremas quasque miseras redacti essent, fide tamen eluctatos esse, ut etiam ad mortem usque invicti persistenterint. Haec quidem primo aspectu multum inter se differunt: quod alii de victis hostibus magnifice triumphant, variis miraculis conservantur a Domino, eruuntur novis et insolitis modis ex media morte: alii autem probrose tractantur, et prope conspuuntur a toto mundo, conficiuntur inopia, exosi sunt omnibus, ut cogantur in latebras ferarum se abdere, trahuntur denique ad saeva et truculenta supplicia. Nam hi posteriores destituti prorsus videntur Dei auxilio, quum ita eos exponit superbiae et crudelitati impiorum. Multum ergo videntur a prioribus distare. Fides tamen in utrisque regnat, et in utrisque perinde est efficax: imo in secundis melius vis eius reluet. Nam in mortis contemptu splendidior est fidei Victoria, quam si vita in quintum saeculum propagetur. Hic praestantior est fidei effectus, dignusque maiori laude, probra, inopiam, et extremas aerumnas perferre aequo et constanti animo, quam miraculo recuperare sanitatem, vel aliquod simile Dei beneficium consequi. Summa est, fortitudinem sanctorum,

quao saeculis omnibus enituit, fidei esse opus: quod maior sit nostra imbecillitas quam ut malis superandis simus idonei, nisi nos fides sustineat. Atque hinc colligimus, quicunque vere Deo fidunt, virtute, qua oportet, instructos esso ad resistendum, quibus cunque ipsos modis impetatis Satan: ac praesertim ferendis malis nunquam nobis patientiam defore, si adsit fides. Proinde infidelitatis nos convinci ubi in persequitionibus et cruce deficiimus. Eadem enim hodie est fidei natura quae olim apparuit in sanctis patribus, quos hic apostolus commemorat. Quaro si corum iunitaremur fidem, nunquam ita turpiter ob ignorantiam concideremus. In verbo ἐπιπάντοθησαν sequuntus sum Erasmus: tametsi alii interpretantur careeratos fuisse. Sed hoc (meo iudicio) simplicius, quod distracti fuerint, quemadmodum corium in tympano distenditur. Quod dicit fuisse tentatos, videtur esse superfluum: nec dubito quin similitudo duarum vocum ἐπιπάντοθησαν et ἐπειπάντοθησαν, in causa fuerit ut secunda male ab imperito quopiam lectore addita, paulatim obrepserit in textum: sicut etiam Erasmus divinat. Per ovillas et caprinas pelles, non tam puto designari tentoria quae ex pellibus conficiebantur, quam viles et asperos piorum amictus, quibus induebantur quum in deserta fugerent. Tametsi autem lapidatum fuisse Ieremiam tradunt, Esaiam vero dissecutum, et sacra historia narrat, Eliam, Elisaeum atque alios prophetas in montibus et speluncis oberrassem: non tamen dubito quin saevas illas persequitiones designet, quibus grassatus est Antiochus in populum Dei, et quae postea sequutae sunt.

Non amplexi redemptionsm. Aptissime loquitur: brevem enim huius vitae usuram eos redimere oportuisset, Deum abnegando. Fuisse autem hoc nimis indignum pretium. Ergo ut perpetuo in coelis viverent, vitam in terra repudiarunt quae tanti illis constitisset: nemo abnegatione Dei, ut diximus, suaevae vocationis desertione. Audimus autem quid Christus dicat: si animas nostras servare cupimus in hoc mundo, nos in perpetuum eas perdere. Proinde si verus futurae resurrectionis amor sedem in cordibus nostris occupat: facile nos ad mortis contemptum adducet. Et sane non aliter vivendum est quam ut Deo vivamus: simul atque Deo vivere non licet, libenter aut non aegre mors nobis oppetenda est. Porro hac sententia confirmat apostolus quod dixit, sanctos fide superasse omnia tormenta: nisi enim spe beatae resurrectionis revertenti fuissent eorum animi, statim collapsi fuissent. Hinc praeterea colligenda est utilis exhortatio, quae nos in rebus adversis muniamus. Neque enim recusandum est ut Dominus tot sanctis hominibus nos aggreget, quos scimus tot miseriis fuisse exercitatos et vexatos. Neque vero hic nobis paucorum hominum miseriae narrantur, sed communes ec-

clesiac persecutio[n]es: et hae quidem non unius aut alterius anni, sed quae ab avis usque ad nepotes interdum grassatae sunt. Quare nihil mirum si iisdem hodie experimentis fidem nostram probare Deo placeat: nec cogitandum est nos ab eo deseriri, cui scimus fuisse curae sanctos patres qui eadem ante nos passi sunt.

38. *Quibus mundus non erat dignus.* Quum ita profugi inter feras vagabantur sancti prophetae, videri poterant indigni quos terra sustineret. Qui fit enim ut inter homines locum non inveniant? Sed apostolus in contrariam partem hoc retorquet: nempe quod mundus illis non esset dignus. Nam quocunque veniant servi Dei, eius benedictionem, quasi fragrantiam boni odoris, secum aferunt. Sic domus Putiphar benedicta fuit in gratiam Ioseph: et Sodoma salva futura erat, si in ea inventi fuisserent decem iusti homines. Utetunc ergo mundus servos Dei quasi exereminta a se prolixiat: hoc tamen inter eius poenas deputandum est, quod illos ferre non potest: quia simul cum illis resideret aliqua Dei benedictio. Proinde quicquies e medio tolluntur iusti, sciamue totidem adversa nobis esse praesagia: quoniam indigni simus eorum contubernio, ne simul nobiscum pereant. Interea habent pii amplam consolationis materiam, si eos mundus quasi catharmata eiiciat, quando vident idem accidisse prophetis, qui in feris animalibus plus experti sunt clementiae quam in hominibus ipsis. Hac se cogitatione erexit Hilarius, quem videret a sanguinariis tyrannis occupari ecclesiam, qui tunc imperatorem romanum, velut carnificem, in manu habebant. Tunc inquam sanctus vir memoria repetebat quae hic de prophetis recitat apostolus. Mortes et sylvae, dicebat, et lacus et carceres mihi tutiores sunt quam magnus templorum splendor: nam in illis prophetae aut manentes, aut demersi, Dei spiritu prophetabant. Sic etiam nos animatos esse convenit, ut mundum intrepide spernamus, et si nos evomatis, sciamus nos ab exitiali gurgite exire, Deumque ita prospicere nostrarae saluti, ne eodem mergamur exitio.

39. *Et hi omnes.* Argumentum est a minori ad maius. Nam si illi quibus nondum tanta lux gratiae affulserat, tanta constantia in malis tolerandis excelluerunt: quid efficere in nobis debet plenus evangelii fulgor? Illos exigua lucis scintilla in coelum duxit: quum sol iustitiae nobis luceat, quo nos praetextu excusabimus si haereamus adhuc in terra? Haec est genuina mens apostoli. Scio Chrysostomum et alios quosdam secus exponere: sed orationis contextus facile ostendit, hic notari gratiae discriben quae Deus sub lege prosequutus est fideles, et qua nos hodie dignatur. Nam quum uberior in nos effusa sit gratia, minus esse in nobis fidei valde absurdum esset. Dicit ergo, patres illos

qui tam eximia fide praediti fuerunt, nondum habnisse tam uberem credendi materiam quam nos habemus. Rationem continuo post addit: quia Deus voluerit nos omnes coadunare in unum corpus: ideoque exiguum illis gratiae portionem distribuerit, ut solidam perfectionem in tempus nostrum, hoc est in adventum Christi, differret. Atque hoc singulare Dei erga nos benevolentiae est documentum, quod tametsi liberalem so ab initio mundi ostenderit suis filiis, sic tamen gratiam suam attemperavit, ut totius corporis saluti prospiceret. Quid amplius desiderare quisquam nostrum possit quam in omnibus beneficiis, quibus Deus Abraham, Mosen, Davidem et omnes patriarches, prophetas et pios reges prosequutus est, habitam esse sui rationem, ut cum illis in Christi corpus coalescat? Sciamus ergo nos bis ac ter ingratos esse Deo, si minus in nobis fidei sub Christi regno appareat, quam se habere patres sub lege tam insignibus patientiae exemplis probarunt. Quod dicit, nondum adeptos fuisse promissionem: de ultima promissionum clausula intelligi debet, quae nobis promulgata fuit in Christo. Qua de re aliquid iam ante dictum est.

CAPUT XII.

1. *Proinde, nos quoque quum tanta circumdati simus nube testium, deposito omni onere et peccato quod nos circumstat, per patientiam curramus in proposito nobis certamine: 2. intuentes in principem et perfectorem fidei Iesum, qui pro gaudio sibi proposito pertulit crucem, ignominia contempta, et in dextra throni Dei consedit. 3. Ac reputate quis hic fuerit qui tantum in se sustinuit ab impiis contradictionem, ut ne fatigemini animabus vestris soluti.*

1. *Proinde nos quoque.* Haec conclusio est quasi epilogus proximi capituli: ubi demonstrat quorsum recitaverit illum sanctorum catalogum, quorum fides sub lege excelluit: nempe ut se quisque comparet ad eorum imitationem. Et metaphorice copiosam multitudinem vocat nubem. Densum enim raro opponitur. Si pauci essent numero, tamen suo exemplo incitare nos deberent: sed ubi ingens est turba, aciores stimulos addere nobis debet. Praeterea dicit, nos densitate illa vel copia circumdari, ut quocunque oculos vertamus, statim occurant multa fidei exempla. Nomen *testium* non accipio generaliter, ac si martyres Dei nuncuparet: sed refero ad praesentem causam. Ac si diceret, satis eorum testimonio comprobata esse fidem, ut non sit haesitandum. Sunt enim virtutes sanctorum quasi testimonia quae nos confirmant, ut illis vel ducibus vel sociis freti, alaerius ad Deum pergamus.

Deposito omni onere. Quia similitudinem cursus usurpat, simul expeditos esse iubet. Festinationi enim nihil magis adversum, quam si sarcinis onusti simus. Porro varia sunt onera, quae spiritualem cursum nostrum morantur ac impediunt: ut amor vitae praesentis, mundi delitiae, cupiditates carnis, enrae terrenae, divitiae etiam ac honores, et quaeunque sunt eiusdem generis. Quisquis ergo vult in Christi stadio currere, primum se omnibus impedimentis abdicet: quia iam plus satis tardi sumus, ut non aliunde aeedant remorae. Neque tamen iubemur divitias simpliciter abiicere, aut alia vitae commoda, nisi quatenus cursum nostrum retardant: quia Satan illis, quasi tricis, nos retinet atque implicat. Porro metaphora cursus satis frequens est in scripturis. Hic vero non quemlibet cursum designat, sed cursorium certamen, quod studia magis solet accendere. Summa igitur est, nos certamen ingressos esse, et quidem in celeberrimo stadio, undique circumstare multos testes, praesidem Dei filium, qui ad praemium nos invitat et hortatur: turpissimum igitur fore si in medio spatio fatigemur vel torpeamus. Quamquam autem sancti homines, de quibus meminit, non testes modo sunt, sed eiusdem cursus socii, qui viam nobis praemonstrant: testes tamen vocare maluit quam cursores, ut significaret non aemulos esse qui palmam nobis praeripiant, sed approbatores potius, qui plaudant et gratulentur nostrae victoriae. Quemadmodum etiam Christus non tantum agonotheta est, sed manum nobis porrigit, viros ac strenuitatem suppeditat: denique nos ad inchoandum cursum praeparat atque idoneos reddit, et sua virtute nos perducit usque ad metam.

Pecccato quod nos circumstat. Hoc gravissimum est onus quod nobis obstat. Dicit autem nos esse implicitos, ut sciamus, neminem currendo aptum esse, nisi qui exuerit hos laqueos. Non loquitur autem de externis vel actualibus (ut vocant) peccatis: sed de ipso fonte, hoc est concupiscentia, quae ita omnes nostri partes occupat ut undique sentiamus nos teneri eius laqueis.

Per patientiam. Hac voce semper monemur quid praecipue in fide considerari velit apostolus: nempe, ut regnum Dei, quod carni est invisible sensusque omnes nostros superat, spiritu quaeramus. Nam qui in hac meditatione occupantur, facile terrena omnia contemnunt. Ita Iudeos non poterat melius abstrahere a suis caeremoniis, quam si eos ad vera fidei exercitia revocaret, ex quibus disserent spirituale esse Christi regnum, et huius mundi elementis longe superius.

2. *Pro gaudio sibi proposito.* Tametsi latina loquutio nonnihil habit ambiguitatis, tamen in verbis graecis perspicue appetit sensus apostoli. Significat enim, quum integrum esset Christo se eximere

omni molestia, vitamque felicem et bonis omnibus affluentem degere: ipsum tamen ultro subiisse mortem acerbam et plenam ignominia. Nam, pro gaudio, idem valet atqno Loco gaudii: et gaudium genus omne commoditatis comprehendit. Propositionem autem dicit quod in manu Christi erat, ut si libuisse, facilius esset utendi. Quamquam si quis particulari *zvit* eansam finalem notare putet, non multum reclamo: ut sit sensus, Christum non recusasse mortem crucis, quia videbat felicem eius exitum. Ego tamen priorem expositionem retineo. Dupli porro nomine, Christi nobis tolerantiam commendat, quod mortem acerbissimam pertulerit, et quod ignominiam despicerit. Finem deinde mortis gloriosum commemorat, ut sciant fideles in salutem et gloriam cessura sibi mala omnia quae sustinent, modo Christum sequantur. Sic etiam Iacobus: Patiemur Job audistis, et finem nostis (Iac. 5, 11). Significat ergo apostolus, cundem foro miserarium nostrarum finem qui cernitur in Christo: secundum illud Pauli: Si compatimur, simul cum eo regnabimus (Rom. 8, 17).

3. *Reputate quis hic.* Amplificat suam exhortationem, Christum nobiscum conferendo: nam si filius Dei, quem ab omnibus adorari decuit, sponte subiit tam dura certamina, quis nostrum recusare audeat iisdem se cum illo subiicere? Una enim haec cogitatio ad vincendas omnes tentationes sufficere debet, quum intelligimus nos filii Dei esse comites: et cum qui supra nos adeo eminebat, voluisse ad conditionem nostram descendere, ut suo nos exemplo animaret. Ita, inquam, colligimus animos, qui aliqui liquecunt et quasi in desperationem solvuntur.

4. *Nondum ad sanguinem restitistis adversus peccatum certando.* 5. *Et oblii estis exhortationis quae vobis tanquam filiis loquitur: Fili mi, ne disciplinam Domini negligas, et ne deficias dum ab eo argueris.* 6. *Quem enim deligit Dominus castigat: flagellat omnem filium quem suscipit.* 7. *Si disciplinam sustinetis, Deus tanquam filiis offertur.* 8. *Quis enim est filius quem pater non castiget?* 8. *Quod si disciplinae expertes estis, cuius participes sunt omnes: spurii igitur estis, non filii.*

4. *Nondum ad sanguinem.* Ultra progreditur: admonet enim, etiam quum nos impii persequuntur pro Christi nomine, tunc nos certare contra peccatum. In hanc luctam descendere Christus non potuit, qui purus et immuuis erat ab omni peccato. At nos hac in parte illi sumus dissimiles, quia semper in nobis habitat peccatum: cui domando et profligando convenient afflictiones. Principio, scimus, quidquid malorum est in hoc mundo, ex peccato provenire, ac in primis mortem ipsam. Verum id

nunc non agit apostolus: tantum docet, persecutiones, quas pro evangelio sustinemus, alio quoque nomine esse nobis utiles: quia remedia sint ad destruendum peccatum. Nam hoc modo Deus sub disciplinae suae iugo nos retinet, ne caro nostra lasciviat: interdum etiam ferocientes coeret: delicta interdum nostra punit, ut in posterum nos reddat cautores. Sive ergo vitiis nostris medeatur, sive antequam peccemus, oculpet, ita nos exercet in hac, cuius meminit apostolus, contra peccatum lucta. Hoc quidem honore nos dignatur filius Dei, ut quae pro evangelio suo patimur, minime inter poenas peccati deputet. Nostrum tamen est agnoscere quod hic audimus ex apostolo, sic nos agere ac defendere adversus impios Christi causam, ut interea cum peccato, hoste intestino, bellum geramus. Haec duplex erga nos est Dei gratia: quod remedia, quae curandis vitiis nostris adhibet, in evangelii sui defensionem convertit. Meminerimus autem quos hic compellit: nempe qui laeto animo bonorum suorum iacturam fecerant, passique fuerant multas contumelias. Et tamen ignaviae eos insimulat, quod in medio certaminum cursu defessi, non strenue pergant ad mortem usque. Quare non est quod missionem nobis petamus a Domino, qualicunque militia perfuncti simus: quia nullos habere vult Christus emeritos milites, nisi qui mortem ipsam vicerunt.

5. *Et oblii estis.* Interrogative lego. Quaerit enim an oblii sint: significans nondum esse oblivisciendi tempus. Hic vero ingreditur in illam doctrinæ partem, quod utile nobis sit cruce erudiri. Ad eam rem utitur testimonio Solomonis: cuius duo sunt membra: prius est, non reiiciendam esse correctionem Domini: in secundo causa redditur, quia Dominus quos diligit castigat. Quoniam autem Solomon sic praefatur: Fili mi: monet apostolus, hac tam suavi blandaque appellatione debere nos allisci ut haec exhortatio penitus in animos nostros penetret. Caeterum Solomonis argumentum hoc est, Si flagella Dei eius erga nos amorem testantur: indignum est fastidio vel odio ipsa haberis. Plusquam enim ingratis esse oportet qui in suam salutem a Deo castigari non sustinent: imo qui paternæ ciuius benevolentiae signum respunnt.

6. *Quem diligit Dominus.* Haec ratio videtur parum firma esse. Promiscue enim animadvertisit Deus tam in reprobos quam in electos: et eius flagella iram eius saepius quam amorem declarant. Sic enim et scriptura loquitur, et experientia etiam confirmat. Verum ubi sermo ad pios habetur, non mirum est eum duntaxat castigationis usum attingi quem illi sentiunt. Nam utcunque severum se et iratum iudicem erga reprobos Deus ostendat quoties eos punit: in electis tamen suis non aliud finem spectat, quam ut eorum consulat saluti. Haec

paterni amoris demonstratio est. Deinde reprobi quum se Dei manu gubernari ignorent, fortuito ut plurimum putant se affligi. Quemadmodum si quis puer contumax, relicta patris domo, longe erret: fame et frigore vel aliis malis confectus, dabit quidem iustas stultitiae suae poenas: suisque malis discessit quid sit esse patri morigerum ac obsequenter: sed tamen hanc esse paternam castigationem non agnoscet. Ita impii, quum se a Deo eiusque familia quodammodo manciparint, non intelligunt Dei manum ad se usque pervenire. Meminerimus ergo, divini erga nos amoris gustum aliter a nobis percipi non posse in castigationibus, quam dum illud nobis persuasum est, paternas esse ferulas, quibus peccata nostra castigat. Nihil tale reprobis evenire potest, quorum fugitvae sunt mentes. Huc accedit quod iudicium incipere oportet a domo Dei. Proinde etiamsi communiter alienos et domesticos feriat, sic tamen manum suam erga posteriores exserit, ut demonstret se peculiarem habere eorum curam. Sed illa est vera solutio, quod quisquis a Dco se castigari novit et persuasus est, gradum protinus facere debet ad hanc cogitationem: id accidere, quoniam a Deo ametur. Nam quum Deum in poenis medium sentiant fideles, certum habent benevolentiae eius pignus, quia nisi amaret, non esset sollicitus de eorum salute. Ideo concludit apostolus, Deum omnibus offerri patrem qui correctionem sustinent. Nam qui calcitrant, ut equi feroce solent, vel qui præfracte reluctantur, minime pertinent ad hunc ordinem. Quare in summa docet tunc nobis demum paternas esse Dei correctiones, quum illi nos obedienter subiiciimus.

7. *Quis enim est filius.* A communi hominum more ratiocinatur, minime esse consentaneum ut filii Dei a crucis disciplina sint immunes. Nam si nemo inter homines invenitur, prudens saltem sanique iudicij, qui non liberos suos corrigat, quoniam sine disciplina ad bonam frugem adduci nequeunt: quanto minus hoc tam necessarium remedium Deus, qui optimus et sapientissimus est pater, negliget? Si quis obiciat, cessare intor homines eiusmodi correctionem simulatque ex adolescentia egressi sunt liberi: respondeo, nos, quādiū vivimus, Dei respectu esse magis quam pueros: atque hanc causam esse cur tergo nostro ferulam semper haerere conveniat. Quare merito intet apostolus, quisquis immunitatem a cruce appetit, eum se veluti abdicare e numero filiorum Dei. Unde sequitur, non aestimaria nobis, ut decet adoptionis beneficium, totamque Dei gratiam repudiari quum nos ab eius ferulis subducere volumus. Quod tacunt quicunque aequo animo afflictiones non tolerant. Cur autem spurious potius quam alienos vocat qui correctionem refugiunt? nempe, quia eos alloquitur qui in ecclesiam cooptati erant: ideoque filii Dei. Quare significat,

falsam et ementitam fore Christi professionem, si se a patris disciplina eximant, ut spurii magis sint quam legitimi.

9. *Quum carnis nostrae patres habuerimus castigatores, et rereriti simus illos: annon multo magis gubiiciemur patri spirituum, et vivemus?* 10. *Et illi quidem ad paucos dies pro suo arbitratu nos castigarunt: hic vero ad utilitatem, ut nobis impertiat sanctimoniam suam.* 11. *Porro, omnis castigatio in praesens non videtur gaudii esse, sed tristitiae: in posterum tamen, fructum pacatum iustitiae affect exerbitatis.*

9. *Quum carnis nostrae.* Haec comparatio multas habet partes. Prima est, si patribus ex quibus progeniti sumus secundum carnem, tantum detulimus reverentiae ut passi fuerimus eorum disciplinam: multo plus honoris deberi Deo, qui spiritualis est pater. Altera, disciplinam, qua patres liberos suos erudiunt, ad usum praesentis vitae utilem esse duntaxat: Deum vero longius respicere, ut scilicet in vitam aeternam nos sanctificet. Tertia, mortales homines liberos suos ut illis visum est castigare: Deum vero temperare suam disciplinam optima ratione summaque sapientia, ut nihil in ea sit nisi moderatum. Hoc ergo primo loco inter Deum et homines diversum ponit, quod hi quidem, patres sint carnis, ille autem, spirituum: idque amplificat, carnem cum spiritu conserendo. Sed quaeritur annon carnis etiam pater sit Deus: neque enim frustra hominis creationem inter praecipua Dei miracula commemorat historia Iob. Quare hac quoque parte merito patris nomen sibi vindicat. Si dicamus patrem vocari spiritum, quia solus animas creat et regenerat, sine hominis opera: rursus excipere licebit, Paulum non frustra gloriari, se spiritualem esse eorum patrem, quos in Christo per evangelium genuit. Respondeo, tam animae quam coporis patrem esse Deum, et quidem unicum, proprie loquendo: ac nomen hoc quadam veluti concessione transferri ad homines, sive de corpore sive de anima agatur. Quoniam tamen in creandis animabus non adhibet hominum operam, et eas etiam spiritus sui virtute mirabiliter reformat: peculiariter ξατ' ἔξοχὴν pater spirituum vocatur. Quum dicit, Et reveriti simus illos: affectum notat qui nobis a natura insitus est, ut patres, etiam quum aspere nos tractant, honore prosequamur. Quum dicit, subiiciemur patri spirituum: significat, hoc aequum esse, ut Deo imperium permittamus quod patris iure in nos obtinet. Quum dicit, Et vivemus, causam designat vel finem, itaque copula resolvenda est in particulam ut. Monemur autem hoc verbo, nihil esse nobis magis exitiale quam si nos in Dei obsequium trahere recusemus.

10. *Et illi quidem ad paucos dies.* Haec secunda est amplificatio, ut dixi, quod Dei castigaciones carni demandae et mortificandae destinuntur, ut renovemur in coelestem vitam. Unde apparet fructum esse perpetuum: idem ab hominibus non esse sperandum, quum hominum disciplina pars sit ordinis politici, ideoque proprio ad praesentem vitam spectet. Unde sequitur, illas longo plus utilitatis adferre, quanto seilicet spiritualis Dei sanctimonia corporis commodis praestat. Si quis obiiciat, patrum munus esse filios instituere in timore et cultu Dei, ac propterea eorum disciplinam ad tam breve tempus restringendam non videri: respondeo, id quidem esse verum: sed hic de oeconomicia apostolus loquitur quemadmodum de politia solemus vulgo loqui. Nam etsi magistratum est religionem tueri, eorum tamen officium huius vitae finibus dicemus contineri: quia aliter civilis ac terrena gubernatio a spirituali Christi regno distingui non posset. Porro quod correctiones Dei dicuntur utiles esse ad obtinendam eius sanctimoniam, hoc non ita accipendum est quasi nos proprie sanetificant: sed quod adminicula sint ad nos praeparandos, quia per ea Dominus nos exercet ad mortificationem carnis.

11. *Omnis castigatio.* Hoc addit, ne Dei castigationes praesenti sensu metiamur. Nos enim pueris similes esse docet, qui ferulam horrent ac refugiant quantum in se est: quia nondum per aetatem iudicant quantum sibi sit utilis. Huc ergo tendit admonitio, non recte aestimatim iri castigationes ex praesenti carnis nostrae sensu: ideo coniiciendos esse oculos in finem: ita apprehendemus tranquillum hunc iustitiae fructum. Fructus autem iustitiae dicitur timor Domini, et pia sanctaque vita: cuius crux magistra est. *Pacatum*¹⁾ vocat, quoniam in rebus adversis trepidamus et sumus inquieti. Tentatur enim impatientia, quae semper tumultuosa est: castigati autem, composita mente agnoscimus quam utile nobis fuerit quod ante acerbum et modestum videbatur.

12. *Quare manus remissas et genua soluta surrigite:* 13. *et rectas facite vias pedibus vestris: ne claudicatio aberret, sed magis sanetur.* 14. *Pacem sectamini cum omnibus, et sanctimoniam: sine qua nemo videbit Dominum.* 15. *Curam agentes ne quis deficit a gratia Dei, ne qua radix amaritudinis sursum pullulans obturbet, et per cam inquinentur multi.* 16. *Ne quis scortator vel profanus, ut Esau, qui pro uno edulio vendidit primogenitum suum.* 17. *Nostis enim quod, quum postea vellet haereditariam obtinere benedictionem, reprobatus sit. Poenitentiae enim locum non invenit, etiamsi cum lacrymis quaciisset eam.*

¹⁾ *Tranquillum*

12. *Quare manus remissas.* Postquam docuit, Deum saluti nostrae prospicere dum nos castigat, inde nos ad alacritatem hortatur: nihil enim est quod nos magis debilitet adcoquo exanimet prorsus, quam quum falsa imaginatione occupati nullum gratiae Dei gustum habemus in rebus adversis. Ideo nihil est ad nos erigendos hac significatione efficacius, Deum nobis adesse etiam quum nos affligit, ac de nobis esse sollicitum. Caeterum his verbis non tantum ad ferendas magno animo afflictiones hortatur, sed admonet non esse causam cur resides ac pigri simus ad faciendum officium. Nam plus satis experimur quantum nos impedit metus crucis ne Deo, sicuti par erat, serviamus. Libenter multi profiterentur suam fidem: sed quia sibi a persequitione timent, manus et pedes pium illum animi affectum destituunt. Libenter certarent multi pro Dei gloria, susciperent bonas ac iustas causas privatim et publice, officia sua Deo et fratribus impenderent: sed quia periculum est ab odiis improborum, quia molestias complures sibi esse paratas vident, quasi manibus complicatis, otiosi quiescent. Ergo si semel correctus fuerit in nobis nimius ille crucis timor, et ad tolerantiam compositi simus: nulla erit pars nostri quae non apta sit ac format ad munus suum Deo praestandum. Hoc est ergo quod intelligit apostolus. Manus, inquit, remissas ideo habetis, genua vestra ideo labascunt, quia non agnoscitis quae vera sit in rebus adversis consolatio: ideo ad officium tardi estis. Nunc vero quum ostenderim quam utilis sit vobis crucis disciplina, debet haec doctrina excitare novum in omnius vestris membris vigorem, ut manibus ac pedibus ad sequendam Dei vocationem alares ac prompti sitis. Porro ad locum Esiae alludere videtur, qui habetur cap. 35, 3. Praecipit illic propheta piis doctoribus, ut proposita spe gratiae genua trepidantia et debiles manus confirment. Apostolus universos fideles iubet id facere: nam si hic usus est consolationum quas nobis Dominus proponit: quemadmodum doctoris munus est totam ecclesiam erigere, ita unusquisque doctrinam peculiariter sibi destinando, se ipsum critatque animat.

13. *Rectas vias facite.* Hactenus docuit nitendum esse Dei consolationibus, ut simus ad bene agendum fortes ac strenui: atque illam esse futuram nostram. Nam secundum adiungit: nempe, ut prudenter ambulemus ac teneamus rectum cursum. Nihilo enim minus vitiosus est inconsideratus fervor quam inertia et mollities. Quamquam haec viae rectitudo, quam commendat, inde procedit quum mens hominis omni metu superior tantum quid Deo probetur reputat: nam timor ad quaerenda diverticula ingeniosus est plus satis. Quemadmodum ergo perverso metu impieciit flexuosas nobis vias quaerimus, ita econverso, quisquis se ad tolerantiam

malorum comparavit, recta pergit quounque Dominus vocat, neque vel ad dexteram, vel ad sinistram deflectit. In summa, hanc bene agendi regulam praescribit ut ad Dei voluntatem gressus nostros dirigamus, ne vel mctus, vel mundi illocebrae, vel alia nos indo abducant. Ideo subiicit, Ne claudicatio aberret: hoc est, ne claudicando, tandem a via longius recedatis. Claudicationem vocat, quum mentes hominum alternant, nec sincere Deo se addicunt. Sic alloquebatur Elias illos duplices, qui cultum Dei superstitionibus suis miscebant: Quousque claudicatis in utramque partem (1. Reg. 18, 21)? Est autem elegans haec loquutio: multo enim deterritus est errare quam claudicare. Iam, qui claudicare incipiunt, non statim avertunt se a via, sed paulatim magis ac magis ab ea recedunt, donec in errorem abrepti in medio Satanae labyrintho implicii haereant. Monet igitur apostolus ut sanandae claudicationi mature demus operam: quia si illi indulgeamus, longius nos a Deo tandem avertet. Posset etiam verti, Ne claudicatio degeneret, aut discedat: manebit tamen idem sensus: quoniam significat apostolus, eos qui rectum cursum non tenent, sed paululum per incuriam huc vel illuc deflectere sibi permittunt, temporis successu penitus a Deo alienari.

14. *Pacem sectamini.* Ita nati sunt homines ut videatur unusquisque fugitare pacem: sibi enim privatim singuli student, mores suos volunt ferri, aliorum moribus se accommodare non dignantur. Ergo nisi magno labore sectemur pacem, eam nunquam retinebimus: multa enim quotidie accident quae occasionem praebent dissidiis. Haec ratio est cur iubeat apostolus pacem sectari: ac si diceret, non colendam esse duntaxat quoad nobis erit commodum, sed enitendum esse summo studio ut salva inter nos maneatur. Quod fieri non potest nisi multas offensas obliviscamur, atque alii aliis in multis rebus mutuam demus veniam. Quia tamen pax ab impiis alia conditione non potest impetrari, quam si eorum vitiis ac sceleribus assentiamur: ideo protinus addit apostolus, sanctimoniam una cum pace sectandam esse: ac si nobis eum hac exceptione pacem commendaret, ne malorum amicitia nos inquiet aut polluat. Sanctimonia enim Deum proprie respicit. Quare etiamsi totus mundus bello flagrare debeat, non est deserenda sanctimonia, quae vinculum est nostrae cum Deo coniunctionis. Denique plaeide foveamus cum hominibus concordiam, sed usque ad aras, ut habet proverbium. Negat quemquam posse Deum videre sine sanctimoniam: quoniam non aliis oculis videbimus Deum, quam qui reformati fuerint ad eius imaginem.

15. *Curam agentes ne quis, etc.* Vel, attente providentes. His verbis indicat proclivem esse lapsum a Dei gratia: neque enim frustra attentionem re-

quirit in hae parte, quia simulatque securos esse aut remissos videt Satan, momento nos circumvenit. Denique contentione et vigilancia opus est, si velimus perseverare in Dei gratia. Porro gratiae nomine, totam nostram vocationem comprehendit. Si hinc quispiam inferat, non esse igitur efficacem Dei gratiam, nisi nos proprio motu cooperemur, frivolum erit argumentum. Scimus quanta sit carnis nostrae pigritia: continuis itaque stimulis indiget. Sed quum Dominus monendo et exhortando nos stimulat, simul etiam corda nostra afficit ne vanae sint exhortationes, vel sine effectu diffluant. Ergo a praecceptis et exhortationibus colligendum non est quid per se valeat homo, aut quae sit liberi arbitrii facultas: nam certe attentio, quam hic apostolus requirit, donum Dei est.

Ne qua radix. Non dubito quin ad locum Mosis respexerit, qui legitur Deut. capite 29. Nam promulgata lege Moses cavendum esse docet ne qua radix fel et absynthium germinans in populo Dei pollulet. Postea interpretatur quid sibi velit, ne quis scilicet animae suae in peccato benedicens, et quemadmodum ebrii sitim suam acuere solent, pravam cupiditatem irritans, impunitatis illecebra Dei contemptum inducat. Idem nunc agit apostolus: praeedit euim fore ut si talem radicem altius crescere sinamus, multos corrumpat ac depravet. Nec tantum iubet singulos eradicare ex cordibus suis talem pestem, sed prohibet etiam ne patiamur inter nos crescere. Fieri quidem non potest quin radiees istae bacreat in ecclesia Dei: quia bonis semper mixti sunt hypocritae et impii: sed ubi erumpunt, resecari debent, ne crescendo suffocent bonum semen, Amarulentiam ponit pro eo quod Moses dicit fel et absynthium: sed uteque venenosam ac mortiferam radicem exprimere volnit. Quum ergo tam exitiale sit hoc mali genus, eo acriore studio occurrero decet, ne longius surgat vel serpat.

16. Ne quis scortator vel profanus. Sicut prius ad sanctimoniam hortatus est, ita ut a contrariis inquinamentis revocet, speciem unam ponit: ne quis sit scortator. Sed mox ad genus ipsum descendit: ne quis sit profanus. Nam hoc nomen proprie sanctimoniae opponitur. In hunc finem Dominus nos vocat ut in suum obsequium sanctificet. Id fit dum mundo reuuntiamus. Quisquis autem in suis sordibus sibi ita placet ut in eas subinde revolvatur, se profanat. Quamquam generaliter profanos definiere licet, quicunque non tanti aestimant Dei gratiam, ut ad eam, contempto mundo, adspirent. Quoniam autem variis modis profanescunt homines, eo maior danda est opera ne Satanae rima pateat ad nos suis corruptelis inquinandos. Et quemadmodum sine consecratione nulla est vera religio, semper in timore Dei, mortificatione carnis, totaque pietatis exercitatione proficiendum est. Nam quem-

admodum profani sumus donec separemur a mundo, ita si revolvimur in mundi sordes, a sanctificationis gratia desciscimus.

17. Esau. Hoc exemplum vice expositionis esse nobis potest, quantum ad profani nomen attinet: nam quum Esau pluris edulium unum quam primogeniturnam suam fecisset, benedictione privatus fuit. Profani ergo sunt in quibus ita regnat mundi amor ac praevallet, ut coelum obliviouscantur: ut qui ambitione abrepti, addicti pecuniae et divitiis, gulae dediti, vel aliis delitiis irretiti, spirituale Christi regnum inter suas curas vel nullo vel postremo loco habent. Aptissimum porro hoc exemplum est: nam quum Dominus vim amoris, quo populum suum prosequitur, vult exprimere, primogenitos vocat omnes quos ad spem vitae aeternae vocavit. Inaestimabilis sane hie honor est quo nos dignatur: ad quem si conferantur omnes mundi opes, omnia commoda, honores, delitiae, et quaecunque ad beatam vitam pertinere vulgo existimantur, erunt instar vilis edulii. Quod autem ea, quae prope nihil sunt, habemus in tanto pretio, id sit quia prava cupiditas nobis perstringit oculos, adeoque nos excaecat. Ergo si velimus locum in Dei sanctuario tenere, contemnere discamus eiusmodi edulia, quibus inescare probos solet Satan.

17. Quum vellet benedictionem. Initio ludicrum dueebat factum illud, quo primogeniturnam venderat, ac si puerilis fuisset lusus: sero tandem quid damni fecisset sensit, quum benedictio in Iacob a patre translata illi abiudicaretur. Ita, qui illecebris huius mundi capti se a Deo alienant, et salutem suam vendunt ut se ingurgitent terrenis edulii, non putant sibi quidquam perire, imo quasi tunc maxime beati essent, sibi placent ac plaudunt. Serò illis Dominus aperit oculos, ut mali sui conspectu admoniti, etiam iacturae quam negligebant sensu tangantur. Quamdiu famelicus est Esau, nihil curat nisi ut ventrem habeat bene refertum: satur ridet, ac fratrem qui se edulio sponte privavit, fatuum iudicat. Talis, inquam, est impiorum stupor, quamdiu pravis desideriis aestuant, vel intemperanter se demergunt in suam laetitiam. Post tempus, intelligunt quam exitiale sibi fuerit quidquid tam avide expetebant. Quod dicit reprobatum, perinde valet ac si dixisset repudiatum, vel repulsum passum esse.

Poenitentiae locum non invenit. Hoc est, nihil profecit vel consequentus est sera sua poenitentia: etsi cum lacrymis quaereret benedictionem, quam sua culpa amiserat. Quia autem omnibus gratiae Dei contemptoribus idem periculum denuntiat: quacri potest an si contemptum recepta fuerit Dei gratia, et posthabitum mundo eius regnum, nulla spes veniam supersit. Respondeo, non praecise veniam talibus negari: sed admoneri ut sibi caveant, ne

idem illis quoque accidat. Et certe quotidie multa severitatis Dei exempla cernere licet, quibus iudicia et sannas profanorum hominum vindicat. Nam quum sibi crastinum semper promittant, novo et improviso mortis genere saepo eos repente e medio tollit: quum fabulosum esse ducant quidquid audiunt de Dei iudicio, eos ita persequitur ut cogantur agnoscere iudicem: quum stupidas habeant conscientias, diros postea cruciatus sentiunt huius stuporis vindices. Tametsi autem non accidit hoc omnibus: quia tamen periculum est ne accidat, merito omnes monet apostolus ut caveant. Altera etiam quaestio occurrit: an poenitentia sua nihil proficiat peccator quisquis ea praeditus erit. Videtur enim hoc innuere apostolus, quum tradit nihil ipsi Esau profuisse suam poenitentiam. Respondeo, poenitentiam hic non pro sincera ad Deum conversione accipi: sed tantum pro terrore quo Dominus impios percellit, postquam diu in sua nequitia delitiati sunt. Porro mirum non est si inutilis dicatur hic terror: quia interim neque resipiscunt, neque oderunt sua vitia, sed tantum poenae sensu cruciantur. Idem et de lacrymis dicendum est: Quoties ingemuerit peccator, paratus est Dominus ad dandam veniam: nec frustra unquam quaeritur Dei misericordia, quoniam pulsanti aperietur. Verum quia lacrymae Esau desperati hominis fuerant, non dirigebantur ad Deum: sic impii utenque deplorent sortem suam, conquerantur, eiulent, non tamen pulsant ad Dei ianuam: quia hoc fieri non potest nisi fide. Atqui quo gravius pungit eos conscientia, eo magis adversus Deum fremunt, illique succensent. Cuperent quidem accessum sibi dari ad Deum: sed quia non nisi eius iram apprehendunt, eius conspectum fugitant. Ita saepe videmus, eos qui per iocum dictant satis opportunam inter extremos spiritus poenitentiam fore, quum eo ventum est, inter saeva tormenta clamitare non iam esse obtinenda gratiae tempus: se enim exitio esse devotos, quia nimis sero Deum quaeasierint. Interdum quidem erumpunt in has voces, O si, o si: sed mox desperatio omnia illorum vota abrumpit, faucesque illis praecludit, ne longius procedant.

18. *Non enim accessistis ad mortem qui tangatur, vel ignem accensum, ac turbinem, et caliginem, et procyclam, 19. et tubae sonitum, et vocem verborum: quam qui audierant, excusarunt, ne illis proponeretur sermo.*
 20. *Non enim ferabant quod edicebatur, Etiamsi bestia tetigerit montem, lapidabitur, aut iaculo configetur.*
 21. *Ac sic terrible crat visum quod apparuit, Moses dixit: Exparefactus sum, et tremefactus.* 22. *Sed accessistis ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem,* 23. *Et ad conventum innumerabilium angelorum, et ecclesiam primogenitorum qui scripti sunt in coelis, et iudicem omnium Deum, et spiritus*

iustorum consecratorum, 24. Et mediatorem novi testamenti Iesum: meliora loquentem quam loquebatur sanguis Abel.

18. *Non enim accessistis.* Alio argumento nunc pugnat. Nam praedicat magnitudinem gratiae quae nobis patet facta fuit per evangelium, ut reverenter eam excipere discamus. Secundo, eius nobis suavitatem commendat, ut alliciat in eius amorem ac desiderium. Pondus utriusque addit ex comparatione legis et evangelii. Nam quo altius supra Mosis administrationem excellit Christi regnum et splendor est nostra quam veteris populi vocatio: eo foedior nostra ingratitudo et minus excusanda, nisi qua decet religione tantum bonum nobis oblatum amplectimur, ac humiliter suspicimus tantam Christi maiestatem, quae hic appareat. Deinde quum non se nobis formidabilem, ut olim Iudeis, Deus prebeat: sed tam amice et comiter nos ad se invitet: ita quasi duplicatur ingratitudinis crimen, nisi tam benignae invitationi ultro studiose occurrimus. Primum ergo meminerimus hic evaengelium cum lege conferri: deinde, huius comparationis duas esse partes, quod se Dei gloria illustrius in evangelio proferat quam in lege, et quod amabilis hodie sit eius vocatio, quum olim nihil praeter meros terrors habuerit.

Ad montem qui tangitur. Varie exponunt hunc locum: sed ergo terrenum montem spirituali opponi arbitror: atque huc spectant quae postea sequuntur de igne accenso, de turbine et procycla, et reliquis. Haec enim signa, quae Deus edidit ut legi suae fidem conciliaret ac reverentiam, si in se considerentur, magnifica sunt ac vere coelestia: sed quum venitur ad regnum Christi, quae illuc Deus nobis proponit, coeles omnes superant. Unde fit ut tota legis dignitas quasi terrena esse incipiat. Ita mons Sinai manibus palpari potest, mons vero Sion non nisi spiritu comprehenditur. Quaecunque Exodi decimo nono referuntur, fuerunt visibles figurae: quae autem habemus in regno Christi, a sensu carnis sunt obscondita. Si quis obiiciat, spiritualem illorum omnium significationem fuisse, et hodie etiam externam esse pietatis exercitia quibus in coelum evehimur: respondeo, apostolum loqui secundum maius et minus. Nemini autem dubium est, ubi in certamen veniunt lex et evangelium, quin praeponderet in hac parte quod spirituale est: in illa autem priore, terrena symbola magis eminant.

19. *Qui audierant, excusarunt.* Hoc secundum membrum est, in quo tractat legem evaengelio valde fuisse dissimilem, quia quum promulganda fuit, omnia terroribus variis plena erant. Huc enim spectant quaecunque legitimus Exodi decimo nono, ut sciat populus Deum tribunal consondere, quo

severum iudicem se ostendat. Si inuoxium animal propius forte accessisset, iubebat illud confodi. Quanto durior poena imminebat peccatoribus qui sibi male consciū erant, imo qui se neverant reos mortis aeternae agi per legem? Evangelium autem nihil nisi amabile continet, si quidem fide recipitur. Reliqua pete ex 2. ad Corinthios capite 3. Cacterum quod dicit populum excusasse: non ita debet accipi, quasi populus renuerit audire Dei verba, sed deprecatus est ne Deum ipsum loquentem audire cogeretur. Persona enim Mosis interposita horrorem nonnihil mitigabat. Torquet tamē interpretes quod Mosi haec verba apostolus tribuit; *Ex parte factus sum et tremefactus: quae nusquam legimus Moseu protulisse.* Verum solutio non erit difficilis, si consideremus Mosem nomine populi sic loquutum, cuius mandata, quasi internuntius, ad Deum referebat. Fuit igitur haec communis totius populi quaerimonia: sed Moses inducit, qui fuit veluti commune os omnium.

22. *Ad montem Sion.* Respicit ad eas prophetias quibus olim Deus promiserat evangelium inde proditum, ut Iesaiac secundo, et similibus locis. Ergo montem Sion committit cum monte Sinai: deinde Ierusalem coelestem. Et nominatim coelestem vocat, ne Iudei in illa terrena haereant, quae sub lege floruerat: nam quum pertinaciter sub servili legis ingo manere appeteret, conversa erat in montem Sinai, sicut Paulus docet ad Galatas capite 4. Coelestem ergo Ierusalem intelligit, quae per totum mundum exstruenda erat, quemadmodum angelus apud Zachariam funiculum eius ab oriente usque in occidentem extendit.

23. *Conventum angelorum.* Significat nos angelis associari, cooptari in patriarcharum ordinem, et collocari in coelo inter omnes beatos spiritus, quum per evangelium nos ad se Christus vocat. Hic vero inestimabilis est honor quo nos dignatur coelestis pater, ut angelis et sanctis patribus nos accenseat. Quod autem myriadas angelorum dicit, ex Daniele sumptum est. Quamquam ego Erasmus sequutus, innumerabiles verti. Primogenitos, non quosvis Dei filios nominat, ut aliquando spiritu solet: sed peculiariter honoris causa patriarchas, et reliquos veteris ecclesiae proceres ornat hoc titulo. Dicit in coelis scriptos, quia electos omnes Deus conscriptos habere dicitur in libro suo vel in arcane catalogo, ut Ezechiel loquitur.

Ad iudicem omnium. Hoc dictum videtur ut metum ineutiat: ac si diceret, ita nobis offerri gratiam, ut cogitandum tamen sit, nobis cum iudice nostro esse negotium, cui reddenda sit ratio, si polluti ac profani temere in eius sanctuarium irrumpimus. Addit spiritus iustorum, ut significet nos aggregari ad sanctas animas, quae corporibus exutae omnes mundi sordes reliquerunt: ideoque

vocat consecratos vel perfectos: quia carnis infirmitatibus non sint amplius obnoxii, deposita ipsa carne. Atque hinc certo colligimus, pias animas, postquam a corporibus sunt separatae, vivere tamen apud Deum: quia aliter non possemus illis adiungi comites. Tandem subiicit Iesum mediatorem: quoniam is solus est per quem nobis placatur pater, et qui seruum atque amabilem eius vultum nobis reddit, ne metuamus ad ipsum accedere. Simil tamen exprimit qualiter se nobis mediatorem praebet Christus: nempe suo sanguine: quem ad spersionis, hebraico more, pro adsperso nominat: quia ut semel pro nobis fusus est in expiationem, ita eō nunc animas nostras irrigari per fidem oportet. Quamquam apostolus interim ad veterem legis ritum alludit, cuius ante facta fuit mentio.

24. *Meliora loquentem.* Nihil prohibet quominus in adverbium resolvas, ut sit meliora pro melius, hoc sensu: Christi sanguinem efficacius clamare et melius exaudiri a Deo quam sanguinem Abel. Magis tamen placet sine figura accipere, ut vox ipsa sonat: et meliora dicitur loqui, quoniam ad impe trandam nobis peccatorum veniam efficax est. Proprie nou clamabat sanguis Abel, sed ipsum par ricidium vindictam exigebat coram Deo: sanguis autem Christi elamat, quia facta per ipsum expiatio quotidie exauditur.

25. *Videte ne adspernemini loquentem: nam si illi, quia adspernati sunt cum qui loquebatur in terra, non effugerunt, multo magis nos si aversemur loquenter e coelis:* 26. *cuius vox tunc terram concussit, nunc autem denuntiavit, dicens, Adhuc semel ego moveo non solum terram, sed etiam coelum.* 27. *Illud autem: Adhuc semel, significat eorum quae concutuntur translationem, ut maneant ea quae non concutuntur.* 28. *Quare regnum quod non concutitur apprehenderentes, habemus gratiam: per quam colamus Deum, placentes illi cum reverentia et religione.* Deus enim noster ignis consumens est.

25. *Videte ne adspernemini, etc.* Utitur eodem verbo quo prius, quum dicebat populum excusasse, ne Deus verba sibi faceret. Aliud tamen intelligit: meo iudicio, hoc est, ne repudiemus sermonem qui nobis destinatur. Porro hic ostendit quid spectaverit proxima comparatione: nempe gravissimam poenam manere evangeli contemptores, quum legis contemptum veteres impune non tulerint. Et pro sequitur suum argumentum a minori ad maius, quum dicit, Deum vel Mosen tunc in terra loquuntur esse: nunc eundem Deum vel Christum loqui e coelo. Quamquam ego utrumque ad Deum referre malo. Dicitur autem Deus in terra loquuntus, quia humilius loquebatur. Semper meminerimus de externa legis administratione tractari: quae talis fuit (si cum evangelio conferatur) ut terrenum quid-

dam saperet: nondum supra coelos evehieret hominum mentes ad perfectam sapientiam. Quamquam enim eandem lex doctrinam continebat: quia tamen paedagogia tantum fuit, perfectio semper illi detrahitur.

26. Cuius vox terram. Quum Deus terram concusserit in lege publicanda, probat nunc, magnificientius ipsum loqui, quia terram simul et coelum concuriat. In cam rem citat testimonium prophetae Hagai (2, 7). Neque tamen singula verba refert, sed quia propheta concussionem terrae et coeli futuram praedicit, hoc sumit apostolus, ut doceat evangelii vocem non in terra solum tonare, sed penetrare supra coelos. Porro illic agi de Christi regno, extra controversiam esse debet: nam mox in contextu sequitur; Commovebo omnes gentes, et veniet desiderium cunctarum gentium, et implebo domum istam gloria. Atqui certum est neque gentes omnes collectas fuisse in unum corpus, nisi Christi auspiciis: nec aliud esse desiderium in quo acquiescamus omnes quam ipsum Christum: nec templum Solomonis fuisse gloria superatum, nisi quum eius magnitudo per totum orbem diffusa fuit. Quare tempus Christi procul dubio designat propheta. Quod si ex oriente Christi regno, non inferiores tantum mundi partes concuti, sed vim eius in coelum usque pervenire oportuit: merito colligit apostolus, sublimiorem esse evangelii doctrinam, et quae ab omnibus creaturis clarius exaudienda sit.

27. Illud autem, adhuc scemel. Ad verbum sic loquitur propheta: Adhuc unum modicum. Significat autem non diuturnam fore calamitatem populi, quin Dominus succurrat. Sed apostolus in hac voce non insistit: tantum ex concussione coeli et terrae infert totius mundi statum debere Christi adventu mutari. Nam quae creatae sunt, corruptioni subiacent. At Christi regnum aeternum est. Ergo creaturem omnes in melius reformari necesse est. Inde sibi transitum facit ad aliam exhortationem, ut regnum apprehendamus quod concuti non potest: quoniam ideo nos movet Dominus, ut vere et perpetuo apud se stabiliat. Quamquam magis probo diversam lectionem quam vetus interpres reddidit: Suscipientes regnum, habemus gratiam. Si affirmative legas, sensus optime fluet: nos, dum ampleximur evangelium, donari Christi spiritu, ut reverenter et pie colamus Deum. Si in modo horandi legas: Habeamus: coacta et obseura erit loquatio. In summa hoc, meo iudicio, vult apostolus, modo fide ingrediamur in Christi regnum, nos firma gratia potiuros, quae nos efficaciter in Dei cultu retineat: quia sicuti Christi regnum, ita et donum regenerationis mundo sit superius. Quum dicit, coli Deum εὐαρέστως cum reverentia et timore, etsi promptitudinem et gaudium exigit in nostris obsequiis, simul tamen nullum illi probari cultum significat,

nisi cum humilitate et modestia coniunctum. Ita damnat tam praeponeram carnis fiduciam, quam desidiam, quae inde digni solet.

28. Deus enim noster ignis. Quemadmodum blande nuper Dei gratiam proposuit: ita soveritatem denuntiat: ac videtur hanc sententiam mutuatus ex Deuter. capite 4. Ita videmus Deum nihil omittere, quo nos ad se trahat: *quia a dulcedine quidem incipit, quo libentius sequanur: quod si alliciendo parum proficit, terret.* Et sane expedit, nunquam a Deo nobis promitti gratiam, quin minae admisceantur. Nam (ut nimium ad indulgendum nobis proclives sumus) nisi hi stimuli admoverentur, frigeret apud nos mitior doctrina. Ergo Dominus, ut timentibus se propitius est ac misericors in mille generationes: ita zelotes est ac iustus vindex in tertiam et quartam generationem, ubi contemnitur.

CAPUT XIII.

1. Fraterna caritas maneat. **2. Hospitalitatis ne sitis immemores:** per hanc enim quosdam latuit quum receperissent angelos. **3. Memores estote vinctorum, tanquam una vinci:** eorum qui affliguntur, tanquam ipsi quoque sitis in corpore. **4. Honorabile in omnibus coniugium et thorus impollutus:** scortatores autem et adulteros indicabit Deus. **5. Sint mores sine avaritia.** Contenti sitis iis quae adsunt: ipse enim dixit, non te desero neque te derelinquo: **6. ut fidentes dicamus, Dominus mihi adiutor, neque timebo quid faciat mihi homo.**

1. Fraterna caritas. *De amore fraternali forte ideo praecipit, quia obscura ex fastu Iudeorum multis ecclesias scindere poterat. Quamquam in genere haec praeceptio valde est necessaria, quia nihil facilius difflit quam caritas: dum sibi quisque plus aequo addictus, aliis minus tribuit. Deinde quotidie interveniunt multae offensae quae nos separant. Fraternam appellat, non tantum ut singulari et intimo amoris affectu debere nos mutuo esse coniuctos doceat: sed etiam ut meminerimus, non aliter nos Christianos esse posse quam si fratres simus. Nam de amore loquitur quem inter se colero debent domestici fidei: quemadmodum Dominus communis adoptionis vinculo arctius eos simul devinxit. Itaque utilis in prima ecclesia fuit loquendi consuetudo, quod se Christiani fratres vocabant: nunc una cum re nomen ipsum fere obsolevit, nisi quod usum eius ab aliis relictum monachi ad se rapuerunt, suis interea discordiis et intestiniis factionibus testantes se ex patre diabolo omnes esse natos.*

2. Hospitalitatis, etc. *Hoc quoque humanitatis*

officium prope coli inter homines dosiit¹⁾: quia illa vetus hospitalitas, quae historiis celebratur, nobis ignota est: et cauponae hodie sunt pro hospitiis. Caeterum non tantum loquitur de iure hospitiis quod tunc inter divites erat usitatum, sed potius iubet excepi miseros atque egentes, ut tunc multi domo profugi erant propter Christi nomen. At quo ut hoc officii genus magis commendet, addit, receptos aliquando fuisse angelos hospitio ab iis qui putabant se homines recipere. Non dubito quin de Abraham et Loth hoc sit intelligendum. Nam quum ex quotidiano more hospitalitatem colerent, inseii et nihil tale cogitantes in angelos incidernnt: ita non vulgariter ornata fuit illorum domus. Et certo Deus probavit, hospitalitatem sibi in primis cordi esse, quum talc praemium Abrahae et Loth rependit. Si quis obiciat, rarum illud fuisse: responsio in promptu est, non angelos tantum recipi, sed Christum ipsum, quum pauperes in eius nomine recipimus. In vocibus gracieis elegans est allusio, quae latine exprimi non potest.

3. *Memores vincitorum.* Nihil est quod nos serio misericordiae sensu magis afficiat, quam si corum qui affliguntur personam in nos transferamus. Ideo dicit perinde cogitandum de vincitis ac si essemus eorum loco. Quod postea in altero membro sequitur, tanquam ipsi quoque sitis in corpore, varie exponunt. Quidam generaliter, hoc modo: vos quoque iisdem estis malis obnoxii, ut fert communis humanae naturae conditio. Alii autem sic restringunt: ac si in corpore eorum essetis. Mihi neutrui placet: refiero enim ad ecclesiac corpus, ut sit sensus, quandoquidem estis eiusdem corporis membra, communiter vos affici decet alios aliorum malis, ne quid inter vos sit separatum.

4. *Honorabile coniugum.* Nonnulli exhortationem esse putant ad coniuges, ut pudice et qua decet honestate matrimonium inter se colant: ut vir cum uxore temperanter et caste habitat, nec thorum maritalem indignis lasciviis profanent. Ita subaudiendum esset hortandi verbum, sit coniugium honorabile. Quamquam indicativus etiam modus non male congrueret: dum enim audimus honorabile esse coniugium, simul in mentem venire debet, honorifice et reverenter in eo versandum esse. Alii per concessionem dictum accipiunt, hoc modo: quamvis honorabile sit coniugium, non tamen scortari fas est. *Quem sensum rident omnes frigidum esse.* Ego vero²⁾ potius sentio, apostolum hic coniugium scortationi, tanquam remedium morbo, opponere: et contextus clare ostendit hanc fuisse eius mentem. Nam priusquam Dominum minetur poenas

de scortatoribus sumpturum, præfatetur quae sit vera effugiendae huius vindictæ ratio: nempe si honesto in coniugio vivamus. Sit ergo unum hoc membrum, scortationes non fore impunitas, quia Deum habeant vindicem. Et certe quin societatem viri et uxoris a se institutam Deus benedixerit: sequitur quamlibet ab ea diversam ab eo damnari et maledici. Quare non adulteris tantum, sed scortatoribus quibuslibet poenam denuntiat: quia utriusque a sancto Dei instituto discedunt, immo illud violent atque evertunt, promiscue se miscendo, quum una sit coniunctio legitima, quao Dei nomine et auspiciis sancitur. Sed quoniam sine coniugii remedio promiscuae ac vagae libidines coerceri nequeunt, ideo nobis ipsum commendat, vocans honorabile. Quod addit de thoro impolluto, libenter hue refero ut sciант coningati non quidvis sibi licere, sed usum thori legitimū debere esse moderatum, ne quid alienum a coniugii pudore et castimonia admittant. Quum dicit, in omnibus: intelligo nullum esse ordinem qui a coniugio prohibetur. Nam quod Deus generi humano in universum concessit, omnes sine exceptione decet. Omnes intelligo, qui coniugio apti sunt, eoque opus habent. Hoc autem disertis verbis exprimi oportuit, ut superstitioni occurreret, cuius tunc iam forte semina occulto iaciebat Satan, coniugium rem profanam esse, aut certe a christiana perfectione procul remotam. Nam spiritus illi impostores, de quibus vaticinatus erat Paulus, mox exstiterunt, prohibentes coniugium. Ergo ne quis stulte imaginaretur, coniugium vulgo duntaxat hominum permitti, qui autem in ecclesia excellunt, debere eo abstinere: omnem exceptionem tollit apostolus: neque tantum docet per indulgentiam concedi (sicuti cavillatur Hieronymus), sed honore dignum esse asserit. Hac tam præcisa denuntiatione non fuisse territos qui matrimonii prohibitionem invexerunt mundo, plusquam mirum est: nisi quod fraenum ita Satanae laxari oportuit ad puniendam eorum ingratitudinem qui Deum audire abnuerant.

5. *Mores sine avaritia.* Dum avaritiam vult corrigerre, recte et prudenter simul iubet nos præsentibus esse contentos. Hic enim verus est peccuniae contemptus, vel saltem magnanimitas in recto et moderato illius usu, dum eo contenti sumus quod Dominus dedit, sive illud multum sit, sive exiguum. Nam hoc certe raro contingit, ut avaro quidquam sufficiat. Quin potius quibus non satis est mediocritas, etiamsi maximis opibus abundant, semper plus appetunt. Haec est doctrina, quam se Paulus didicisse prædicat: nempe quod noverat abundare et penuria pati. Ergo qui suæ cupiditati modum imposuit, ut aequo animo acquiescat in sua sorte, is pecuniae amorem ex suo animo expulit.

¹⁾ Porro.

²⁾ atqui.

Ipse enim dixit. Citat hic duo testimonia: prius sumptum putant ex Iosue capite 1. Ego vero magis arbitror sententiam hanc adductam esse ex communi scripturae doctrina. Ac si dixisset: passim Dominus se nobis nunquam defuturum pollicetur. Ex hac promissione infert quod habetur Psalmo 118, nobis suppetere timoris vincendi materiam, quum de auxilio Dei certi sumus. Hic vero morbum a radice ipsa evellit: sicuti necesse est, si volumus hominum animos eo vere purgatos esse. Fontem avaritiae certum est esse diffidentiam. Nam quisquis hoc animo infixum habebit, nunquam se a Domino relictum iri, non erit ultra modum sollicitus: quia pendebit ab illius providentia. Prudenter ergo apostolus, nos ab avaritiae morbo curare volens, ad Dei promissiones revocat: quibus testatur se nobis praesentem fore. Postea inde colligit, quamdiu talis nobis est adjutor, nullam esse timendi causam. Ita enim fiet ut nullae nos pravae cupiditates sollicitent, quia sola fides est quae pacare hominum mentes possit: *quarum alioqui plus satis nota est inquietudo.*

7. *Memores estote praefectorum vestrorum qui loquuti sunt vobis sermonem Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* 8. *Iesus Christus heri et hodie, idem etiam in saecula.* 9. *Doctrinis variis et peregrinis ne circumferamini. Bonum enim gratia cor confirmari, non cibis, qui nihil pro fuerunt iis qui in illis versati sunt.*

7. *Memores estote.* Quae sequuntur, non tam ad mores quam ad doctrinam pertinent. Primo loco Iudeis exemplum eorum proponit a quibus edocti fuerant: ac videtur peculiariter de iis loqui, qui doctrinam a se traditam proprio sanguine ob-signaverant. Quiddam enim memorabile designat quum dicit, intuentes exitum conversationis. Tametsi nihil impedit quominus generaliter hoc intelligamus de iis, qui in sana fide ad extremum usque perstiterant, et tam in morte quam tota vita, fidele sanae doctrinae testimonium reddiderant. Hoc autem non parum valet, quod suos illis doctores ad imitandum proponit. Nam qui nos in Christo generunt, quasi patrum loco esse nobis debent. Quum ergo eos vidissent partim inter saevas persecutiones, partim inter varia certamina, constantes et infractos, merito debebant plus moveri.

8. *Iesus Christus heri.* Haec unica est ratio qua in recta fide perstemus, si retinemus fundamentum, neque ab eo vel tantillum discedimus. Qui enim Christum non teuet, etiamsi coelum et terram comprehendat, nihil sapit nisi meram vanitatem. In Christo enim inclusi sunt omnes coelestis sapientiae thesauri. Proinde hic est insignis

locus, ex quo discimus non aliam recte sapiendi esse regulam, quam ut sistamus omnes nostros sensus in solo Christo. Caeterum quia cum Iudeis agebat, docet, Christum semper eundem principatum tenuisse quem hodie tenet: ac semper sui fore similem usque ad finem mundi. Heri, inquit, et hodie, idem etiam in saecula. Quibus verbis significat, Christum, qui nunc mundo fuit exhibitus, ab initio mundi regnasse: nec ulterius fas esse progredi, postquam ad eum perventum est. Heri ergo totum veteris testamenti tempus complectitur. Ac ne quis subitam paulo post mutationem exspectaret, quia recens adhuc erat evangelii promulgatio, pronuntiat, sic nuper revelatum esse Christum, ut perpetuo duret eadem eius cognitio. Hinc appareat non de aeterna Christi esseutia apostolum disputare, sed de eius notitia, quae omnibus saeculis viguit inter pios, ac perpetuum ecclesiae fundamentum fuit. Certum quidem est, prius fuisse Christum quam virtutem suam exsereret. Sed nunc quaeritur quid tractet apostolus. Ideo dico ad qualitatem (ut ita loquar) referri hunc sermonem, non ad essentiam: quia non disputatur an aeternus fuerit apud patrem, sed qualis fuerit eius notitia inter homines. Caeterum manifestatio Christi, quantum ad externam speciem et modum, diversa quidem fuit sub lege, ab ea quau Hodie habemus: sed id non obstat quominus vere et proprie dicat apostolus, eundem semper esse Christum iu quem respiciunt fideles.

9. *Doctrinis variis.* Colligit non esse fluctuandum: quandoquidem fixa est Christi veritas, in quibus consistere oportet. Et certe hinc opinionem veritas, hinc omne superstitionum genus, hinc omnia errorum monstrata, hinc denique omnes religionis corruptelae, quum iu solo Christo non statuerit. Neque enim frustra docet Paulus, ipsum nobis esse datum a Deo in sapientiam. Ergo huius loci summa est, ut nobis constet firma Dei veritas in solo Christo acquiescendum esse. Unde colligimus, omnes, qui Christum ignorant, omnibus Satanae fallaciis esse expositos: quia extra eum nulla est fidei stabilitas, sed inumerae agitationes. Mirum ergo papistarum acumen, qui contrarium remedium profligandis erroribus excogitarunt: nempe si extincta sit vel sepulta Christi cognitio. Verum haec spiritus sancti admonitio cordibus nostris insideat, non aliter extra periculum nos fore, quam si Christi adhaereamus. Porro doctrinas, quae a Christo nos abducunt, varias appellat: quoniam non alia est simplex ac sincera veritas quam Christi cognitio. Peregrinas autem, quoniam quidquid extra Christum est, Deus pro suo non agnoscet. Quo etiam monomur quorsum tendere nos deceat, si rite volumus in scriptura proficere. Peregrinatur enim quisquis non recta in Christum collimat. Significat praeterea apostolus, ecclesiae Dei semper fore certamen cum peregrinis

doctrinis: nec aliud esse eavendi remedium, quam
ut pura Christi cognitione munita sit.

Bonum enim gratia. Nunc a generali principio ad speciem descendit. Nimirum familiaris, ut notum est, Iudacis supersticio erat in habendo ciborum delectu, quae multis rixis ac dissidiis occasionem praebebat. Erat autem haec una ex peregrinis doctrinis: quia oriebatur ex ignorantia Christi. Ergo postquam fidem nostram in Christo fundavit, ciborum observationem ad summam salutis veramque sanctitatem pertinere negat. Quum cibis opponit gratiam, non dubito quin spiritualem Dei cultum et regenerationem intelligat hoc nomine. Cordis confirmationem ponit, alludens ad verbum circumferendi: ac si diceret, spiritualis Dei gratia vere nos stabiliet, non ciborum observatio. Quid sequitur, nihil profuisse cibos iis qui in illis versantur: incertum est ad quos referat. Nam certe patribus, qui sub lego vixerunt, utilis fuit paedagogia, cuins pars erat ciborum discriben. Videtur ergo hoc potius de superstitionis intelligi, qui revelato evangelio perperam adhuc in veteribus ceremoniis haerebant. Quamquam si de patribus dextere exponas, nihil erit absurdum. Profuit quidem illis, impositum a Domino iugum subire, et se obedienter continere sub communi piorum et totius ecclesiae disciplina: verum apostolus significat, per se nihil valuisse ciborum abstinentiam. Et certe nihil reputanda est, nisi quatenus rudimentum fuit, quo tempore similes pueris erant filii Dei quoad externum regimen. *Versari¹⁾* in cibis, capitur pro habere illorum rationem, ut discrimen sit inter mundum et immundum. Caeterum quod de cibis tradit, licebit ad alios legis ritus extendere.

10. *Habemus altare, de quo edendi non habent potestatem qui tabernaculo serviunt.* 11. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per sacerdotem, eorum corpora cremantur extra castra.* 12. *Quare et Iesus, ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est.* 13. *Proinde examus ad eum extra castra, probrum eius ferentes.* 14. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* 15. *Per ipsum ergo offeramus semper hostiam laudis Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius.*

10. *Habemus altare.* Elegans est anagoge a veteri legis ritu ad praesentem ecclesiae statum. Solenne erat sacrificii genus, cuius mentio fit Levitici 16, unde nulla portio ad sacerdotes et levitas redibat. Hoc nunc impletum fuisse in Christo concinna allusione docet, quoniam hac lege immolatus fuit, ut eo nouo vescantur qui tabernaculo ministrant.

¹⁾ Ambulare.

Per ministros vero tabernaculi, intelligit omnes caeremoniarum cultores. Ergo ut Christo communicemus, tabernaculo renuntiandum esse significat. Nam sicuti altaris nomen immolationem et hostiam comprehendit: sic tabernaculum externas omnes figuram quo cum illo coniunctae erant. Proinde sensus est, Nihil mirum si hodie cessant legis ritus: nam illud figuratum fuit in sacrificio quod extra castra efferebant Lovitae, ut illie cremarent. Nempe quia sicuti nihil inde gustabant tabernaculi ministri: ita si tabernaculo servimus, id est, retinemus eius caeremonias, non orimus participes eius sacrificii quod semel Christus obtulit, nec eius expiationis quam semel perfecit suo sanguine. Sanguinem enim sum, ut mundi peccata expiat, in coeleste sanctuarium intulit.

13. *Proinde examus ad eum.* No frigat superior allegoria, vel anagogica similitudo, coniungit serum exorcitum, quod a Christianis omnibus requiritur. Et hunc similiter docendi ordinem tenere Paulus solet, ut fidelibus ostendat quibus in rebus Deus exerceri eos velit, dum a frivolis caeremoniis eos abducere studet. Perinde ac si diceret: Hoc est quod a vobis exigit Deus: non illud in quo frustra vos fatigatis. Ita nunc agit apostolus. Nos enim dum relicto tabernaculo ad sequendum Christum invitat, longe aliud a nobis postulari monet, quam ut in umbra Deum colamus sub magnifico templi splendore: quia per exilia, fugas, probra, et omne genus aerumnas pergendum sit. Hanc militiam, in qua usque ad sanguinem sudandum est, umbrosis meditationibus opponit, quas solas iactabant caeremoniarum magistri.

14. *Non enim habemus.* Longius extendit existum cuius meminerat: nempe ut in hoc mundo peregrini ac vagi, nobis nusquam esse fixam stationem, nisi in coelo, cogitemus. Itaque quoties vel pellimur ex aliquo loco, vel aliqua nobis mutatio accedit, meditemur quod hic apostolus docet, non esse nobis certam in terra sedem, quia coelum sit nobis haereditas: magisque ac magis exereitati ad ultimum semper exitum nos comparemus. Nam quibus nimis quieta est vita, nidum sibi fere in hoc mundo finiunt. Quare nobis qui ad tales segnitiam propensi sumus, saepe hue illuc agitari prodest, ut in coelum convertere oculos discamus, qui nimium alioquin deorsum inclinant.

15. *Offeramus hostiam laudis.* Redit ad specialem illam doctrinam, quam attigerat, de abrogatis caeremoniis veteribus. Praevenit autem quod contra obici poterat. Nam quum sacrificia tabernaculo subsint, quasi appendices: illo abolito, sequitur haec quoque desinere. Atqui apostolus docuerat, quum extra portam passus sit Christus, nos quoque illuc vocari, atque ideo ipsum sequi volentibus, deserendum esse tabernaculum. Hic oriebatur quaestio, nunquid

Christianis nulla supersint sacrificia. Nam hoc absurdum foret, quum instituta fuerint ad professionem divini cultus. Mature itaque apostolus occurrit, ac dicit aliam sacrificandi formam nobis relictam esse, quae Deo non minus placeat: nempe ut illi vitulos labiorum offeramus, quemadmodum loquitur Oseas propheta (14, 3). Porro sacrificium laudis non tantum peraeque gratum esse Deo, sed pluris etiam quam omnia externa, quorum usus fuit sub lege, satis aperte ex Psalmo 50 constat. Nam Deus illa omnia repudians tanquam nihil, sibi laudis sacrificium offerri iubet. Videmus ergo, hunc praestantissimum esse Dei cultum, et qui merito aliis quibuslibet exercitiis praefarendus sit, quum Dei bonitatem gratiarum actione celebramus. Hic, inquam, sacrificandi ritus est, quem Dominus hodie nobis commendat. Quamquam non dubium est quin tota nominis Dei invocatio hic notetur sub una parte. Neque enim gratias illi agere possumus, nisi ab eo exauditi. Nihil autem impetrat, nisi qui precatur. In summa, significat sine brutis animalibus nos habere quod offeramus Deo, et eum hoc modo rite ac perfecte a nobis coli. Caeterum ut apostoli consilium est docere qualis sit sub novo testamento legitima colendi Dei forma, sic obiter admonet, non posse a nobis pure invocari Deum, et celebrari eius nomen, nisi per mediatorem Christum. Ille enim solus est qui labia nostra, quae alioqui polluta sunt, ad canendas Deo laudes sanctificat: qui precibus nostris dat aditum: qui denique sacerdotis munus peragit, ut sc in conspectum Dei sistat nostro nomine.

16. *Beneficentiae autem et communicationis necessitatibus immemores.* Talibus enim hostiis delectatur Deus. 17. *Parete praefectis vestris, ac deferete.* Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Id enim vobis non expedit. 18. *Orate pro nobis.* Confidimus enim quod bonam habemus conscientiam, cupientes in omnibus honeste versari. 19. *Magis autem vos hortor ut id faciatis, quo celerius vobis restituatur.*

16. *Beneficentiae.* Hic alteram quoque rite atque ordine sacrificandi rationem ostendit: nempe quod omnia caritatis officia, totidem sint hostiae. Quo significat, stulte ac perperam cupidos esse qui sibi aliquid deesse putant, nisi pecudes Deo secundum legem offerant, quum tam uberem ac multiplicem sacrificandi materiam nobis Deus suppeditet. Tametsi enim nihil habere a nobis commodi potest, tamen nominis sui invocationem in sacrificium deputat: et quidem sic praecipuum, ut unum pro omnibus sufficiat. Deinde quidquid in homines beneficiorum conferimus, sibi ipsi fert impensum, et sacrificii etiam nomine dignatur, ut legis rudimenta

nunc non supervacua modo, sed noxia esso appareat, quando a vera sacrificandi regula nos abstrahunt. Summa haec est, si Deo sacrificare libeat, ipsum esse invocandum, et cum gratiarum aetione praedicandam esse eius bonitatem, deinde fratribus nostris beneficiendum esse: haec esse vera sacrificia in quibus occupari veros Christianos deceat: aliis iam non esse tempus vel locum. Et quum dicit, talibus delectatur Deus, subest tacita antithesis, quod nunc votora illa quae mandaverat usque ad legis abrogationem, amplius non postulet. Caeterum huic doctrinae annexa est exhortatio, quae vehementer stimulare nos debet ad exercendam erga proximos beneficentiam. Neque enim haec vulgaris est dignatio, quod quae hominibus impendimus, Deus in sacrificiis sibi oblatis deputat: et quod nostra officia, quae nullius erant pretii, tantopero ornat ut sacra esse pronuntiet. Quare ubi inter nos caritas non viget, non homines tantum fraudamus iure suo, sed Deum ipsum, qui solenni eloquio sibi dicaverat quidquid iubebat hominibus impendi. Communicationis nomen latius patet quam Beneficentiae. Omnia enim officia complectitur quibus se mutuo iuvant homines: atque haec vera est caritatis nota, quum inter se communicant qui Dei spiritu simul sunt coniuncti.

17. *Parete.* Non dubito quin de pastoribus loquatur et reliquis ecclesiae gubernatoribus. Nam neque tunc christiani magistratus erant: et quod vigilare eos dicit pro animabus, ad spirituale regimen proprie pertinet. Primo obedientiam, deinde honorem illis deferri iubet. Haec duo necessario requiruntur, ut plebs fidem ac simul reverentiam pastoribus habeat. Sed notandum est simul, apostolum de iis tantum agere qui munus suum fideliter exercent. Nam qui nihil habent praeter titulum, imo qui pastorum titulo abutuntur ad perdendam ecclesiam, parum reverentiae merentur, et aliquanto minus fidei. Et hoc etiam diserte exprimit apostolus, quum dicit eos pro animabus vigilare: quod non pertinet nisi ad eos qui vere praesunt, ac re ipsa sunt quod vocantur. Bis igitur stulti papistae, qui sui idioli tyrannidem hinc stabilunt. Iubet spiritus, piorum ac fidelium episcoporum doctrinam obedienter amplecti, sanisque consiliis obtemperare. Iubet etiam bonore illos prosequi. Quid hoc episcoporum larvis suffragatur? Atqui non modo tales sunt omnes qui sub papatu vocantur episcopi, sed truculenti animarum carnifices, atque immanes lupi. Verum ut taceam quales sint, hoc tantum in presentia dico, dum pastoribus nostris iubemur subesse, sedulo ac prudenter esse distinguendum quinam sint veri ac fidi praefecti: quia si quibuslibet hunc honorem promiscue deferimus, primum iniuria bonis fieri, deinde non valebit ratio quae hic additur, ideo honore esse dignos, quia pro animabus vigilant.

Proinde ut hoc testimonio iuvetur papa cum suis, necesse prius habebunt omnes, probare se ex eorum esso numero qui pro salute nostra vigilant. Hoc si constet: nihil iam erit controversiae quin reverenter ab omnibus piis colantur.

Ipsi enim vigilant. Quo plus oneris sustinent, eo minori honoro dignos significat. Nam quo quisque plus laboris suscipit nostra causa, et quo maioris difficultate vel periculo so nobis impedit, eo sumus illi magis obstricti. Talis autem episcoporum est functio, ut summas in se molestias, praeter summum periculum, comprehendat. Vix ergo, si grati esse volumus, licebit quantum illis debetur, rependere. *Praccipue vero quum¹⁾* rationem de nobis reddituri sint Deo, indignum esset nullam apud nos haberi eorum rationem. Admonet praeterea, quanta in re nobis eorum opera prosit. Nam si pretiosa nobis est animarum nostrarum salus, minime viles erunt qui pro illa excubant. Ideo autem nos dociles esse iubet promptosque ad obsequendum, ut quod pro officii necessitate faciunt pastores, libenter quoque et alacri animo faciant. Nam si restrictum moestitia vel taedio animum habeant, ut alias probi sint ac fidi, reddentur tamen pigriores: quia una cum hilaritate concidet in agendo vigor. Ideo inutile foro plebi denuntiat apostolus, si ingratitudine sua pastoribus dolorem ac gemitum afferat: ut significet nos sine propriae salutis iactura, non fore pastoribus molestos vel immorigeros. Quum vix decimus quisque hoc cogitet, hinc apparent quantum vulgo sit salutis neglectus. Nec mirum est si tam pauci hodie reperiantur qui strenue pro ecclesia Dei vigilent. Praeterquam enim quod paucissimi sunt similes Paulo, qui os apertum habeant clausis populi auribus, et constricto populi corde, suum ipsi dilatent: Dominus etiam ingratitudinem vindicat quae ubique fere invaluit. Quare meminerimus de nostra pervicacia poenas sumi, quoties frigent in officio pastores, vel minus sunt seduli quam expediret.

18. *Confidimus enim.* Postquam se eorum precebus commendavit, ut eos ad precandum incitet, praedicat se bonam habere conscientiam. Quamvis enim totum mundum complecti debeant preces nostrae, sicuti caritas ex qua manant: peculiariter tamen nos de piis et sanctis hominibus convenit esse sollicitos, quorum nobis comperta est probitas, aut aliae virtutis notae. In hunc ergo finem conscientiae suae integritatem commemorat, ut eos magis commoveat ad suscipiendam sui curam. Quum dicit: Persuasus sum, vel confido, partim hec modestiae servit, partim fiduciae. Particula in omnibus, tam ad res quam ad homines referri potest: itaque in medio relinquo. Aliud argumentum addit,

non tam sibi uni privatim, quam illis omnibus utiles fore preces quas pro ipso concipient. Ac si diceret: Non tam mihi consulo quam vobis omnibus: quia in hoc commune omnium bonum agitur, ut vobis restituar. Hinc colligi forte posset probabilis conjectura, epistolae autorem tunc fuisse aut negotiis implicitum, aut detentum persequotionis metu, quominus sistere se tam cito coram posset quibus scribenthal. *Quanquam fieri potest ut liber et expeditus sic loquatur, quia reputet hominis gressus in manu Dei esse.* *Idque verisimilius appetet ex fine epistolac.¹⁾*

20. *Porro Deus pacis,* qui eduxit ex mortuis pastorem ovium magnum in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum, 21. confirmet vos in omni opere bono, ut faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod acceptum sit coram ipso, per Iesum Christum, cui gloria in saecula saeculorum. Amen. 22. *Horror autem vos, fratres, suscipite sermonem exhortationis.* Et enim brevibus vobis scripsi. 23. Scitote fratrem Timotheum solutum esse, cum quo, si celerius venerit, videbo vos. 24. *Salutate omnes qui praesunt vobis et omnes sanctos.* Salutant vos Itali. 25. *Gratia cum omnibus vobis, Amen.*

20. *Deus pacis.* Ut mutuo faciat quod pro se fieri cupit, epistolam claudit precatione. Petit autem a Deo ut illos in omni opere bono confirmet, vel aptet, vel perficiat. Id enim valet *καταπτίσαι.* Unde colligimus, nos ad bene agendum minime aptos fore, donec a Deo formati simus: nec in bono diu staturos, nisi nos confirmet. Est enim proprium eius donum perseverantia. *Nec dubium est, quum iam in illis non vulgaria lucerent dona spiritus, ut visum est, non primam formam qua inchoentur, sed expolitionem qua perfecti reddantur, optari.* Iam definitionem bonorum operum ponit, quum Dei voluntatem statuit pro regula. Nam ita significat, non alia esse habenda bona opera, nisi quae ad Dei voluntatem exiguntur, sicuti etiam Paulus ad Romanos 12, 2, et pluribus aliis locis docet. Meminerimus ergo hanc esse bene et sancte vivendi perfectionem, dum vita ad eius obedientiam est composita. Quod proxime sequitur membrum, ad explicationem valet. Faciens, inquit, quod acceptum sit coram illo. *Loquutus erat de voluntate, quae in lege patefacta est: nunc ostendit, frustra Deo obtredi quod non praecepit, quia sua placita pluris facit quam omnes mundi inventiones.* Quum dicit Per Iesum Christum, bisarium hoc potest exponi: vel, faciens per Iesum Christum: vel, quod illi placeat per Iesum Christum. Ac uterque sensus optime congruit. Scimus enim et spiritum re-

¹⁾ ergo.

¹⁾ Haec exstant iam in edit. a. 1541.

generationis et omnes gratias nobis conferri Christi beneficio. Deinde certum est, quum nihil omni ex parte absolutum a nobis prodeat, nihil posse gratum esse Deo sine venia, quam per Christum obtinemus. Ita fit ut nostra opera gratiae Christi odore perfusa, suavem fragrantiam spirent coram Deo, alioqui foeteant. Mihi non displicet ad utrumque simul extendi. Clausulam hanc precationis: cui gloria, ad Christum libenter refero. Quum autem hic tribuat Christo quod in solum Deum competit, luculentum hoc modo testimonium reddit eius divinitati. Quamquam si quis de patre malit interpretari, non repugno. Altorum potius amplexor, quia minus est remotum.

Qui eduxit ex mortuis. Hoc epithetum ad confirmationem additum est. Significat enim, tunc rite demum a nobis Deum invocari, ut nos ad perfectiōnem adducat, quum eius potentiam agnoscimus in Christi resurrectione, Christumque ipsum agnoscimus pastorem. In summa, vult nos in Christum respicere, ut bene de auxilio Dei speremus. Nam ideo excitatus est Christus a morte, ut nos eadem Dei virtute renovemur in vitam aeternam. Et magnus est omnium pastor, ut sibi a patre commissas oves tueatur. Ubi transtuli in sanguine, alii reddunt per sanguinem: sed quum Δ plerumque sumatur pro cum, in eo sensu hic accipere magis placet. Videatur enim mihi apostolus hoc velle, Christum ita surrexisse a mortuis, ut mors tamen eius non sit abolita, sed aeternum vigorem retineat. Ac si dixisset, Deus filium suum excitavit, sed ita ut sanguis, quem semel in morte fudit, ad sanctionem foederis aeterni, post resurrectionem vigeat, fructumque suum proferat, perinde ac si semper fluere.

22. Hortor autem vos. Quidam ita accipiunt ac si audientiam sibi fieri peteret: ego aliter. Nam meo iudicio, se paucis aut breviter scripsisse commemorat, ne videatur minuere quidquam voluisse ex quotidiano more docendi: praesertim tamen de exhortationibus loquitur, in quibus fuit brevior. Dis-

camus ergo non ideo traditam nobis scripturam, ut sileat inter nos vox pastorum: nec simus fastidiosi, quum eaedem subinde auribus nostris exhortationes insonant: Sic enim moderatus est spiritus Dei quo prophetis et apostolis scripta dietabat, ut instituto a se ordini nihil derogaret. Hic autem ordo est, ut assidue in eccllesia exhortationes ex ore pastorum audiantur. Fortassis et hac de causa exhortationis sermouem commendat, quod quum natura discendi cupidi sint homines, semper novum aliiquid doceri malunt, quam de rebus notis et saepius auditis moneri. Accedit etiam quod quum sibi indulgent in sua pigritia, aegre se pungi et castigari sustinent.

23. Scitote fratrem. Quoniam terminatio verbi graeci γνώσετε utriusmodo convenit: legi potest Scitis, vel Scitote. Atque haec posterior lectio mibi placet, tametsi priorem non reiicio. Probabile enim est, Iudeis transmarinis indicari quod nondum sciebant. Caeterum si hic est Timotheus nobilis ille Pauli comes (quod ego libenter recipio) verisimile est Lucam vel Clementem esse autorem huius epistolae. Paulus quidem filium magis vocare solet. Deinde, quae mox subiicit, Paulo non convenient. Apparet enim hunc qui scribit, liberum fuisse ac suaे potestatis, ac praeterea alibi potius tunc fuisse quam Romae. Imo verisimile est circumisse per varias urbes, et tunc paratum fuisse ad traiiciendum mare. Hacc autem omnia vel Lucae vel Clementi post Pauli mortem accidere potuerunt.

24. Salutate. Quum Hebreis communiter omnibus hanc epistolam scribat, mirum est cur iubeat aliquos, quasi e numero segregatos, salutari. Sed praefectis, meo iudicio, salutationem hanc peculiariter adscribit, honoris causa, ut eos sibi conciliet, placidiusque ad consensum doctrinae adducat. Quum addit sanctos omnes: vel fideles intelligit qui erant ex praepatio, ut colere inter se discant unitatem Iudaei et gentiles: vel huc spectat, ut qui hanc epistolam habuerint primi, cum aliis communient.



COMMENTARIUS
IN
EPISTOLAS CATHOLICAS.



EPISTOLA PETRI APOSTOLI PRIOR.

ARGUMENTUM.

Consilium Petri est in hac epistola, fideles ad sui abnegationem mundique contemptum hortari, ut liberi carnis affectibus, terrenisque omnibus impedimentis soluti, ad coeleste Christi regnum toto animo adspirent: ut spe erecti, suffulti patientia, fortitudine et constantia muniti, tentationes omne genus superent, atque hoc studium et meditationem tota vita prosequantur. Itaque statim a principio, qua potest verborum amplitudine, Dei gratiam nobis in Christo patefactam praedicat. Simul autem addit, fide recipi ipsam, et spe possideri, ut mentes et corda pii supra mundum attollant. Inde ad sanctitatem hortatur, ne inane reddant pretium quo redempti sunt: et ne incorruptibile verbi semen, quo regeniti sunt in vitam aeternam, corrumphi vel emoriantur. Quia autem verbo Dei renatos dixerat, simul mentionem facit spiritualis infantiae. Porro ne vacillet aut titubet eorum fides, quia Christum a toto fere mundo vel contemni, vel reiici vident, admonet hoc modo impleri quod de co scriptum est, fore lapidem scandali. Sed rursus docet stabile esse iis qui in eum credunt salutis fundamentum. Hinc iterum commemorat in quantum honorem ipsos Deus extulerit, ut pristini sui status commemoratione, et praesentis beneficii sensu animentur ad pie vivendi studium. Postea delabitur ad particulares exhortationes: ut modeste et obedienter sub principum imperio se contineant: ut servi dominis sint subiecti: uxores pareant maritis suis, pudice et continenter se gerant: ac vicissim mariti uxores humanter tractent. Deinde praecipit ut mutuam inter se aequitatem colant: quod ut libentius faciant, fructum illis proponit prosperam vitam et quietam. Quia

tamen Christianis quasi fatale est, utcunque pacem quaerant, multis iniuriis non raro vexari, mundumque sibi nulla de causa habere infestum: hortatur ut aequis animis sustineant persecutiones, quas sciunt sibi in salutem cessuras. In eam rem adducit Christi exemplum. Ex adverso admonet quam infelix exitus impios maneat interea dum ecclesiam suam Dominus mirabiliter per mortem a morte liberat. Longius deinde profert Christi exemplum, nempe ad carnis mortificationem. Huic exhortationi subnectit varias et breves sententias: sed paulo post reddit ad patientiae doctrinam, ut consolatione mala sua temperent fideles, dum reputant utile sibi esse paterna Dei manu castigari. Initio quinti capituli, seniores officii sui admonet, ne imperium usurpent in Ecclesiam, sed moderate sub Christo praesint. Iuvenibus modestiam ac docilitatem commendat. Tandem brevi exhortatione addita, epistolam precatione claudit. Unde autem scribat, non convenit inter omnes: nec tamen causam video cur dubitamus ipsum tum fuisse Babylone, diserte enim hoc affirmat. Sed quoniam invaluerat persuasio, ipsum Antiochia Romam migrasse, et Romae fuisse mortuum: hoc solo argumento adducti veteres, Babylonem allegorice Romam vocari finxerunt. Caeterum quum nulla probabili conjectura temere persuasum habuerint quidquid tradunt de romano Petri episcopatu: pro nihilo quoque ducendum est hoc allegoriae figmentum. Multo sane verisimilius est, Petrum, ut ferebat apostolatus ratio, peragrasse eas regiones in quibus plures habitabant Iudei. Scimus autem Babylone et in illis partibus magnam fuisse copiam.

CAPUT I.

1. *Petrus apostolus Iesu Christi, electis inquilihinis qui dispersi sunt per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam, 2. secundum praeognitionem Dei patris, in sanctificatione spiritus, in obedientiam et adspersionem sanguinis Iesu Christi: gratia vobis et pax multiplicetur.*

1. *Petrus apostolus.* Quidquid commune habet haec salutatio cum Paulinis, novam expositionem non desiderat. Quum Paulus gratiam et pacem precatur, verbum subticet: Petrus autem addit ut multiplicetur, sed eodem sensu. Neque enim gratiae aut pacis initium fidelibus Paulus optat, sed augmentum, donec absolvat Deus quod in illis coepit.

Electis. Quaeri potest unde hoc compertum habuerit: nam arcana est Dei electio, nec aliter cognoscitur quam singulari spiritus revelatione. Atqui ut suae quisque electionis certior fit spiritus testimonio, ita de aliis nihil certi tenet. Respondeo, de fratum electione non esse anxie quaerendum, sed a vocatione potius aestimandam: ut pro electis habeantur quicunque per fidem in ecclesiam sunt cooptati. Eos enim Deus a reliquo mundo segregat, quod electionis signum est. Nec obstat quod plerique deficiunt, in quibusdam mera est dissimulatio: est enim hoc caritatis, non fidei indicium, quum electos censemus omnes in quibus divinae adoptionis nota appareat. Quod autem electionem eorum non petat ex abscondito Dei consilio, sed ex effectu eam colligat, patet ex contextu. Nam paulo post, eam in sanctificatione spiritus locat. Quatenus ergo prae se ferebant se Dei spiritu regenitos, in electis Dei ipsoe numerat: quia non sanctificat Deus nisi quos prius elegit. Simul tamen admonet unde fluat electio qua segregamur in salutem, ne cum mundo pereamus: dicit enim secundum praeognitionem. Hic inquam fons et haec prima causa est, quod Deus apud se ante creatum mundum cognovit quos eligere vellet in salutem. Sed prudenter notandum est qualis sit haec praeognitione. Sophistae enim ut Dei gratiam obscurant, cuiusque merita a Deo praevideri fingunt: atque ita reprobos

ab electis discerni, prout quisque hac vel illa sorte dignus est. Scriptura autem ubique Dei propositum, in quo fundata est nostra salus, meritis nostris opponit. Quum ergo Petrus electos vocat secundum praeognitionem Dei, significat non aliundo pendere eius causam, sed in solo Deo quaerendam esse: quia ipse sibi sponte ad nos eligendos autor fuerit. Ergo Dei praeognitione submovet omnem humanae dignitatis respectum. Qua de re diffusius tractavimus Ephesiorum primo capite, et aliis in locis. Quemadmodum tamen in electione nostra primas gratuito Dei beneplacito assignat: ita rursum vult eam ex effectu a nobis cognosci. Nihil enim periculosius ac magis praeposterum est, quam omissa vocatione, electionis nostrae certitudinem quaerere in abscondita Dei praescientia. Hic enim nimis profundus est labyrinthus. Quare ut huic periculo occurrat Petrus, optimum temperamentum adhibet. Quamquam enim primo loco vult considerari Dei consilium, cuius causa nonnisi in ipso est: mox tamen ad effectum nos revocat, quo electionem nostram nobis declarat ac testatur. Effectus ille est spiritus sanctificatio, hoc est, vocatio efficax, dum ad externam evangelii praedicationem accedit fides, quae ex interiore spiritus motu nascitur.

Inquilihinis. Qui metaphorice sic vocari putant quoslibet pios, quia in mundo peregrini sint qui ad coelestem patriam contendunt, longe falluntur: et satis refelli potest eorum error ex dispersionis nomine quod proxime sequitur. Nam in solos Iudeos competit, non tantum quia huc et illuc disiecti exsulabant a patria, sed quoniam electi erant ex ea terra, quae illis in perpetuam haereditatem a Domino promissa erat. Omnes quidem fideles postea vocabit inquilihinos, quia in terra peregrinantur: sed hic alia est ratio. Ideo itaque inquiliini erant, quod pars in Pontum, pars in Galatiam, pars in Bithyniam dispersa erat. Nec mirum quod Iudeis hanc epistolam proprie destinat: quia sciebat illis se constitutum apostolum, quemadmodum Paulus docet secundo ad Galatas capite (v. 8). Sub regionibus, quas enumerat, comprehendit totum Asiae minoris tractum, a Ponto Euxino usque in Cappadociam.

In obedientiam. Quum sanctificatione duo haec subiiciat, videtur obedientiae nomine intelligere vitae

novitatem: per adspersionem vero sanguinis Christi, remissionem peccatorum designare. Quod si istae sunt partes vel effectus sanctificationis, aliter hic sanctificatio capitur quam saepe apud Paulum, hoc est magis generaliter. Sanctificat ergo nos Deus, efficaciter nos vocando. Id autem fit dum renovamur in obedientiam iustitiae eius, et Christi sanguine adspersi mundamur a peccatis. Ac videtur tacita esse allusio ad veterem adspersionis ritum, quo sub lege utebantur. Quemadmodum enim non satis tunc fuisset mactari hostiam et fundi sanguinem, nisi adspersus fuisset populus: ita nihil hodie nobis prodesset fusum Christi sanguinem fuisse, nisi ipso conscientiae nostrae abluerentur. Subaudienda igitur est antithesis, quod sicut olim sub lege manu sacerdotis fiebat sanguinis adspersio: ita nunc spiritus sanctus animas nostras Christi sanguine in expiationem adspexit. Nunc colligenda est summa, salutem nostram manare ex gratuita electione Dei: sed eam simul considerandam esse fidei experientia, in eo quod spiritu suo nos sanctificat. Postremo duos esse vocationis nostrae effectus aut fines: nempe ut reformemur in obedientiam Dei, et Christi sanguine abluamur: praeterea utrumque esse opus spiritus sancti. Unde colligimus nec electionem a vocatione, nec gratuitam fidei iustitiam a vitae novitate separandam esse.

3. Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum multam suam misericordiam regenuit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, 4. in haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, repositam in coelis erga vos, 5. qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem quae parata est revelari tempore ultimo.

3. Benedictus Deus. Diximus praecepsimum esse statum epistolae, ut nos supra mundum erectos, ad sustinenda militiae spiritualis certamina comparet atque animet. Ad eam rem non parum valet beneficiorum Dei agnitus. Nam quum pretium suum apud nos obtinent, facile reliqua omnia vilescent: praesertim quum reputamus quanti sit Christus cum suis bonis, quidquid extra ipsum est, nobis erit instar stercoris. Hac de causa magnifice hic extollit ingentem Dei gratiam in Christo, ne molestum nobis sit nos ipsos et mundum abnegare, ut potiamur inestimabili vitae futurae thesauro. Deinde ne frangamur praesentibus aerumnis: sed patienter eas feramus, in aeterna felicitate acquiescentes. Porro quum gratias agit Deo, fideles ad spiritualem laetitiam invitat, quae omnes absorbeat contrarios carnis affectus.

Et pater Domini. Sic resolve, Deus qui pater est Iesu Christi. Nam sicuti olim se Deum Abrahæ

vocando, hac nota a diis omnibus fictitiis discerni voluit: ita postquam se manifestavit in filio suo, non aliter quam in ipso vult cognosci. Itaque qui nudam Dei maiestatem extra Christum mente concepiunt, idolum habent loco Dei: sicuti Iudei et Turcae. Proinde quisquis verum Deum vere cognoscere cupit, hoc patris Christi titulo ipsum vestiat. Nisi enim quoties mens nostra Deum quaerit, Christus occurrat, vaga et confusa errabit, donec prorsus deficiat. Simil otiam indicare Petrus voluit quomodo tam liberalis et beneficus erga nos sit Deus. Nisi enim medius statuatur Christus, nunquam illius bonitas serio a nobis sentiri poterit.

Qui regenuit nos. Significat vitam supernaturale esse donum: quia filii irae nascimur. Nam si in spem vitae geniti essemus secundum carnem, supervacuum esset nos regnii a Deo. Docet itaque Petrus, nos qui natura morti aeternae eramus destinati, in vitam Dei misericordia restitutos esse. Haec autem veluti secunda est creatio: quemadmodum Ephesiorum primo habetur. Spes viva pro spe vitae capitur: quamquam videtur tacita esse antithesis inter spem, quae in regno Dei incorruptibili defixa est, et inter spes hominum fluxas ac evanidas.

Secundum multam misericordiam. Primo causam efficientem ponit: deinde medium (ut loquuntur) designat. Deum inquam nullis nostris meritis fuisse provocatum docet, nt nos regeneraret in spem vivam: quia hoc totum eius misericordiae assignat. Atque ut melius operum merita redigat in nihilum, dicit multam misericordiam. Fatentur quidem omnes Deum esse unicum salutis nostræ autorem: sed extraneas causas postea affingunt, quae tantundem eius misericordiae detrahant. Petrus vero solam misericordiam commendat, sed modum protinus adscribit, nempe resurrectionem Christi. Neque enim alibi aut aliter suam erga nos misericordiam explicat Deus: ideo semper ad hunc scopum scriptura nos dirigit. Quod autem praeterita Christi morte, solam resurrectionem commemorat, in eo nihil est absurdii. Illa enim sub hac includitur, quia perfectio non constat sine suo initio: resurrectionem vero potius adduxit, quia de nova vita agebat.

4. In haereditatem. Tria epitheta, quae sequuntur, ad gratiae Dei amplificationem posita sunt. In hoc enim laborat Petrus (quemadmodum prius dixi) ut eius excellentiam animis nostris bene ac penitus infigat. Porro haec duo membra, in haereditatem incorruptibilem, et in salutem quae parata est revelari, appositive lego, ut posterius sit prioris expositio. Nam rem unam duobus modis exprimit. Singulis verbis, quae sequuntur, suum inest pondus. Haereditas dicitur in coelis conservata, ut sciamus eam esse extra

periculum. Nisi enim in manu Dei esset, infinitis periculis esset obnoxia: si esset in hoc mundo, quomodo securi esse possemus inter tam varias inclinationes? Ergo ut nos omni trepidatione liberet, salutem nostram extra Satanae iniurias in tuto positam esse affirmat. Sed quia salutis certitudo parum nobis afferret consolationis, nisi eam unusquisque nostrum ad se pertinere seiret, addit Petrus, erga vos. Ilue enim placide recumbunt conscientiae, quam Dominus e coelo elamat. En vestra salus in manu mea est, vobisque servatur. Caeterum quia non omnium promiseo est salus, ad fidem nos revocat: ut quiunque fide praediti sunt, a reliquo se discernant: nec dubitent quin veri ac legitimi sint regni Dei haeredes. Nam ut fides in coelos usque penetrat: ita et quae in coelo sunt bona, nobis applicat.

5. *Qui virtute Deicustodimini.* Notanda est relatio, quam dicit, nos in mundo custodiri, sicut haereditas nostra in coelo servatur: alioquin statim obreperet haec cogitatio, Quid iuvat salutem nobis osse in coelo repositam, quam nos in mundo tanquam in turbulentio mari iactemur? Quid iuvat salutem nostram statui in tranquillo portu, quin inter mille naufragia fluctuemur? Praevenit igitur apostolus eiusmodi obiectiones, quam docet nos etiam in mundo inter media discrimina fide tamen custodiri: atque ita morti esse propinquos ut tamen sub fidei custodia tuti simus. Caeterum quia in hac earnis infirmitate saepe labascit ipsa fides, possemus semper esse de crastino anxii: nisi hic nobis quoque Dominus succurreret. Ac videmus ut in papatu obtinuerit diabolica opinio, De finali severantia dubitandum esse, quia incerti sumus an statuti eressimus in eadem gratia. Atqui non ita nos Petrus suspensos relinquit: nam ideo virtute Dei stare nos affirmat, ne qua ex propriae infirmitatis conscientia haesitatio nos sollicitet. Quamlibet igitur infirmi simus, salus tamen nostra non est instabilis, quia Dei virtute fulcitur. Ergo sicuti fide protegimur, ita fides ipsa suam in Dei virtute stabilitatem habet. Unde non in praesens modo, sed etiam in futurum securitas.

In salutem. Quia natura impatientes sumus, morae et statim taedio succubimus: ideo salutem admonet non differri quod nondum parata sit, sed quia nondum advenerit iustum revelationis tempus. Haec doctrina ad spem nostram aleandam ac sustinendam pertinet. Porro ultimum tempus diem iudicij vocat, quia non ante speranda sit rerum omnium instauratio. Medium enim tempus est adhuc in progressu. Quod alibi totum a Christi adventu tempus ultimum dicitur, id fit superiorum aetatum comparatione: Petrus autem totum mundi curriculum adspexit.

6. *In quo exultatis paulisper nunc, si opus est, contristati in variis temptationibus: 7. ut probatio fidei vestrae multo pretiosior auro quod perit, et tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem et honorem et gloriam, quam revelabitur Jesus Christus. 8. Quem quam non videritis, diligitis: in quem nunc credentes, quam eum non adspicitis, exultatis gaudio iuuenariabili et glorificato: 9. Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.*

6. *In quo exultatis.* Tametsi ambigua est gracie verbi terminatio, sensus tamen postulat ut legamus exultatis potius quam exultate. Articulus in quo, refert totum illud complexum de spe salutis in coelo repositae. Caeterum non tam eos laudat, quam hortatur. Consilium enim eius est docere quisnam ex spe salutis fructus nobis proveniat: nempe spirituale gaudium, quo non tantum mitigatur malorum omnium acerbitas, sed omnis etiam tristitia vincitur. Quamquam exultandi verbum plus exprimit, quam gaudere. Sed hoc nonnullam habet repugnantiae speciem, dum fideles, qui gaudio exultant, simul tristes esse dicit. Sunt enim contrarii affectus. Verum melius experimento norunt fideles, illos simul consistere, quam verbis exprimi queat. Et tamen ut pannis expediatur haec quaestio, sic habendum est, fideles non esse truncos, nec humandum sensum ita exuisse quin dolore tangantur, quin pericula metuant, quin molesta sit paupertas, quin difficiles ac durae persecutioes. Tristitiam ergo ex malis sentiunt: sed quae ita lenitur fide, ut gaudere propterea non desinant. Ita non impedit tristitia ipsorum gaudium, sed potius locum illi eedit. Rursus gaudium tametsi tristitiam superat, eam tamen non abolet: quia nos humanitate non spoliat. Atquo hinc patet quae sit vera patientia. Initium eius et quasi radix est beneficiorum Dei agnitus, praesertim dum gratuitam, qua nos dignatus est, adoptionem reputamus. Nam quiunque mentem huc attollunt, iis facile est placide mala omnia devorare. Unde enim fit ut moerore animi opprimantur, nisi quia nullum spiritualium bonorum gustum habent? Verum qui omnes aerumnas statuunt exercitia esse sibi utilia in salutem, non tantum supra illas se erigunt, sed etiam vertunt in occasionem gaudii.

Contristati. Annon etiam reprobis communis est tristitia? neque enim a malis sunt immunes. Verum Petrus fideles sponteancam tristitiam suscipere intelligit: quum fremant impii, et contumaciter oblectentur Deo. Tristantur ergo pii, quemadmodum bos domitus iugum suscipit, vel equus subactus fraenari se etiam a pueri sustinet. Tristitia Deus reprobos afficit, quemadmodum equo feroci ac refractario violenta manu fraenum imponitur. Calecent enim et contra nituntur: sed frustra. Laudat

ergo fideles Petrus, quia sponte, non autem necessitate coacti, se tristitiae subiiciant. Quod dicit Paulus per nunc, ad consolationem valet. Nam temporis brevitas, mala quantumvis alioqui dura, non parum temperat. Praesentis autem vitae duratio instar momenti est.

Si opus est. Conditio pro causa hic capitulatur. Ostendere enim voluit, non temere fieri quod ita Deus suos exerceat. Nam si nulla causa nos affligeret Deus, id toleratu grave esset. Petrus ergo argumentum consolationis sumpsit ex Dei consilio: non quod semper ratio nobis appareat, sed quia persuasum nobis esse debet sic fieri eportere, quia Deo placet. Notandum quod non unam temptationem ponit, sed plures: neque unum temptationis genus, sed diversa. Qnamquam huius loci expositionem satius est ex primo capite Iacobi petere.

7. Pretiosior auro. Argumentum est a minori ad maius. Nam si aurum, quod metallum est corruptibile, tanti ducimus ut velimus igne probari, quo suum apud nos pretium obtineat: quid mirum si Deus in fide eandem exigat probationem, quum tanta sit apud eum fidei excellentia? Tametsi autem aliter sonant verba, fidem tamen auro comparat, et eam auro magis pretiosam facit: ut inde inferat dignam esse quae probe examinetur. Porro incertum est quousque extendat verbum δοκιμάζεσθαι, et nomen δοκίμιον. Si quidem bifariam probatur aurum igni: primo quum repurgatur a scoria: deinde quum de eius probitate faciendum est iudicium. Uterque probandi modus fidei optime congruit. Nam quum multae incredulitatis faeces in nobis resideant, dum variis afflictionibus quasi excoquimur in fornace Dei, purgantur fidei nostrae scoriae, ut pura et nitida sit coram Deo. Similiter experimentum eius capitulatur, verane an facta sit. Utramque speciem libenter amplector: atque huc spectat quod mox sequitur. Nam ut suus argento honor non ante habetur, quam purgatum fuerit: ita fidem nostram honorifice habendam esse et coronandam apud Deum significat, ubi rite examinata fuerit.

Quum revelabitur. Hoc additum est ut animos suos in ultimum usque diem suspendere fideles discent. Nunc enim abscondita est vita nostra in Christo, latebitque velut sepulta, donec e coelo Christus apparuerit: et totus vitae nostrae cursus ad interitum externi hominis inclinat: et quaeunque patimur, quasi mortis sunt praeludia. Ergo necesse est ut in Christum coniiciamus oculos, si in afflictionibus gloriam et laudem intueri volumus. Nam tentationes in nobis probri et puderis sunt plenae, in Christo autem gloriesae sunt: sed gloria illa nondum in Christo plene conspicitur, quia nondum advenit consolationis dies.

8. Quem quum non videritis. Duo ponit, Quod

Christum, quem non viderunt, diligant: in eum, quem non conspiciunt, credant. Sed prius ex posteriore nascitur. Dilectionis enim causa est fides, non ideo tantum quia nos beneficiorum quibus nos Christus prosequitur, cognitio ad cum redamandum provocat: sed quia perfectam felicitatem offerendo, nos ad se rapit. Laudat ergo Iudeos quod in Christum credant quem non adspiciunt: ut cogite habeat esse fidei naturam, in bonis, quae oculos nostros latent, acquiescere: nam eius rei aliquod habebant experimentum. Quamquam magis laudando praecipit. Atque hoc prius ordine membrum est, non metiendam esse fidem adspectu. Nam quum misera in speciem sit Christianorum vita, nisi felicitas eorum in spe sita esset, protinus conciderent. Habet quidem et fides suos oculos, sed qui in regnum Dei invisible penetrant, et qui speculo verbi contenti sunt. Est enim demonstratio rerum invisibilium, ut habetur in Epistola ad Hebreos (11, 1). Quare verum est illud Pauli (2. Corin. 5, 6), nos peregrinari a Domino quamdiu hac carne sumus circumdati, quia per fidem ambulamus, et non per adspectum. Secundum membrum est, Fidem non frigidam esse notitiam, sed quae corda nostra inflammat in amorem Christi. Neque enim (ut sophistae garriunt) fides confuse et implicite Deum apprehendit (quia hoc est vagari per iuvios errores), sed Christum pro scopo habet. Porro non arripit nudum Christi nomen, aut nudam essentiam: sed qualis sit nobis, et quid afferat bonorum, considerat. Quia fieri non potest quin eo feratur hominis affectus, ubi felicitatem suam statuit: secundum illud: ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum (Matth. 6, 21).

Exsultatis. Iterum repetit fructum illum fidei cuius meminerat, nec immerito: est enim incomparabile hoc bonus, quod non modo pacatae sunt coram Deo conscientiae, sed iam vitae aeternae fiducia securè exsultant. Vocat autem gaudium inenarrabile, quia pax Dei sensum omnem exsuperat. Quod hic additum glorificatum, bifariam potest exponi: vel ut magnificum ac gloriesum significet: vel ut inani fluxoque opponatur, cuius homines paulo post pudet. Ita glorificatum perinde valebit atque solidum et stabile, et extra periculum frustrationis. Qui haec laetitia non efficerunt supra celos, ut solo Christo contenti mundum despiciant, frustra iactant se habere fidem.

9. Reportantes finem. Admonet quorsum sensus omnes suos dirigere fideles debeant, nempe in salutem aeternam. Mundus enim hic affectus nostros suis illecebris irretitos tenet: vita haec et quaeunque ad corpus pertinent, magna sunt impedimenta, ne animus noster ad futurae et spiritualis vitae cogitationem se applicet. Hanc ergo nobis toto studio meditandam propoenit apostolus: et tacite

subindicat susque deque habendam aliorum iacturam, modo salvae sint unimae. Quum dicit Reportantes, dubitationem illis eximit, quo alacrius contendant dum certi sunt de saluto obtinenda. Interea tamen hunc finem esso fidei decet, ne anxii sint quod adhuc differtur. Nunc enim sufficere nobis debet nostra adoptio: nec petendum est ut anto tempus mittamur in haereditatis possessioem. Posset etiam pro fine, legi merces: sed eodem sensu. Colligimus enim ex apostoli verbis, non aliter nos quam fido consequi salutem. Seimus autem fidem sola gratuitae adoptionis promissione niti. Quod si ita est, certe nequo operum meritis debetur salus, neque inde speranda est. Cur autem animas tantum nominat, quum et corporibus promissa sit resurrectionis gloria? Quoniam immortalis est anima, proprie salus illi attribuitur: quemadmodum et Paulus interdum loqui solet, Ut spiritus salvus sit in die Domini (1. Corint. 5, 5). Atque hoc perinde valet ac si diceretur, salus aeterna. Est enim tacita comparatio vitae mortalis et caducae, quae ad corpus pertinet. Interea tamen non excluditur a gloriae societate corpus, quatenus animae est annexum.

10. *De qua salute exquisierunt et scrutati sunt prophetae, qui de futura erga vos gratia vaticinati sunt:* 11. *scrutantes in quem aut eiusmodi temporis articulum significaret qui in illis erat spiritus Christi: prius testificans venturas in Christum afflictiones, et quae sequiturae erant, glorias.* 12. *Quibus relevatum est quod non sibi ipsis, sed nobis ministrabant haec, quae nunc annuntiata sunt vobis per eos qui vobis praedicarunt evangelium, per spiritum sanetum missum e coelo: in quae desiderant angeli prospicere.*

Salutis huius pretium inde commendat, quod in eam toto studio intenti fuerunt prophetae. Rem enim magnam et singularis excellentiae fuisse oportet, quae prophetas ita ad sui inquisitionem accenderit. Clarius vero etiamnum in eo relucet ingens erga nos Dei bonitas, quod multo plus nobis patefactum hodie est, quam olim diu et sollicite quaerendo consequuti sint prophetae omnes. Interea certitudinem salutis confirmat ab ipsa vetustate: quoniam ab initio mundi legitimum a spiritu sancto testimonium habuerit. Duo haec distincte notanda sunt: quod nobis plus datum esse quam antiquis patribus affirmat, ut hac comparatione evangelii gratiam amplificet: deinde quod de salute nobis praedicatur, non posse aliqua novitate esse suspectum, quia iam olim testatus de ea fuerit spiritus per prophetas. Ergo quum dicit prophetas seiscitatos esse, et scedula inquisisse, hoc ad eorum scripta aut doctrinam non pertinet, sed ad privatum desiderium quo quisque aestuavit. Quae postea sequuntur, ad publicam

functionem referenda sunt. Verum ut singula melius pateant, digerendus est hic locus in certas propositiones. Sit itaque haec prima: quod prophetae qui de gratia, quam nobis exhibuit Christus suo adventu, vaticinati sunt, sedule intenti fuerunt ut tempus plenae revelationis cognoscerent. Secunda: quod spiritus Christi per eos praedixit futurum regni Christi statum, qualis partim iam cernitur, partim vero speratur adhuc: nempe quod Christo et universo eius corporis destinatus sit per varias passiones ad gloriam ingressus. Tertia: quod prophetae nobis uberior quam suo sacculo ministrarunt: idque divinitus illis patefactum fuit: quia in Christo demum est solida earum rerum exhibitio, quarum tunc obscuram imaginem Deus adumbrabat. Quarta: quod non tantum in evangelio continetur luculenta propheticæ doctrinae confirmatio, quando idem spiritus est qui loquitur, sed longe plenior et magis familiaris explicatio: quia salutem, quam minus olim per prophetas indicabat, nunc palam et quasi oculis demonstrat. Ultima est: inde satis constare quam admirabilis sit salutis per evangelium nobis promissae gloria, quod angeli quoque ipsi, licet Dei conspectu in coelis fruantur, illius tamen visendae desiderio ardeant. Omnia vero in unum scopum tendunt, ut Christiani, dum in suac felicitatis altitudinem efferuntur, omnia mundi obstacula superent. Quid enim est quod non extenuet incomparabile hoc beneficium?

10. *De qua salute.* Annon patribus et nobis communis eademque est salus? Cur ergo patres quaevisse dicunt, quasi non adepti sint quod hodie nobis offertur? Facilis solutio est, salutem pro conspicua manifestatione accipi, quae nobis obtigit Christi adventu. Neque aliud sibi volunt haec Petri verba, quam illa Christi (Matth. 13, 16): multi reges et prophetæ optarunt videre quae videtis, nec tamen viderunt: beati igitur oculi vestri, etc. Quum ergo prophetæ non nisi tenuem haberent gustum allatae per Christum gratiae, quantum ad revelationis medium attinet, merito ultra votis suis tendebant. Dum Simeon post Christi conspectum placide et animo pacato se ad mortem comparat, se prius inquietum et anxiū fuisse ostendit. Talis fuit omnium piorum sensus. Et medium inquisitionis denotat, quum addit, in quem aut eiusmodi temporis articulum. Erat enim differentia legis et evangelii, quasi interpositum velum, ne proprius ea, quae oculis nostris exposita sunt, adspicerent. Nec sane aequum erat, absente adhuc sole iustitiae, Christo, plenam lucem tanquam in meridie fulgere. Tametsi autem ipsis necesse fuit intra praescriptos fines se continere: nulla tamen religio fuit ingemiscere proprioris adspectus desiderio. Neque enim quum accelerari redemptionem, et quotidie eam videre cuperent, votum illud ob-

stitit, quin patienter sustinerent, quamdiu eam differe Domino placebat. Porro in vaticiniis notationem temporum quaerere, mihi supervacuum videtur, quando hic non quid docuerint prophetae, sed quid optarint, agitur. Ubi latini interpretes verterunt, de futura gratia: ad verbum legitur, de gratia quae erga vos est. Verum quia idem manet sensus, nolui quidquam mutare. Hoc magis observatu dignum, quod prophetas nou dicit proprio sensu scrutatos esse quo temporis articulo adveniret Christi regnum, sed tantum applicasse sua studia ad revelationem spiritus. Ita nos suo exemplo discendi sobrietatem docuerunt, quia non ultra progressi sunt, quam eos spiritus ducebat. Et certe nullus humanae curiositatis erit modus, nisi spiritus Dei iogeniis praesideat: ne quid aliunde quam ab ipso discere appetant. Atque etiam res altior est spirituale Christi regnum, quam ut in eius investigatione quidquam mens humana proficiat, nisi spiritum habeat directorem. Quare nos quoque huius fraeni moderationi subiicere docet.

11. *Qui in illis erat spiritus Christi.* Primum, qui in illis erat: deinde testificans, hoc est, ad reddendum testimonium. Qua loquutione, praeditos spiritu intelligentiae fuisse prophetas significat, et quidem non vulgarem in modum, utpote qui nobis magistri et testes fuerint: nec tamen lucis huins, quae nobis manifestata est, fuisse compotes. Interea haec eximia est doctrinae eorum laus, dum vocatur spiritus sancti testimonium. Nam quamvis homines praecones ac ministri, ille tamen autor fuit. Nec temere Christi spiritum tunc dominatum fuisse tradit: evangelii autem doctoribus spiritum praefecit e coelo emissum. Significat enim evangelium a Deo profectum esse, et veteres prophetias a Christo dictatas.

Venturas in Christum afflictiones. Ut aequiore animo suas afflictiones ferant, iam olim a spiritu praedictas fuisse admonet. Sed multo plus complectitur: docet enim, hoc christianaee ecclesiae regimen ab initio divinitus fuisse constitutum, ut crux praeparatio esset ad triumphum: et mors, transitus ad vitam: idque clare fuisse testatum. Quare non est cur nos afflictiones ultra modum deiiciant, quasi in illis essemus miseri: quandoquidem spiritus Dei nos beatos pronuntiat. Hic ordo notandus est, quod passiones statuit priore loco: deinde addit sequuturas glorias. Significat enim non posse hanc rationem mutuari vel praeverti, quin gloriam praecedant afflictiones. Ita duplex subest in his verbis sententia: quod prius multis aerumnis premi Christianos oporteat, quam gloria fruantur: et miseras non esse eorum afflictiones, quia proximam gloriam sibi annexam habent. Quum hunc contextum Dous ordinaverit, alteram partem ab altera divellere nostrum non est.

Atque hoc rarae consolationis est, quod nostra conditio, qualis experimur, tot ante saeculis praedicta fuit. Nam inde colligimus, non frustra felicem eius exitum nobis promitti. Deinde agnoscimus non fortuito nos, sed certa Dei providentia affligi. Denique prophetiac instar speculi sunt, ad repreäsentandam nobis in tribulationibus coelestis gloriae imaginem. Dicit quidem Petrus, de venturis in Christum afflictionibus spiritum fuisse testificatum: sed Christum a suo corpore non separat. Itaque non dobet hoc restringi ad Christi personam: sed initium faciendum est a capite, ut membra sua ordine sequantur: quemadmodum Paulus docet opertere nos ei configurari qui primogenitus est inter fratres (Rom. 8. 29). Denique non tractat Petrus quid Christo sit proprium, sed de universalis ecclesiae statu disserit. Sed hoc ad fiduci nostrae confirmationem multo aptius, dum nostras afflictiones in Christo considerandas proponit: quia melius in eo cernimus connexionem mortis et vitae inter nos et ipsum. Et certe hoc ius atque haec ratio est sacrae unitatis, quod in membris suis quotidie patitur, ut postquam in nobis absolutae fuerint eius passiones, suum vicissim complementum habeat gloria. Qua de re plura ad Coloss. 3. cap. et 1. ad Timoth. 4.

12. *Revelatum est quod non sibi.* Hunc locum perperam arripiunt fanatici homines, ut patres, qui sub lege vixerunt, excludant a spe aeternae salutis. Neque enim simpliciter negat quin saeculo suo utiliter ministraverint prophetae, atque ecclesiam aedificaverint: sed tantum docere vult, utilius nobis esse eorum ministerium, quia in saeculorum fines incidimus. Videmus quam magnifice Christi regnum extollant, quam sint in illo ornando assidui, quam studiose ad illud quaerendum omnes stimulent. Atqui praesenti eius adspectu privati sunt per mortem. Quid hoc aliud fuit, quam mensam sternere, ut cibis appositis alii postea vescerentur? Fide quidem delibarunt quae nobis per eorum manum Dominus fruenda transmisit: quin etiam in solidum animae cibum Christi fuerunt participes. Sed nunc de rei exhibitione agitur. Scimus autem his quasi finibus inclusum fuisse munus propheticum, ut se et alios in spem venturi Christi alerent. Ergo eum non nisi absconditum, et quasi absentem possidebant. Absentem dico, non virtute aut gratia: sed quia nondum in carne manifestatus erat. Quare et regnum eius sub involucris adhuc latebat. Denique in terram descendens, quodammodo coelos nobis aperuit, ut spirituales divitias, quae non nisi sub figuris procul ostendebantur, prope cernere liceat. Haec igitur Christi manifestati fruitio discriben inter nos et prophetas ostendit. Unde colligimus quomodo nobis potius quam sibi ministraverint. Caeterum quum divinitus admoniti essent prophetae, differri in aliud saeculum quam praedicabant gra-

tiam, nihilo tamen segniores in eius in praedicatione fuerunt, tantum abest, ut fracti taedio fuerint. Quod si tanta fuit illorum patientia, nos certo bis et ter ingrati, nisi gratiae, quae illis negata fuit, frnitio, nos in omnibus quae patiendae sunt aerumnis erectos sustineat.

Quae annuntiata sunt. Iterum discriminem notat inter veterem doctrinam et evangelii praedicationem. Nam quemadmodum iustitia Dei in evangelio revelatur, testimonium habens a lege et prophetis, ita et coelestis Christi gloria, de qua olim testificatus est spiritus, nunc palam annuntiatur. Simul autem certitudinem evangelii inde comprobat, quod nihil continet nisi iampridem a spiritu Dei testatum. Deinde admonet, eiusdem spiritus auspicis, adeoque ipso dictante et praeceunte, promulgatum esse evangelium, ne quid hic humanum cogitent.

In quae desiderant angeli. Hoc vero maximum evangelii encomium est, quod thesaurum sapientiae continet, angelis adhuc elausum et occultum. Sed obiicit quispiam, minime esse consentaneum, nobis aperta et nota esse quae angelos lateant, qui semper vident faciem Dei, et in regenda ecclesia, omniumque bonorum administratione, eius ministri sunt. Respondeo aperta nobis esse quatenus ea in speculo verbi intuemur. Nec vero nostra altior notitia praedicatur, quam angelorum. Tantum intelligit Petrus ea nobis promitti, quorum complementum angeli videri cupiunt (Ephes. 3, 8). Dicit Paulus in gentium vocatioue innotuisse angelis admirabilem Dei sapientiam. Nam hoc illis novum erat spectaculum, quod Christus mundum perditum, et tot saeculis a spe vitae alienatum aggregabat ad suum corpus. Ita quotidie cum admiratione cernunt magnifica Dei opera in ecclesiae gubernatione: quanto igitur magis stupebunt ad supremum illud divinae iustitiae, bonitatis ad sapientiae specimen, dum Christi regnum complebitur? Illud est igitur arcanum, cuius revelationem adhuc exspectant, et merito exoptant. Tametsi duplex huius loci potest esse sensus: vel quod referatur nobis thesaurus in evaugalio, qui in sui desiderium rapit ipsos angelos, quia illis hoc maxime laetum est spectaculum: vel quod regnum Christi, cuius viva in evangelio effigies expressa est, empide videre appetunt. Atque hic secundus magis videtur congruere.

13. *Quare succincti lumbis mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam, quae ad vos deferatur, gratiam, in revelatione Iesu Christi:* 14. *tanquam filii obedientes, non conformati pristinis, quae in ignorantia vestra regnarunt, cupiditatibus:* 15. *sed quemadmodum is, qui vos vocavit, sanctus est, ita ipsi sancti in tota conversatione reddamini.* 16. *Propterea quod scriptum est: sancti estote, quia ego sanctus sum.*

Ex magnitudine et excellentia deducit exhortationem: ut certo eo magis intentos esse nos decet ad excipiendam Dei gratiam, quo se liberalius in nos effundit. Ac notandus est contextus. Dixerat tantam esse regni Christi altitudinem, ad quem nos vocat evangelium, ut coelestes quoque angeli in eius prospectum assurgant: quid ergo nobis, quia in mundo versamur, agendum est? Certe quamdiu in terra vivimus, tanta est inter nos et Christum distantia, ut frustra nos ad sei nvitet. Ergo necesse exnero imaginem Adae, et totum saeculum omnia quo impedimenta abiicere, ut soluti sursum ad Christum feramur. Praecipit autem iis ad quos seribit, ut expediti et sobrii in oblatam sibi gratiam sperent: deinde ut renuntiantes mundo et priori vitae, se Deo conformat. Hoc ergo prius est exhortationis membrum, ut lumbis mentis succincti animos adiiciant ad spem gratiae sibi allatae. In secundo modum praescribit, ut mutato ingenio ad imaginem Dei formentur.

13. *Succincti lumbis.* Similitudo ex more vestuto sumpta, nam quum oblongas haborent vestes, neque iter facere, neque quidquam operis commode suscipere poterant, nisi succincti. Unde istac loquutiones, accingere se ad iter, vel ad opus et res gerendas. Ergo impedimenta tolli iubet, ut soluti ad Deum contendant. Qui in lumbis subtilius philosophantur, quasi pracciperet libidines restringi debere et arceri, discedunt a genuina apostoli mente. Neque enim alind sibi volunt haec verba quam illa Christi (Luc. 12, 35): Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus verstris: nisi quod Petrus metaphoram duplicat, quum menti lumbos attribuit. Significat autem mentes nostras fluxis huius mundi curis, et supervacuis cupiditatibus implicitas teneri, ne sursum ad Deum tendant. Ergo quisquis vere sperare cupit, in primis se extricare discat, mentemque suam astringere, ne in evanidos affectus diffluat. Eodem et sobrietas pertinet, quam mox subiicit. Neque enim temperantiam solum in cibo et potu commendat, sed spiritualem potius sobrietatem, quum sensus omnes nostros continemus, ne se huius mundi illecebris inebrient. Nam si vel minimus earum gustus furtim nos a Deo abducit, quisquis se in illas ingurgitat, necesse est ut sopitus et stupidus Deum et quae Dei sunt obliviscatur.

Perfecte sperate. Subindicat eos, qui meutes suas laxant ad vanitatem, non solide, ut decebat, et sincere in Dei gratiam sperare. Etsi enim spem aliquam gratiae concipiunt: quia tamen vacillant et fluctuant in mundo, nulla est in spe eorum soliditas. Dicit autem in gratiam quae deferatur, quo sint ad eam recipiendam promptiores. Procul quaerendus esset Deus: ipse autem obviam ultro accurrit. Quanta igitur nostra ingratitudo,

si gratiam nobis ita benigne expositam negligimus? Haec igitur amplificatio ad spem nostram aeuendam plurimum valet. Quod addit in revelatione Christi, bifariam exponi potest. Nam evangelii doctrina Christum nobis revelat: et tamen quia adhuc eum per speculum et in aenigmate videntur, differtur plena revelatio usque in ultimum diem. Prior sensus magis Erasmo placuit, neque ego illum improbo: secundus tamen videtur melius quadrare. Consilium enim Petri est, evocare nos extra mundum: ad eam rem aptissima est adventus Christi memoria. Nam si illuc dirigimus oculos, mundus hie nobis crucifixus est, et nos mundo. Deinde in hac significatione nuper accepit Petrus. Neque novum est apostolis particulam ἐν pro εἰς accipere. Sic itaque interpretor, Non est vobis emetiendum longum iter, ut perveniatis ad Dei gratiam: praevenit enim Deus, dum eam ad vos defert. Sed quoniam fruitio non constat, donec appareat o cœlo Christus, in quo abscondita est salus piorum, spe interea opus est: quoniam frustra alioqui nunc offertur nobis Christi gratia, nisi patienter usque ad Christi adventum sustineamus.

14. *Tanquam filii obedientes.* Primum significat nos in eius honoremque adoptionis vocari a Domino per evangelium. Deinde hac lege nos adoptari, ut nos vicissim obsequentes sibi filios habeat. Tametsi enim filios non facit obedientia, quum gratuitum sit adoptionis donum: eos tamen ab alienis discernit. Quousque vero haec obedientia se extendat Petrus docet, quum vetat Dei filios huius saeculi desideriis configurari, vel se accommodare: sed hortatur ut se potius Deo conforment. Summa totius legis et omnium, quae a nobis exigit Deus, hue spectat, ut in nobis reluceat eius imago, ne simus filii degeneres. Hoc vero fieri non potest quin renovemur, et examus imaginem veteris Adae. Hinc colligimus quem in tota vita scopum proponere sibi Christiani debant: nempe ut sanctimonia et puritate Deum referant. Sed quoniam omnes carnis nostrae sensus Deo repugnant, totumque mentis nostrae ingenium adversus eum inimicitia est: ideo Petrus a mundi abnegatione incipit. Et certe quoties de instaurazione imaginis Dei in nobis agit scriptura, inde orditur, ut aboleatur vetus homo cum suis desideriis.

Quae in ignorantia. Tempus ignorantiae vocat antequam in fidem Christi vocati essent. Unde discimus incredulitatem malorum omnium fontem esse. Neque enim ignorantiae nomen usurpat ut solemus vulgo. Falsum enim illud est platonicum dogma, sola ignorantia peccari. Verum uteunque redarguat infideles conscientia, errant nihilominus tanquam caeci in tenebris: quia neque viam tenent, et luce vera privati sunt. In hunc sensum dicit Paulus (Eph. 4, 17), Ne posthac ambuletis, quem-

admodum et gentes in vanitate mentis suae: quae mentem habent obtenebratam, alienatae a vita Dei propter ignorantiam quae in illis est. Ubi non viget Dei notitia, illuc regnum occupant tenebrae, error, vanitas, privatio lucis et vitae. Neque tamen haec impediunt quominus male sibi concili sint impii peccando, suumque in coelo indicem, et intus apud se earnificem sentiant. In summa, quoniam regnum Dei regnum est lucis: quicunque ab eo alieni sunt, caecos esse, et in labyrintho errare necesse est. Interea menemur, ideo nos illuminatos esse in Dei notitiam, ne amplius vagis desideriis circumferamur. Itaque quantum quisque progressus est in vitae novitate, tantum profecit in Dei notitia. Verum hic exoritur quaestio: quum Iudeos alloquatur, qui semper in lege versati erant, et qui in unius Dei cultu fuerant educati, cur illos tanquam profanos homines, ignorantiae et caecitatis damnet. Respondeo, hinc optime constare quam insipida sit extra Christum omnis scientia. Merito Paulus, dum refellere vult eorum ostentationem qui sine Christo sapere volebant, uno verbo dicit, ipsos non tenere caput (Coloss. 2, 19). Tales erant Iudei, qui innumeris alias corruptelis imbuti, velum habebant oppositum oculis, ne Christum in lege cernerent. Erat quidem vera lux ea doctrina in qua instituti erant: sed caecutiebant in luce, quamdiu sol iustitiae illis erat absconditus. Quod si literales quoque legis discipulos, quamdiu Christum ignorant unicam Dei sapientiam, Petrus tanquam profanos homines in tenebras ablegat: eo maiore studio ad eius notitiam eniti nos decet.

15. *Qui vos vocavit, sanctus est.* A fine vocationis argumentatur. Deus nos sibi in peculium segregat: ergo iniquitatem omnibus puros esse oportet. Et sententiam citat, quae sapius a Mose repetitur. Nam quia populus Israel nondique profani gentibus cinetus erat, ex quibus pessima exempla et innumeris corruptelas lauirire promptum erat, subinde eum ad se revocat Dominus: ac si diceret, Mecum vobis negotium est: vos mei estis: ergo a gentium pollutionibus abstinet. Est hoc nobis nimium proclive, respicere in homines, ut communem eorum vitam sequamur. Ita fit ut alii alias turmatim ad omne malum rapiant, donec sua vocatione nos Dominus separet. Quod autem sanctos instar sui esse iubet, non est comparatio aequalium: sed quantum fert captus noster, hoc tendere debemus. Et quoniam longe a scopo semper absunt etiam perfectissimi, magis ac magis quotidie emitendum est. Meminerimus autem, non tantum nobis praeeipi quid officii nostri sit: sed Deum quoque simul addere, Ego sum qui sanctifico. Addit in tota couversatione, ut nulla sit pars vitae, quae non hunc bonum sanctitatis odorem redoleat. Videmus enim ut in rebus

minutus et prope mibili Dominus populum summ ad hanc meditationem assuefecerit, quo magis sollicite sibi favoret.

17. *Et si patrem invocatis eum, qui sine personae acceptione secundum cuiusque opus iudicat: in timore conversantes, tempus incolatus vestri transigite:* 18. *scientes quod non corruptibilibus argento vel auro redempti sitis a vana vestra conversatione a patribus tradita,* 19. *sed pretioso sanguine velut agni immaculati et incontaminati Christi:* 20. *qui praeordinatus quidem fuerat ante conditum mundum, manifestatus autem est extremis temporibus propter vos,* 21. *qui per ipsum creditis in Deum qui eum suscitavit ex mortuis, et gloriam illi dedit, ut fides vestra et spes sit in Deum:* 22. *purificantes animas vestras in obedientia veritatis per spiritum, in fraternalm caritatem non fictam, ex puro corde diligithe vos mutuo impense.*

17. *Et si patrem invocatis.* Invocare Deum patrem hic dicuntur, qui se profitentur eius filios. quemadmodum dicit Moses, Gen. 48, 16, invocandum esse nomen Iacob super Ephraim et Menassem, ut in eius filiis censeantur. Quo sensu etiam gallice dicimus reclamer. Respicit autem ad id quod prius dixerat, Tanquam filii obedientes. Atque ex patris ipsius natura declarat quale obedientiae genus praestandum sit. Iudicat, inquit, absque intuitu personae, hoc est, nou ducitur externa larva, quemadmodum homines: sed cor intuetur, 1. Samuel. 16, 7. Et oculi eius in fidem respiciunt, Iere. 5, 3. Hoc etiam est quod sibi vult Paulus, Rom. 2, 2, quum Dei iudicium docet secundum veritatem esse. Nam illic in hypocritas invehitur, qui Deum inani colore ludi posse sperant. Summa est, nos minime erga Deum defungi, si ei ad oculum obsequamur: non enim hominem mortalem esse, cui satisfaciat persona: sed intus legere in corde nostro quales sumus: non pedimus aut manibus leges praescribere, sed spiritualem requirere iustitiam. Quum autem dicit secundum opus, hoc nihil vel ad meritum, vel ad mercedem. Hic enim non est de operum meritis disputatio, neque de salutis causa: sed tantum admonet Petrus, apud Dei tribunal personae respectui non esse locum, sed veram cordis sinceritatem aestimari. Hoc loco fides etiam sub operis nomine comprehenditur. Hinc facile liquet quam inepta sit et puerilis consequentia, Deus qualis sit quisque nostrum, ex integra conscientia, non ex specie externa iudicat: ergo operibus salutem consequimur. Porro timor, cuius meminit, securitati opponitur: qualis obrepere solet ubi spes est impune fallendi. Nam quum tam perspicax sit Dei oculus, ut in abditos usque cordis recessus penetret, sollicite non perfunctorie cum eo ambulandum. Incolatum vocat pracsentem vitam,

non quo sensu Iudeos, quibus scribit, vocavit initio epistolac inquilinos: sed quia pii omnes in hoc mundo peregrinantur, Heb. 11, 13, 38.

18. *Scientes.* Aliud argumentum a redemptionis nostrae pretio, quod nobis semper in memoriam veniro debet quum de salute nostra agitur. Nam qui evangelii gratiam repudiat aut spernit, ei non modo vilis est et abiecta sua salus, sed etiam sanguis Christi, quo eam aestimavit Deus. Scimus autem quoniam horrendum sit sacrilegium, sauginem filii Dei profanare. Quaro nihil est quod nos ad sanctitatis studium aerius stimulare debeat quam huius pretii memoria. Aurum et argentum amplificandi causa opponit ex adverso: ut sciamus totum mundum et quaecunque hominibus pretiosa sunt, ad huius pretii excellentiam nihil esse. Dicit autem redemptos a vana conversatione: ut sciamus totam hominis vitam exitialem esse errorum labyrinthum, donec ad Christum conversus fuerit. Deinde significat, non meritis nostris fieri ut in viam reducamur: sed quia Deus pretium, quod pro salute nostra impendit, vult in nobis esse efficax. Ergo sanguis Christi non modo salutis nostrae pignus est, sed vocationis etiam nostrae causa. Porro monet Petrus cavendum esse ne ipsum incredulitas nostra exinaniat, vel irritum reddat. Quum iactet Paulus se pura conscientia Deum colere usque a proavis: et idem Timotheo ad imitationem commendet pietatem aviae Loidos et matris Eunices: dicat etiam Christus de Iudacis, ipsos scire quem Deum adorent: videri potest hoc absurdum, quod Petrus Iudeos sui temporis nihil ex patrum institutione didicisse asserit praeter meram vanitatem. Respondeo, Christum, quum Iudeis rationem, vel scientiam religionis quam tenent, constare praedicat, respicere ad legem potius et mandatum Dei quam ad vulgus hominum. Quia euim templum non temere erectum fuerat Ierosolymis, neque illic hominum arbitrio, sed iuxta legis praescriptum colebatur Deus: ideo dicit Iudeos non errare in hac legis observatione. Quantum ad Pauli proavos, Loidem, Eunicem, et similes, non dubium est quin exiguae saltem reliquias in populo illo Deus semper habuerit, in quibus sincera pietas manebat: interea corpus ipsum populi mire corruptum erat, et difluxerat in omne errorum genus. Regnabant innumerae superstitiones, invaluerat hypocrisia, salutis fiducia ad nugas nescio quas traducta erat: non modo pravis opinionibus imbuti erant, sed crassis etiam deliriis fascinati. Qui vero in diversas mundi plagas dispersi erant, maioribus corruptelis erant impliciti. Denique maxima ex parte gens illa a vera pietate vel defeccorat prorsus, vel multum degeneraverat. Quum ergo patrum institutionem damnat Petrus, separat eam a Christo, qui solus est legis anima et veritas. Hinc vero colligimus,

simul atque discedunt homines a Christo, eos exitia-
liter errare. Frustra hic vel patrum autoritas, vel
mos antiquus praetexitur. Iudeis enim clamabat
propheta Ezechiel (10, 18), In iustitiis patrum
vestrorum ne ambulate. Hoc quoque non minus
hodie inter nos valere debet. Nam ut efficax et
fructuosa nobis sit Christi redemptio, pristinae vitae
renuntiandum est, uteunque ex patrum institutione
fluxerit. Ter ergo stulti papistae, qui nudum patrum
nomen ita sibi ad omnium superstitionum defen-
sionem sufficere putant, ut hae fiducia secure respuant
quidquid ex verbo Dei adducitur.

19. *Velut agni.* Significat hac similitudine, in
Christo nos habere quidquid veteribus sacrificiis
adumbratum fuit. Quamquam praecipue alludit ad
agnum paschalem. Atque hinc discendum est quid
nobis prodest legis lectio in hae parte. Tametsi
enim abolitus est sacrificandi ritus, non tamen
parum hoc fidem nostram iuvat, veritatem conferre
cum figuris: ut quidquid illae continebant, in hae
quaeramus. Agnum, qui immolandus erat in Pesah,
iubebat Moses integrum et sine macula deligi. Idem
saepius de sacrificiis repetitur: ut Levitici 3 et 22,
Numerorum 28, et aliis locis. Hoc dum Petrus ad
Christum accommodat, ideo legitimam fuisse et Deo
probatam victimam docet, quia integer et omni
macula purus fuit. Nam si quid habuisset in se
vitii, non poterat rite Deo offerri, nedum iram eius
placare.

20. *Qui praeordinatus.* Rursum ex compara-
tione, Dei gratiam amplificat, qua peculiariter eius
saeculi homines dignatus fuerat. Neque enim aut
vulgare aut parvum est, quod Christi manifestatio-
nen Deus in illorum usque aetatem distulit, quum
tamen illum aeterno suo consilio in mundi salutem
ordinasset. Simul tamen admonet, non esse hoc
novum vel subitum Dei respectu, quod Christus in
salutem apparuit: quae res in primis cognitu ne-
cessaria est. Praeterquam enim quod suspecta est
semper novitas: qualis posset stabilitas fidei nostraes
esse, si crederemus, post aliquot annorum millia re-
pente tandem venisse Deo in mentem remedium
quo succurreret hominibus? Denique non possun-
mus tranquilla fiducia recumbere in Christum, quin
statuamus aeternam in eo esse salutem, semperque
fuisse. Praeterea Iudeos alloquitur Petrus, qui
iam olim promissum fuisse audierant: et quamquam
nihil veri, aut liquidi, aut certi de eius virtute et
officio tenebant: residua tamen inter eos manebat
haec persuasio, redemptorem patribus a Deo esse
promissum. Quaeritur tamen, quum ante mundi
creationem nondum lapsus esset Adam, quomodo
destinatus fuerit Christus redemptor: remedium
enim malo posterius esse debuit. Respondeo, hoc
ad Dei praescientiam referri. Nam certe Deus
antequam hominem creasset, non diu staturum in

sua integritate preevidit. Ergo pro admirabili sua
sapientia et bonitate Christum ordinavit liberatorem,
qui perditum genus humanum ab interitu ciperet.
Nam in eo melius reluet incomparabilis Dei boni-
tas, quod malum nostrum gratiae suae remedio
antevorterit: ac prius vitae restitutionem statuit,
quam in mortem cecidisset primus homo. Si quid
praeterea desideret lector, ex Institutione nostra
petat.

Manifestatus. Sub hac voce tam exhibitionem
ipsius Christi, quam evangelii promulgationem com-
prehendi puto. Nam Christi adventu exsequutus est
Deus quod statuerat: et quod obscurius indicaverat
patribus, ad liquidum et plenum evangelii doctrina
nobis patefecit. Dicit hoc esse factum in his tempo-
ribus, eodem sensu quo Paulus ad Galatas capite
4, 4, dicit, Tempore plenitudinis. Haec enim ma-
tura est opportunitas, et vera perfectio, quam Deus
suo decreto preefixit.

Propter vos. Non excludit patres, quibus inutilis
fuit promissio: sed quia nos illis praetulit Deus,
quo maior erga nos est gratiae amplitudo, eo plus
reverentiae, ardoris, et studii a nobis exigi signifi-
cat. Addit autem, qui creditis: quia non ad
omnes promiscue pertinet Christi manifestatio, sed
eorum est propria quibus per evangelium illucet.
Notanda autem est haec loquutio, qui per ipsum
credit in Deum, qua breviter fidei natura ex-
primitur. Nam quum incomprehensibilis sit Deus,
nunquam ad eum perveniet fides, nisi in Christum
recta se conferat. Imo duae sunt rationes cur nulla
possit esse fides in Deum, nisi Christus quasi
medius interveniat. Nam primo consideranda est
divinae gloriae magnitudo, et simul ingenii nostri
tenuitas. Multum certe abest quin acies nostra tam
alte condescendere possit, ut Deum apprehendat.
Omnis itaque cogitatio de Deo extra Christum im-
mensa est abyssus quae sensus omnes nostros proti-
nus absorbeat. Huius rei luculentum exstat spe-
cimen non in Turcis modo et Iudeis, qui sub Dei
titulo somnia sua adorant: sed etiam in papistis.
Tritum est illud scholarum axioma, Deum esse ob-
iectum fidei. Ita de abscondita eius maiestate,
praeterito Christo, prolixe et argute philosophantur:
sed quo successu? Miris deliriis se intricant, ut
nullus sit errandi finis. Fidem enim nihil esse
putant nisi imaginariam speculationem. Ergo me-
minimus, non frustra Christum vocari invisibilis
Dei imaginem: sed ideo hoc nomen illi esse im-
positum, quia Deus nisi in ipso cognosci nolit.
Altera ratio est, quod quum fides coniungere nos
Deo debeat, omnem accessum refugimus et horre-
mus, nisi occurrat mediator qui nos metu liberet.
Beccatum enim, quod regnat in nobis, et nos Deo
exosos reddit, et illum vicissim nobis. Ergo simu-
latusque mentio Dei facta est, necesse est nos horrore

corripi. Quod si appropinquamus, iustitia eius instar ignis est qui nos penitus consumat. Hinc apparet, non posse nos Deo credere, nisi per Christum, in quo se Deus quodammodo parvum facit, ut se ad captum nostrum submittat: et qui solus tranquillas reddit conscientias, ut familiariter ad Deum accedere audeant.

21. *Qui cum suscitavit.* Addit, Christum fuisse excitatum a mortuis, ut firmam haberent fulturam fides et spes nostra, qua niterentur. Quo rursus commentum de universali et confusa in Deum fide refellitur. Nam ut nulla sit Christi resurrectio: Deus nihilominus in coelo manet. Atqui Petrus negat in euui credi posse, nisi Christus resurrexit. Constat ergo, fidem aliud quam nudam Dei maiestatem intueri. Et merito ita Petrus loquitur: fidei enim est in eos penetrare, ut illic Patrem inventiat. Quomodo id poterit, nisi Christum habeat ducem? Per ipsum (inquit Paulus) habemus adiungi fiduciam, Eph. 3, 12. Item Hebr. 4, 16: Freti nostro Pontifice, accedere possumus ad thronum gratiae cum fiducia. Spes est ancora animae, quae ad interius sanctuarii adytum intrat: sed non nisi praeceunte Christo, Hebr. 6, 19. Fides victoria est nostra adversus mundum, 1. Iohan. 5, 4. Quid autem ita eam reddit vietricem, nisi quod Christus, coeli et terrae Domiuus, nos in fide tutelaque sua habet? Quoniam ergo in Christi resurrectione et summo imperio sita est nobis salus, illic fides et spes inveniunt quo se fulciant. Nisi enim resurgendo, de morte triumphasset, ac nunc summum principatum teneret ad nos sua virtute protegendos, quid nobis fieret in tanta hostium potentia, et inter tam violentos insultus? Discamus itaque in quem scopum collimare nos oporteat, ut vere fidamus Deo.

22. *Purificantes animas vestras.* Erasmus male vertit, Qui purificastis. Non enim praedicat apostolus quales sint, sed quales debeant esse, admonet. Est quidem participium praeteriti temporis: sed quod in gerundium resolvi potest, animas purificando, etc. Sensus autem est, non fore capaces gratiae animas nostras, donec purgatae fuerint, quo immundities nostra arguitur. Sed ne vim purificandi animas videatur nobis adscribere: mox correctionem addit, per spiritum, ac si diceret: Purgandae sunt animae: sed quia id non potestis, offerte eas Deo, ut per spiritum suum tollat earum immunditatem. Animas tantum nominat: quamquam a carnis etiam inquinamentis nos mundari oportet: quemadmodum iubet Paulus 2. Corinth. 7, 1, sed quia praecipua est interior munditios, et externam secum necessario trahit, eius tantum mentionem facere satis habuit Petrus: ac si dixisset, non externas modo actiones corrigi oportere, sed corda ipsa penitus reformari. Modum postea designat: nam in eo sita est animae puritas, si nos Deo in obe-

dientiam addicimus. Veritatem accipit pro regula, quam nobis Dominus in evangelio prescribit. Neque tantum de operibus agitur: quin potius hic fides primatum tenet. Ideo specialiter Paulus eam esse tradit, qua obedimus Deo, Rom. primo et ultimo capite, et Petrus in Act. 15, hoc elogium illi tribuit, quod per eam Deus corda purificet.

In fraternalm caritatem. Breviter admonet quid praecipuo in vita nostra oxigat Deus, et in quem scopum studia omnia dirigenda sint. Sic Paulus, quum de fidelium perfectione concionatur, ad Ephesios primo, eam in caritate statuit. Quod eo diligentius notandum est, quia mundus suam sanctitatem in nughis nescio quibus concludens, hoc summum caput fere negligit. Videmus ut papistae in mille commentitiis superstitionibus se absque modo satagent: interea ultima est caritas, quam in primis Deus commendat. Haec ergo causa est cur nos ad eius studium revocet Petrus, quum de vita rite instituenda agitur. Prius de carnis mortificatione loquutus est, et nostra cum Deo conformatio: nunc autem admonet qua in re exerceri nos velit Deus tota vita: nempe ut mutuam inter nos dilectionem colamus: nam ea testamur nos Deum quoque diligere. Atque hoc experimento probat Deus quinam ipsum vere diligent. Vocat eam ἀγαπήσατο, sicut Paulus prioris ad Timotheum, cap. 1, 5, quia nihil difficilius quam sincere animum applicare ad proximos diligendos. Regnat enim amor nostri, qui plenus est simulatione: deinde suum quisque amorem, quo alios prosequitur, proprio commodo metitur potius quam pio communicandi studio. Addit, impense, nam quo sumus natura segniores, eo magis ad fervorem et contentionem acuere se quisque debet: neque id semel duntaxat, sed in dies magis ac magis.

23. *Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per sermonem videntis Dei et manentis in aeternum.* 24. *Quandoquidem omnis caro tanquam herba, et omnis gloria eius tanquam flos herbae. Exaruit herba, et flos eius decidit:* 25. *Verbum autem Domini manet in aeternum. Hoc autem est verbum quod annuntiatum est vobis.*

23. *Regeniti, etc.* Aliud exhortationis argumentum, quod quum novi sint homines et a Deo regeniti, vitam Deo et spirituali regeneratione dignam ipsos instituere deceat. Videtur autem connectur hoc debere cum sententia quae proxime sequetur de rationali lacte appetendo, ut vivendi ratio generatione respondeat. Potest tamen latius extendi, ut cohaereat etiam cum superioribus. Nam in genere colligit Petrus quae ad studium rectae et sanctae vitae incitare nos possunt. Hoc ergo est Petri consilium, ut doceat nos non sine regeneratione esse

Christianos: quia non praedicatur evangelium ut tantum audiatur a nobis, sed ut animas nostras, tanquam immortalis vitae semen, penitus refingat. Porro sermonem corruptibile ideo opponit verbo Dei, ut sciant fideles priori naturae renuntiandum esse, ac ut melius pateat quantum sit discriben inter Adac filios, qui tanta misericordia nascuntur homines, et filios Dei qui renovantur in coelestem vitam. Cacterum quia ambigua est graecae orationis syntaxis, possumus legere tam sermonem viventem Dei, quam Dei viventis. Quia tamen minus coacta est haec posterior lectio, eam potius amplectior. Quamquam notandum est, haec epitheta Deo attribui pro loci circumstantia. Nam sicuti ad Heb. cap. 4, 12, ex eo quod Deus omnia perspicit, ac nihil est illi absconditum, ratiocinatur apostolus, sermonem ipsius Dei ad intimas usque medullas penetrare, ut cogitationes et affectus discernat: ita quum hoc loco Petrus eum viventem nominat et semper manentem, hoc ad sermonem referunt, in quo illa Dei perpetuitas relucet, tanquam in vivo speculo.

24. *Quandoquidem omnis caro.* Locum Iesaiæ (40, 6) apte citat ad probationem utriusque membra: hoc est, ut constet quam fluxa et misera sit prima hominis nativitas, et quanta regenerationis gratia. Nam quia illuc propheta de restitutione ecclesiae concionatur, ut locum illi faciat, homines redigat in nihilum, ne sibi placeant. Scio a quibusdam torqueri haec verba in alium sensum. Quidam enim de Assyriis exponunt, ac si diceret propheta, non esse cur Iudei sibi a carne tantopere metuant, quae similis est flori caduco. Alii inanem fiduciam reprehendi putant, quam Iudei locabant in humanis praesidiis. Sed utrumque sensum refellit propheta ipse, dum subiicit: Utique herba est populus. Disserte enim vanitatem Iudeos damnat, quibus promittit instauracionem a Domino. Hoc itaque est quod iam dixi, donec ostensa fuerit hominibus sua inanitas, non esse ad recipiendam Dei gratiam comparatos. In summa, talis est prophetæ contextus, Quoniam Iudeis exilium instar mortis cuiusdam erat, novam de integro consolationem illis promittit. Deum enim adhuc prophetas missurum cum eiusmodi mandato: Adhuc dicet Dominus, inquit, consolamini populum meum: ac in deserto et vastitate nihilominus vox prophetica resonabit, ut via Domino sternatur. Quoniam autem purgari animos perversa superbia, qua turgent, necesse est, ut Deo aditus pateat, subiicit quod hic refert Petrus de evanida carnis gloria. Quid est homo? inquit, gramen. Quid est hominis gloria? flos herbae. Nam quia difficile persuasu erat, hominem, in quo tantum præstantiae apparet, esse herbae similem, quadam concessionis specie utitur propheta: ac si dicret, Sit sane aliqua carnis gloria: sed ne ea

vobis oculos perstringat, scitote emarcidum esse florem. Postea ostendit qualiter subito evanescat quidquid hominibus conciliat gratiam: nempe spiritus Dei flatu. Quo significat, hominom videri aliquid, donec ac Deum accedat, sed totum eius fulgorem nihil esse coram Deo: denique eius gloriam in mundo residere, locum non habere in regno coelesti.

Exaruit herba. Putant multi hoc non nisi ad exterrum hominem pertinere, sed falluntur: spectanda est enim comparatio verbi Dei cum homine. Nam si corpus tantum et ea quae sunt praesentis vitae intelligeret, dicendum secundo loco fuerat, animam longo excellentiorem esse. Atqui flori et herbae non nisi sermonem Dei opponit: sequitur ergo, in homine solam vanitatem inveniri. Ideo quum de carne et eius gratia loquitur Iesaias, totum hominem, qualis et quantus in se est, comprehendit, nam quod verbo Dei quasi proprium adscribit, vult homini detrahere. Denique idem agit propheta quod Christus Iohan. 3, 3, hominem prorsus a regno Dei esse alienum, nihil nisi terrenum, caducum et inane habere, nisi renatus fuerit.

25. *Verbum autem Domini.* Non docet propheta quale sit in se verbum Dei: sed quale a nobis sentiatur. Postquam enim exinanitus est homo in se ipso, restat ut alibi quaerat vitam. Hanc ergo vim atque efficaciam tribuit Petrus verbo Dei ex autoritate prophetæ, ut esse solidum et aeternum nobis conferat. Huc enim respicit propheta, non esse stabilem vitam nisi in Deo: eam vero nobis communicari per verbum. Quamlibet ergo caduca sit hominis natura, aeternus tamen per verbum efficitur, quia refingitur in novam creaturam.

Verbum quod annuntiatum est vobis. Primum admonet, quum verbi Dei fit mentio, perperam nos facere, si illud in aere aut in caelo a nobis remotum imaginamur: debere enim agnoscit nobis patefactum est a Domino. Quid est igitur sermo Domini, qui nos vivificat? Nempe lex, prophetæ, evangelium. Extra hos revelationis fines qui vagantur, pro verbo Domini non nisi Satanae imposturas et sua deliria apprehendent. Quod eo diligentius notandum est, quia impii et lucinianici homines astute relinquentes verbo Dei suum honorem, interea nos a scripturis abducere conantur: ut impurus ille canis Agrippa, dum verbi Dei aeternitatem magnifice extollit, scurriliter illudit prophetis et apostolis, atque ita oblique verbum Dei subsannat. In summa, quomadmodum iam admonui non fieri hic de verbo mentionem quod in pectore Dei clausum lateat, sed quod ab ore eius profectum, ad nos manavit: ita rursus habendum est, Deum per apostolos et prophetas voluisse nobis loqui, et illorum ora os unius Dei esse. Deinde quum dicit

Petrus, vobis annuntiatum est, significat, verbum non alibi quam in praedicatione, quae nobis offertur, quaerendum esse: et sane non aliter viam illam aeternitatis sentimus quam fide. Atqui nulla erit fides, nisi verbum destinari nobis sciamus. Eodem pertinet quod diebat Moses populo (Deut. 30, 12): no dixeris in corde tuo, quis adseendet in eolum, etc. Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Illam enim concessionem cum hac Petri congruere Paulus ostendit, Rom. 10, 6, quum tradit illud esse fidei verbum quod praedicabat. Praeterea hic non vulgari elogio externa praedicatio ornatur, quum Petrus illam esse vivificam pronuntiat. Solus quidem est Deus qui nos regenerat, sed ad eam rem utitur hominum ministerio. Qua ratione gloriatur Paulus Corinthios spiritualiter a se genitos (1. Cor. 4, 15). Certum quidem est eos qui plantant et rigant, nihil esse: sed quoties Dominus benedicere vult eorum labori, spiritus sui virtute facit ut efficax sit eorum doctrina: et vox quae per se mortua est, vitae aeternae sit organum.

CAPUT II.

1. *Proinde deposita omni malitia, et omni dolo, et simulationibus, et invidiis, et omnibus obtrectationibus.* 2. *tanquam modo geniti infantes, lac rationale et dolo vacuum appetite, ut per illud subolescatis:* 3. *Si quidem gustatus quod benignus sit Dominus:* 4. *Ad quem accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus ac pretiosus:* 5. *ipso quoque tanquam vivi lapides aedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum.*

Postquam fideles docuit verbo Dei esse regenitos, nunc hortatur ad ducendam vitam quae genitiae respondeat. Si enim spiritu vivimus, etiam spiritu ambulandum est, ut inquit Paulus (Gal. 5, 25). Ergo non sufficit nos semel a Domino renovatos esse, nisi vivamus ut novas creaturas decet. Haec summa est. Verum quod pertinet ad verba, metaphoram suam continuat apostolus. Nam quia sumus regeniti, puerilem a nobis vitam exigit: quo significat exuendum esse cum operibus suis veterem hominem. Ideo congruit haec sententia cum illa Christi (Matth. 18, 2): nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum Dei. Et infantia haec, carnis vetustati, quae ad corruptionem tendit, a Petro opponitur. Lactis vero nomine, affectus omnes spiritualis vitae comprehendit. Est enim in hac quoque parte antithesis inter vitia, quae recenset, et lac rationale. Ac si dixisset, malitia et simulatio eorum est, qui mundi corrup-

tolis assuefacti haec vitia imbibent: infantiae sincera et omni dolo pura simplicitas convenit. Homines diu vivendo imbuuntur invidia, discent obtrectare alii aliis, erudiuntur ad nocendi artes: denique ad omne mali genus veteratores fiunt: infantes, nondum per aetatem capiunt quid sit invidere, nocere, et similia. Vitia ergo in quibus exerceitata est carnis vetustas, robustis eibis comparat: lac autem vocatur consentanea innoxiae naturae et simplici infantiae vivendi ratio.

1. *Omni malitia.* Non est integra omnium enumeratio quae deponi a nobis oportet: sed quum de veteri homine disputant apostoli, quaedam vitia proponunt in exemplum, quibus totum illius ingenium designant. Nota sunt carnis opera, inquit Paulus (Gal. 5, 19): neque tamen omnia illic colligit, sed in paucis illis, quasi in speculo conspicere licet immensam colluviem quae ex carne nostra securit. Ita et aliis locis, ubi reformare vult totam hominis vitam, paukas tamen species duntaxat attingit, unde intelligi possit genus universum. Perinde ergo valet quod dicit: Atque depositis prioris vitae fructibus, quales sunt, malitia, dolus, simulationes, invidiae, et eiusmodi reliqua, addicte vos contrariis studiis: bonitatem, sinceritatem, modestiam colite. Denique hoc contendit, ut novam vitam sequantur novi mores.

2. *Lac rationale.* Vulgo exponunt hunc locum, qualiter Erasmus transtulit, lac non corporis, sed animae: quasi apostolus hoc verbo se metaphorice loqui admoneat. Ego potius hoc verbum existimo convenire cum illa Pauli sententia (1. Cor. 14, 20): Ne sitis pueri sensu, sed malitia. Ne quis enim putaret intelligentiae expertem infantiam, fatuitatis vero plenam ab eo laudari, mature occurrit: ita lac dolo vacuum iubet appetere, ut tamen recta intelligentia conditum sit. Nunc videmus quorsum haec duo epitheta simul connectat, λογικὸν καὶ ἀδόλον. Sunt enim res in speciem diversae, simplicitas et perspicientia: verum simul miseri oportet, ut ne insipida sit simplicitas: nec pro intelligentia, malitiosa vafrities obrepant. Sic bene temperata erit conditura, iuxta illud Christi, estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbae (Matth. 10, 6). Atque hoc modo solvitur quaestio, quae aliqui obiici poterat. Paulus exprobat Corinthiis, quod pueris sint similes, ideoque solidum cibum ferre nequeant, sed lacte alendi sint (1. Cor. 3, 1). Eadem fere sententia habetur in epistola ad Heb. 5, 12. Verum illic pueris comparantur, qui in pietatis doctrina semper novitii sunt ac rudes tyrunculi, qui in primis elementis haerent, nec unquam penetrant in altiorem Dei notitiam. Lac vocatur crassior et puerilis docendi forma, quum ultra prima rudimenta nunquam fit progressus. Merito itaque hoc vitio vertunt tam Paulus quam autor epistolae

ad Hebraeos. Hic vero lac, non elementaris est doctrina, ut perpetuo quis discat, nunquam ad veritatis perveniat notitiam: sed vitae ratio quae novam genitaram sapiat, quum nos permittimus Deo educandos. Similiter *infantia*, non virili et plane adultae Christi aetati (ut alibi Paulus vocat [Eph. 4, 13]), sed vetustati carnis et prioris vitae opponitur. Porro sicuti perpetua est novae vitae infantia, ita continuum lactis alimentum Petrus commendat: vult enim nos ipso educatos grandescere.

3. *Si quidem gustastis.* Alludit ad illud Psal. 34: Gustate et videte, etc. Hunc vero gustum in Christo percipi significat: ut certe nullam unquam extra Christum requiem animae nostrae invenient. Duxit autem exhortationis argumentum a Dei bonitate, quod eius suavitas, quam in Christo sentimus, allucere nos debeat. Nam quod subiicitur: ad quem accedentes, non simpliciter ad Deum refertur: sed ipsum designat qualis patefactus est in persona Christi. Iam vero fieri nequit quin nos ad se totos rapiat Dei gratia, suique amore inflammet, ex quo serum eius sensum concepimus. Hoc si Plato de suo pulchro affirmit, eu iusumbratilem duntaxat ideam procul intuebatur: multo verius in Deum competit. Hoc ergo notandum, quod Petrus accessum ad Deum cum bonitatis eius gustu coniungit. Sicuti enim necessario Deum horret ac fugit mens humana, quamdiu rigidum ac severum sibi fingit: ita simul ac paternum suum amorem patefecit ipse fidelibus, nihil restat nisi ut posthabitum omnibus, seque adeo ipsos oblii, ad eum properent. In summa, profecit is demum in evangelio, qui corde ad Deum accedit. Verum simul ostendit in quem finem, et qua conditione accedere nos ad Christum oporteat: nempe ut in ipso fundemur. Nam quum in lapidem constitutus sit: hanc vim erga nos proferat oportet, ne frustra et inutiliter quidquam illi a patre iniunctum sit. Occurrit autem scandalo, quum fatetur ab hominibus reprobatum. Nam quia bona pars mundi Christum respuit, multi etiam ab ipso abhorrent: posset hac occasione a nobis contemni. Quemadmodum videmus quosdam imperitos alienari ab evangelio, quia non sit ubique plausibile, nec gratiam suis professoribus conciliet. Atqui Petrus minoris Christum a nobis fieri vetat, utcunque sit mundo contemptibilis: quia nihilominus suum coram Deo pretium honoremque retineat.

5. *Tanquam vivi lapides aedificamini.* Verbum hoc tam indicativi quam imperativi modi esse potest. Nam apud Graecos quoque ambigua est terminatio. Caeterum utrovis modo sumatur, non dubium est quin hortari Petrus velit fideles, ut se in spirituale Deo templum consecrent. Nam a fine vocationis, quale nostrum sit officium, apte ratiocinatur. Porro notandum est quod ex universo fidelium numero domum unam construit. Nam etsi quisque nostrum

Dei templum est ac dicitur, omnes tamen coadunari in unum, et mutua caritate conglutinari necesse est, ut unum ex omnibus templum fiat. Ergo sicuti veram est singulos esse tempa, in quibus Deus per spiritum suum habitat: ita singulos inter se aptari necesse est, ut ad structuram universalis templi convenient. Hoc fit dum sua quisque mensura contentus, intra officii sui terminos se continet: omnes tamen quidquid habent facultatis in commune conferunt. Quod nos lapides vivos appellat, et spirituale aedificium, sicuti prius dixerat Christum, vivum lapidem: in eo subest tacita comparatio veteris templi: atque id valet ad gratiae amplificationem. Eodem pertinet quod subiicit de hostiis spiritualibus. Quanto enim figuris praestantior est veritas: eo magis excellunt omnia sub Christi regnum. Habemus enim coeleste illud exemplar, cui subserviebat vetus sanctuarium, et quidquid Moses in lege instituit.

Sacerdotium sanctum. Haec singularis est dignatio, quod Deus non modo nos sibi in templum consererat in quo habitat ac colatur, sed vult simul esse sacerdotes. Atque hunc duplē honorem ideo commorat Petrus, ut nos ad Dei cultum acrius stimulet. Inter hostias spirituales primum locum obtinet generalis nostri oblatio, de qua Paulus ad Roman. 12, 1. Neque enim offerro quidquam possumus Deo, donec illi nos ipsos in sacrificium obtulerimus: quod fit nostri abnegatione. Sequuntur postea preces et gratiarum actioes, eleemosynae, et omnia pietatis exercitia.

Acceptas Deo. Hoc quoque non parum alacritatis addere nobis debet, quum scimus Deo placere quem illi praestamus cultum: sicuti dubitatio pigritiam secum necessario trahit. Ergo hic tertius est exhortationis stimulus, quod testatur accepta esse Deo nostra officia, ne trepidatio segniores nos reddat. Magno quidem fervore idololatrae feruntur ad fictios suos cultus: sed hoc ideo fit, quia Satan inebriat eorum mentes, ne in operum suorum considerationem veniant. Quoties autem in examen vocantur eorum conscientiae, labascere incipiunt. Certum quidem est fieri non posse ut quisquam serio et ex animo se Deo addicat, nisi certo persuasus sit non frustra se laborare. Sed addit apostolus, per Christum. Nunquam enim ea reperiatur in sacrificiis nostris puritas, ut per se Deo grata sint: nunquam integra ac plena est nostri abnegatio: nunquam tam sincerus precandi affectus, ut decebat: nunquam tam ardenter et strenue incumbimus ad bene agendum, quin mutila sint ac multis vitiis implicita nostra opera. Sed Christus nihilominus illis gratiam conciliat. Diffidentiae igitur, quam de operum nostrorum acceptatione concipere possemus, hic Petrus occurrit, quum dicit accepta esse non praestantiae suae merito, sed

propter Christum. Atque hoc studii nostri ardorem magis accendere dobet, quum audimus Deum tam indulgenter nobis eum agere, ut in Christo aestimet nostra opera quaec in se ipsis nihil merebatur. Quamquam particula haec, per Christum, apte coninngi possit cum verbo offerendi. Nam similis loquutio habetur ad Hebreos cap. 13, 15, per ipsum offeramus hostiam laudis Deo. Idem tamen manebit sensus, quia per Christum offerimus, ut Deo sacrificium placat.

6. Propterea etiam continet scriptura: *cccc pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum: et qui erediderit in illo, non pudebit.* 7. *Vobis ergo qui creditis, pretiosus: incredulis vero, lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic positus est in capit anguli:* 8. *et lapis impactionis, et petra offendiculi iis qui impingunt in sermonem, nec credunt in quod etiam ordinati fuerant.*

6. Continet scriptura. Qui verbum πεπίγενον ad Christum referunt, et exponunt complecti, quia per ipsum inter se hi omnes cohaerent, procul discedunt a mente apostoli. Nihilo magis recipienda est altera expositio, Christum excellere. Simpliciter enim scripturae testimonium citare voluit Petrus. Significat ergo proditum a spiritu sancto in scripturis, vel (quod idem valet) illic comprehendi quod subiicit. Nec vero supervacua fuit proximae sententiae confirmatio. Videmus enim quam levibus de causis ac prope nullis abhorreant multi a Christo, nonnulli vero deficiant. Sed hoc offendiculum praet aliis maxime quosdam impedit: abducit alios quod Christum non modo vulgus hominum contemnit ac respuit, sed qui constituti sunt in aliquo dignitatis gradu, videnturque inter alios excellere. Hic error semper fere viguit in mundo, et hodie nimium grassatur, ut bona pars Christum aestimet ex perverso mundi iudicio. Porro, quae hominum est ingratitudo et impietas, passim contemperitur Christus. Ita fit, dum alii alios respiciunt, ut pauci iustum honorem illi habeant. Ideo admonet Petrus quid de Christo praedictum fuerit, ne eius contemptus aut reiectio a recta fide nos dimoveat. Caeterum primus locus, quem adducit, sumptus est ex Iesaiæ cap. 28, 18, ubi, postquam invectus est propheta in deploratam gentis suae malitiam, tandem subiicit, Non efficiet vestra perfidia quin deus ecclesiam suam instauret, quae nunc per vos tota iacet in ruinis. Modum reparacionis adscribit: Ponam in Sion lapidem. Unde colligimus, sine Christo nullum esse ecclesiae aedificium: neque enim alibi quam in ipso fundari potest, sicut Paulus testatur (1. Cor. 3, 11). Nec mirum: in eo enim comprehenduntur omnes salutis nostræ partes. Ergo quisquis vel minimum ab eo

deflectit, pro fultura præcipitum invoniet. Quare propheta non tantum lapidem angularem ipsum vocat, cui præcipua aedificii moles incumbit: sed lapidem probationis, ad quem exigi debet atque aptari structuræ modus: deinde fundamentum solidum quod structuram universam continet. Proinde ita est lapis anguli, ut sit totius aedificii regula, ut sit unicum fundamentum. Sed Petrus ex prophetæ verbis sumpsit quod præsenti instituto maximo quadrabat, nempe quod sit electus lapis, honorisquo et præstantiae plenus: deinde quod in eo nos fundari oporteat. Honor hue pertinet, ne Christus, uteunquo mundo sit contemptibilis, a nobis spernatur, quando apud Deum summo in pretio est. Quum autem vocat lapidem anguli, significat eos nullam habere suæ salutis curam qui in Christum non recumbunt. Quod aliqui in voce anguli subtilius philosophantur, quasi hoc ideo dictum sit, quod Christus Iudeos et gentes, tanquam duos parietes diversos, simul coniungat, non satis firmum est. Contenti ergo simus simplici expositione, ideo sic vocari, quia aedificii pondus illo nititur. Observandum præterea est, quod propheta Deum inducit hic loquentem. Solus enim ipse opifex ecclesiae suaæ est ac architectus: quemadmodum in Psalmo (48, 9) habetur, quod manus eius Sionem fundavit. Utitur quidem hominum opera ad hanc structuram, et ministerio: sed hoc non obstat quin suum unius opus esse, vere asserat. Christus ergo nobis salutis est fundamentum, quia in hunc finem nobis ordinatus est a patre. Dicit autem in Sion, quia illuc inchoari oportuit spirituale Dei templum. Quare ut solide fides nostra Christo nitatur, veniendum est ad legem et prophetas. Tametsi enim totum orbem ad extremos usque angulos occupat hic lapis: primo tamen in Sion locari necesse fuit, ubi tunc erat ecclesiae sedes. Tunc enim positus fuisse dicitur, quum pater eum manifestavit, ut ecclesiam suam restitueret. Denique sic habendum est, eos Christo nisi solos, qui ecclesiae unitatem colunt: quia non nisi in Sion positus est lapis fulturae. Quia autem ex Sione prodit ecclesia quae nunc quaquaversum diffusa est, illinc quoque fides nostra habet exordium: *sicut dicit Iesaias: E Sion exibit lex, et verbum Domini e Ierusalem (Ies. 2, 3).* Cui respondet illud Psalm. 110, 2, *Sceptrum virtutis tuae emittet Dominus e Sion.*

Qui crediderit. Propheta non exprimit in ipso: sed generaliter dicit: Credens non festinabit. Quia tamen non dubium est quin Deus Christum illic nobis proponat in scopum fidei: fides de qua propheta loquitur, in hunc solum intueri debet. Et certe nemo rite credere potest, nisi qui Christum sibi statuit in quo tota mente consistat. Caeterum prophetæ sententia bifariam potest exponi: nempe ut sit vel promissio, vel exhortatio. Futurum tem-

pus usurpat: Non festinabit, sed quod pro imperativo saepe capitur apud Hebraeos: Ne festinet. Ita sensus esset: Nolite in animis vestris tumultuari, sed placide sustinete vestrum desiderium: et cohibete vestros affectus, donec praestet Dominus quod promittit. Quemadmodum alibi dicit (Ies. 30, 15): In silentio et quiete erit fortitudo vestra. Sed quoniam altera lectio proprius ad Petri interpretationem accedere videtur, eam magis amplector. Et sensus non male conveniet, Credens non nutabit, aut vacillabit: quia firmam ac stabilem fulturam habet. Atque haec insignis est doctrina, quod Christo subnixi, extra lapsus periculum simus. Porro ideum valet pudentieri quod trepidare. Quare genuinum sensum prophetae retinuit Petrus, utcunque graecam versionem sequutus sit.

7. *Vobis ergo qui creditis.* Quum Deus Christum pronuntiet lapidem esse pretiosum et electum, talem nobis fore colligit apostolus. Nam certe illuc describitur Christus, qualem ipsum apprehendimus fidei sensu, et qualem se veris experimentis probat. Quare diligenter notanda est illatio, Christus coram Deo electus est lapis: ergo fidelibus talis est. Sola enim est fides, quae pretium ac excelleutiam Christi nobis patefacit. Quoniam autem apostoli consilium est obviare scandalo quod nobis multitudo impiorum gignit, statim alterum membrum subiicit de ipsis incredulis, quod Christum respuendo non auferant tamen honorem illi a patre datum. In eam rem citatur versus ex Psal. 118, quod lapis, quem reprobarunt aedificantes, statuatur nihilominus in caput anguli. Unde sequitur, Christum, invitis hostibus, manere tamen in suo gradu, in quo pater illum locavit. Quamquam duae sententiae hic notandae sunt. Prior est, Christum oportuisse reiici ab iis qui regimen in ecclesia Dei obtinebant. Altera vero, inanes fore ipsorum conatus: quia impleri oporteat quod Deus decrevit, ut tanquam lapis angularis sustineat aedificium. Porro locum hunc de Christo vere et proprio debere intelligi, non modo spiritus sanctus testis est, et Christus ipse Matth. 21, 42) qui sic exposuit: sed ex eo etiam colligi potest, quod antequam Christus veniret in mundum, vulgo ita receptum erat. Nec dubium quin a patribus quasi per manus tradita esset haec expositio. Itaque videmus pueris quoque ipsis quasi vulgarem fuisse de Messia cantilenam. Quare ego de hac re non longius disputabo. Sumamus itaque pro confessio, Davidem sic fuisse aetate sua lapidem reprobatum, ut Christi personam gesserit. Redeamus nunc ad prius membrum. Christus ab architectis reiicitur: hoc in Davide fuerat prius adumbratum. Nam qui rerum potiebantur, eum habebant pro damnato et perditio. Idem in Christo impletum fuit. Nam qui praeerant gubernandae ecclesiae, ipsum quoque reprobarunt, quantum in ipsis fuit.

Hoc valde percellere infirmos poterat, quum videbant totidem esse Christi hostes, quot erant sacerdotes, presbyteri et doctores, in quibus solis conspicua erat imago ecclesiae. Huic scandalu dum mederi vult Petrus, Davidis testimonio praedictum fuisse admonet quod tunc cernebant fideles. Praesertim autem Iudeos allequitur, ad quos proprie hoc pertinebat. Quamquam non minus hodie utilis nobis est haec admonitio. Nam qui sibi primatum arrogant in ecclesia, infestissimi sunt Christi hostes, ac diabolica rabie persecuntur eius evangelium. Papa se vicarium nominat: videmus autem quam atrocie illi adversetur. Simplices ac imperitos consternat hoc spectaculum. Cur istud? Nempe quia non reputant accidere quod David praedixit. Meminerimus itaque hoc vaticinio non tantum admonitos fuisse qui viderunt Christum a scribis et Pharisaeis reiici: sed nos etiam muniri adversus quotidiana scandala, quae fidem nostram alioqui labefactare possent. Quoties inquam videmus eos qui praesulum titulo gloriantur, insurgere adversus Christum, veniat hoc nobis in mentem, reprobari lapidem ab architectis, sicuti a Davide praedictum est. Quemadmodum autem trita est metaphora aedificii, quum de politico, vel spirituali regimine agitur: ita David architectos vocat quibus commissa est gubernandi cura et potestas: non quod recte aedificant, sed quia nomen habent, et ordinaria potestate sunt praediti. Unde sequitur, non semper fideles ac veros Dei ministros esse, qui sunt in officio constituti. Bis ergo ridiculus est papa cum suis, dum sibi hoc solo praetextu summam et indubiam autoritatem arrogant, quod ordinarii sunt ecclesiae praesides. Primum nihilo iustior aut magis legitima est illorum vocatio ad regendum ecclesiam, quam Heliogabali ad regendum imperium. Verum ut illis demus quod impudenter obtendunt, rite vocatos esse: videmus tamen quid de ordinariis ecclesiae praesulibus David pronuntiet, Christum scilicet ab ipsis reiici: ut porcis haram magis quam Deo templum aedificant. Sequiritur altera pars, quod non efficient magni omnes qui potentia et dignitate sua superbiunt, quin maneat Christus suo loco.

8. *Lapis impactionis.* Postquam fideles consolatus est, quod in Christo habituri sint fundatum solidum et stabile, quamvis maior pars, adeoque primores ipsi nullum illi in aedificio locum assignent: nunc poenam denuntiat quae manet omnes incredulos, ut horum exemplo illi terreatur. In hunc finem citat Iesaiæ testimonium ex capite 8, 14. Illic propheta Dominum minatur fore Iudeis in lapidem offensionis et petram scandali. Hoc proprie in Christum competere, colligi potest ex textu: et Paulus ad Christum accommodat, Rom. 9, 32. Nam in eius persona Deus exercitum se plene

manifestavit. Hic ergo terribilis Dei ultio denuntiatur omnibus impiis, quod illis Christus in offendiculum et impactionem futurus sit, quia in eo fundari renunt. Qualis eniu est Christi firmitudo ad sustinendos omnes qui fide in ipsum recumbunt, talis est durities ad frangendos et conterendos omnes qui illi resistunt. Nihil enim inter ista duo medium est quin vel super eum nos exstrui, vel ad ipsum collidi oporteat.

Qui impingunt in sermonem. Modum hic designat quo in offendiculum Christus cedit: nempe dum se pervicaciter opponunt homines verbo Dei. Hoc fecerunt Indaei: quia tametsi Messiam se velle amplecti profitebantur, ipsum tamen a Deo sibi oblatum, furiose repellebant. In eadem hodie causa sunt papistae: adorant nudum Christi nomen, evangelii doctrinam audire non sustinent. Significat ergo Petrus, omnes qui Christum evangelio suo vestitum non recipiunt, Dei esse adversarios, et eius verbo reluctari: deinde Christum nullis esse exitio, nisi qui caeco malitia et obstinationis impetu adversus Dei verbum irrnunt. Atque hoc notatu in primis utile est, ne vitii nostri culpa Christo imputetur. Nam quum nobis in fundamentum datus sit, illi accidentale est esse petram scandali. In summa, proprium eius munus est nos in spirituale Deo templum aptare: fit autem hominum vitio, ut in ipsum impingant: *quia scilicet incredulitas homines cum Deo in certamen committit. Itaque Petrus, ut conflictum exprimeret, dixit esse incredulos.*

In quod etiam ordinati. Bifariam exponi potest hic locus. Certum quidem est Petrum de Iudeis loqui. Vulgo autem interpretantur, quod positi fuerint ad credendum, quia illis destinata erat salutis promissio: sed alter sensus peraeque quadrare potest, quod ad incredulitatem ordinati fuerint: quemadmodum Pharao dicitur in hoc positus ut Deo resistat, et reprobi omnes in suum finem destinati sunt.¹⁾ *Atque ut in hunc sensum inclinem, facit particula xxi interposita.* Quod si tamen prior exppositio magis arridet, vehemens exprobratio est. Nam inde Petrus incredulitatem populi a Deo electi exaggerat, quod salutem peculiariter sibi ordinatam respuerit. Et certe haec circumstantia bis eos reddit inexcusabiles, quod prae aliis vocati Deum audire recusaverint. Caeterum quod dicit positos fuisse ad credendum, ad externam duntaxat vocationem refertur: nempe intuitu foederis quod Deus promiscue cum tota gente pepigerat. Quamquam (ut dictum est) satis convicta est hominum ingratitudo, quum verbum sibi propositum reiiciunt.

9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium,*

¹⁾ Ego tamen magis in priorem sensum inclino. Videntur enim

gens sancta, populus in acquisitionem, ut virtutes enarretis eius qui vos ex tenebris vocavit in admirabile lumen suum. 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consequuti eratis misericordiam, nunc misericordiam consequuti estis.

9. *Vos genus electum.* Iterum eos ab incredulis separat, ne corum exemplo in transversum acti (ut plerumque fieri solet) a recta fide deficiant. Quoniam ergo absurdum est ut se impiorum societate involvant quos Deus a mundo segregavit, fideles hic Petrus admonet in quantum honorem evecti fuerint: deinde quorsum et ad quid vocati. Porro iisdem elogiis, quae in eos confert, veterem populum ornabat Moses: sed docere vult, ipsos Christi beneficio tantam dignationem, a qua exciderant, de integro recuperasse. Quamquam simul verum est, terrenum duntaxat bonorum istorum gustum praebuisse Deum patribus, solidam exhibitionem in Christo constare. Perinde igitur valet haec sententia, ac si dixisset, patres vestros olim Moses gentem sanctam, regnum sacerdotale, et Dei peculium vocabat: nunc maiori iure in vos competit isti omnes tituli: quare videndum est ne vos illis spoliem vestra incredulitas. Interea tamen quia maior pars gentis incredula erat, Iudeeos fideles apostolus reliquis omnibus tacite opponit, tametsi numero praevalebant: ac si diceret, eos demum genuinos esse filios Abrahae, qui in Christum credunt: eosque solos possessionem retinere bonorum omnium, quae Deus singulari quedam privilegio in totam gentem contulerat. Genus electum vocat, quod sibi Deus, praeteritis aliis, tanquam maxime eximum adoptavit: gentem sanctam, quam dicavit sibi et destinavit in puritatem vitae ac sanctimoniam: populum in acquisitionem, ut illi sit quasi peculium et haereditas. Sic enim simpliciter accipio, quod Dominus nos vocavit, ut tanquam vere suos et sibi addictos possideat. Quem sensum comprobant verba Mosis: si custodieritis pactum meum, eritis mihi in thesaurum peculiarem praecunctis populis. In sacerdotio regali elegans est verborum Mosis inversio. Is enim dicit regnum sacerdotale: quod idem valet. Itaque hoc vult Petrus, patres vestros Moses vocabat sacrum regnum, quia totus populus quasi regia libertate praeditus erat, et ex eius corpore electi erant sacerdotes. Proinde utraque dignitas simul permista erat. Nunc vos estis sacerdotes regii, et quidem praestantiore modo: quia singuli in Christo consecrati estis, ut sitis et regni socii, et sacerdotii participes. Tametsi ergo aliquid vobissem simile habuerint patres, illis tamen longe praestatis. Caeterum postquam diruta est a Christo maceria, ex quacunque simus gente, his omnibus titulis nos Dominus insignit, dum nos populo suo accenset. Porro in his omnibus bene-

ficiis consideranda est antithesis inter nos et reliquum genus humanum: unde melius appetet quam incomparabilis sit erga nos Dei bonitas, qui nos sanctificat, quum polluti simus natura: elegit, quum nihil inveniat in nobis nisi foedum et reprobum: nos ex nihilo sordibus peculum suum facit: profanis sacerdotii honorem confert: Satanae, peccati, et mortis mancipia in regiam libertatem evehit.

Ut virtutes enarretis. Sedulo finem vocationis inculcat, ut eos stimulet ad dandam Deo gloriam. Summa autem est, Deum immensis beneficiis nos dignatum esse, et assidue prosequi, ut per nos illustretur sua gloria. Nam per virtutes sapientiam, et bonitatem, et potentiam, et iustitiam intelligit, et quidquid tale est in quo resulget Dei gloria. Porro has virtutes non lingua modo narrare nos decet, sed tota vita. Haec doctrina quotidie meditanda est, ac singulis momentis debet in memoriam recurrere, huc tendere omnia Dei beneficia quibus nos afficit, ut per nos eius gloria praedicetur. Notandum etiam quod dicit, *vocatos esse ex tenebris in admirabile Dei lumen.* Nam his verbis gratiae magnitudinem amplificat. Si Dominus in itinere nobis occurreret lumen quaerentibus, hoc mediocre esset beneficium: sed hoc multo excellentius, quod nos ex labyrintho caecitatis et tenebrarum abyso eruit. Unde discendum est qualis sit hominum conditio, antequam in regnum Dei transferantur. Atque hec est quod ait Isaias (60, 2): *Tenebrae operient terram, et caligo populos: super te autem videbitur Dominus, et gloria illius in te resulget.* Et sane fieri aliter nequit quin simus in profundis tenebris demersi, postquam a Deo discessimus, qui lux nostra est. Qua de re fusius Ephes. cap. 2.

10. *Aliquando non populus.* Locum Oseae adducit in confirmationem: et optime instituto suo accommodat. Nam postquam Oseas Dei nomine repudium Iudeis indixit, spem illis facit futurae reconciliationis. Hoc Petrus suo saeculo impletum fuisse admenet: nam hic illuc dispersi erant Iudei, quasi laceri corporis membra: imo videbantur resecti esse ex Dei populo: nullus apud eos cultus restabat: gentium corruptelis erant impliciti. Aliud ergo dici non poterat, quam esse a Domino repudiatos. Quum autem in Christo colliguntur, vere ex non populo fiunt populus Dei. Paulus ad Rom. cap. 9, 26, hoc vaticinium ad gentes quoque trahit, nec immerite: ex quo enim ruptum est foedus Domini, quo solo Iudei excellunt, gentibus sunt aquales. Unde sequitur, communiter ad utrosque pertinere quod Deus promittit, ut faciat sibi populum ex non populo.

Non consequiti misericordiam. Hoc ideo additionem fuit a propheta, quo melius exprimeret gratuitum esse Dei foedus, que nos in populum assumit: ac si dixisset, non aliam esse causam cur Dominus

nos pro suis reputet, nisi quia nostri misertus, gratis nos adoptat. *Sola igitur est gratuita Dei bonitas quae nos facit ex non populo, Dei populum, vel alienatos conciliat.*

11. *Amici, adhortor vos tanquam inquilinos et peregrinos, ut abstineatis a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam.* 12. *Conversationem vestram inter gentes bonam habentes: ut in quo detrahunt de vobis tanquam maleficis, ex bonis operibus aestimantes, glorificant Deum in die visitationis.*

11. *Tanquam inquilinos.* Duae sunt huius exhortationis partes: ut animi intus pravis et vitiosis cupiditatibus vacui ac puri sint: deinde ut honeste versentur inter homines: ac bonae vitae exemplo non tantum confirmant pios, sed infideles quoque Deo lucifaciant. Primum autem ut a cupiditatibus carnis eos revocet, hoc arguente utitur, quod advenae sint et peregrini. Sic autem eos appellat, non quia a patria exsularent, ac dissipati essent in diversis regionibus: sed quia filii Dei ubique terrarum agant, mundi sunt hospites. Priore quidem sensu, initio epistolae eos vocavit inquilinos, quemadmodum ex circumstantia loci appetit: sed quod hic dicit, iis omnibus commune est. Ideo enim nos carnis desideria implicitos tenent, quia mente in mundo residemus, nec cogitamus coelum esse patrem: qui autem tanquam peregrini per hanc vitam transeunt, carni nunquam erunt addicti. Carnis autem desideria intelligit, non tantum orassos et cum pecudibus communes appetitus, sicuti sophistae exponunt: sed omnes animae nostrae affectus, ad quos natura ferimur ac ducimur. Certum enim est cogitationem omnem carnis, hoc est naturae non correctae, inimicitiam esse adversus Deum, Roma. 8, 7.

Quae militant adversus animam. Aliud argumentum, quod non possint carnis desideriis morem genere, nisi in suam perniciem. Neque enim certamen hic notat quale describitur a Paulo, septimo ad Rom. capite, et quinto ad Galatas, ut animam statuat tanquam antagonistam: sed hoc dicit, carnis affectus, utcumque illis anima consentiat, in eius exitium tendere. Socordiam enim nostram in eo arguit, quod quum anxie intenti simus ad cavendos hostes a quibus timemus corporis periculum: ita sponte admittimus sonticos animae hostes, ut nos interimant: imo quasi iugulum illis porrigitur.

12. *Conversationem vestram.* Alterum exhortationis membrum, ut se honeste gorant apud homines. Hoc quidem ordine praecedens, ut animi etram Deo purgati sint: sed habenda deinde est hominum ratio, ne scandalo illis simus. Nominatim autem dicit inter gentes quae detrahunt. Erant enim ubique Iudei non tantum exosi, sed

fere detestabiles. Eo itaque magis studendum erat, ut sancta vita et moribus recte compositis, odium ac infumiam nominis sui dolerent. Tenenda enim est illa Pauli admonitio, ne detur occasio iis qui eam captant (2. Cor. 11, 12). Itaque impiorum maledicentiae et sinistri sermones, stimuli nobis esse debent ad recte vivendum. Neque enim secure oscitandi tempus est, dum illi ad observandum quidquid delinquimus, acriter vigilant.

Glorificent Deum. Significat non esse nostra causa laborandum, ut bone de nobis sentiant homines ac loquantur: sed quaerendam esse Dei gloriam: quemadmodum et Christus docet. Modum autem ostendit Petrus: nempe quod bonis nostris operibus adducti infideles, se quoque Deo subiicient: atque ita in suac conversionis ratione dabunt Deo gloriam. Hoc enim significat dies visitationis. Scio quosdam ad extremum Christi adventum referre: sed ego aliter accipio: quod scilicet Deus sancta et honesta suorum vita, tanquam praeparatione utetur, ut in viam errantes reducat. Hoc enim conversionis nostrae initium est, quum Deus paterno oculo respicere nos dignatur: si autem adversa est eius a nobis facies, periremus. Quare dies visitationis merito dicitur, dum nos ad se revocat.

13. *Subditi ergo estote omni humanae ordinationi propter Dominum: sive regi, tanquam supereminenti: 14. sive praesidibus, tanquam iis qui per ipsum mittuntur, in vindictam quidem maleficorum, laudem vero bene agentium. 15. Sie enim est voluntas Dei, ut benefaciendo obstruatis ignorantiam stultorum hominum. 16. Ut liberi, et non quasi praetextum habentes malitiae libertatem: sed tanquam servi Dei.*

13. *Subditi ergo estote, etc.* Nunc ad particulares exhortationes descendit. Et quoniam obedientia erga magistratus, pars est honestae conversationis, ideo ex hac colligit, subditi ergo estote. Nam imperii iugum detrectando, non parvam obloquendi occasionem gentibus dedissent. Et sane hoc potissimum nomine odiosi et infames erant Iudei, quod propter suam pervicaciam, indomiti habebantur. Et quoniam motus, quos in provinciis excitabant, magnarum calamitatum causae erant: ut quisque quieto ac pacato erat ingenio, ita ab illis tanquam a peste aliqua abhorrebat. Haec etiam causa Petrum impulit ut de subiectione tam sedulo praeciperet. Adde quod evangelium multi putabant tale esse praeconium libertatis, ut se quisque a servitute eximere posset. Indignum esse videbatur, servire Dei filios, et mundi haeredes ne corporis quidem sui liberam habere potestatem. Accedebat tunc alia tentatio, quod magistratus omnes Christi erant adversarii, suoque imperio abutebantur: ita nulla in illis reucebat imago Dei, quae praecipuum reverentiam

conciliat. Tenemus nunc Petri consilium: nempe quod necessariis de causis Iudeos hortatus fuerit ad colendum politiae ordinem.

Omni humanae ordinationi. Alii vortorunt creaturam: sed in loquutione nimis obscura et ambigua multo se torquent ut sensum aliquem eliciant. Ego autem non dubito quin Petrus distinctam rationem notare voluerit, qua Deus gubernat humanum genus. Graecis enim verbum κτισειν (unde nomen κτισεως ducitur) fabricare ac aedificium struere significat. Convenit ergo nomen ordinationis, quo admonet Petrus, Deum mundi opificem non reliquisse humanum genus confusum, ut belluino more vivat: sed velut in aedificio rite disposito singulas partes suo loco esse distributas. Et humana dicitur ordinatio, non quod humanitus inventa fuerit: sed quod propria hominum est digesta et ordinata vivendi ratio.

Sive regi. Caesarem ita appellat, meo iudicio, cuius imperium regiones illas continebat, quarum mentionem fecit initio epistolae. Tametsi enim nomen hoc odiosissimum erat Romanis: apud Graecos tamen in usu erat. Vocabant quidem saepe αὐτοκράτορα, sed interdum etiam βασιλεὺς illis dicebatur. Quod autem rationem subiicit, ideo parentum illi esse quia excellit vel eminet, non est comparatio Caesaris cum aliis magistratibus. Tenebat quidem ille summum imperium: sed ista eminentia, quam Petrus commendat, omnibus communis est qui publicam potestatem exercent. Itaque Paulus 13. ad Romanos capite ad omnes magistratus extendit. Sensus autem est, deberi omnibus qui praesunt obedientiam, quia non fortuito evecti sunt ad honorem, sed Dei providentia. Solent enim plerique nimium scrupulose inquirere quo quisque iure adeptus sit imperium: atqui hoc solo contentos esse decet, quod videamus eos praesidere. Ideo Paulus ansam supervacuis obiectibus praecedit, dum pronuntiat, non esse potestatem nisi a Deo. Et hac ratione scriptura toties commemorat, Deum esse qui reges accingit balteo, qui erigit ipsos in sublime, qui regna transfert quocunque voluerit. Praesertim quum de imperatore romano ageret Petrus, hanc admonitionem addi necesse fuit. Certum enim est Romanos malis artibus potius quam legitima causa penetrasse in Asiam, et sibi regiones illas subegisse. Deinde Caesares, qui tunc rerum potiebantur, monarchiam vi tyrannica ad se rapuerant. Petrus itaque haec omnia in disceptationem vocari prohibet: quoniam subditi absque controversia obedire praefectis suis debeant, quia non eminent, nisi Dei manu in sublime evecti.

14. *Sive praesidibus.* Quoslibet magistratus designat, ac si dicere nullam esse speciem praefectureae cui non subiicere se debeant. Hoc confirmat, quia Dei sint ministri. Nam qui pronomen eum, ad

regem referunt, multum falluntur. Est igitur haec communis ratio ad commendandam omnium magistratum autoritatem, quod mandato Dei praesunt et ab eo mittuntur: unde sequitur (quomadmodum et Paulus docet) Deo resistere qui potestati ab eo ordinatae non se obedienter submittunt.

In vindictam. Secunda ratio est cur politicum ordinem reverenter amplecti et colere deceat: quia in commune bonum humani generis constitutus est a Domino. Nimium enim feri et belluini sumus, nisi nobis cordi sit publica utilitas. Hoc itaque in summa vult Petrus, quum Deus mundum conservet magistratum ministerio, quicunque eorum imperium detrectant, eos esse humani generis hostes. Sumit autem duo illa membra, quibus reipublicae statum contineri tradit Plato, bonorum honorem scilicet, et malorum poenam. Nam antiquitus non modo constitutae erant poenae improbis, sed bonis etiam praemia. Caeterum quamvis saepe contingat non recte distribui honores, nec rependi bene meritis praemia: hic tamen non poenitendum est honor, quod boni saltem sub fide et tutela magistratum vivunt, quod non expositi sunt improborum violentiae et iniuriis, quod inter leges et iudicia multo quietius vivunt, suamque existimationem retinent melius, quam si singuli nullo fraeno cohibiti ad suum arbitrium viverent. In summa, haec singularis est Dei benedictio, quod improbis non licet quidquid libet. Obiici tamen hic posset, reges et alios magistratus saepe sua potentia abuti, et tyrannica saevitia grassari magis quam legitimum imperium exercere. Tales fere erant magistratus, quum scripta fuit haec epistola. Respondeo, tyrannos et similes non facere suo abusu quin maneat semper firma Dei ordinatio: quemadmodum non revertitur perpetua coniugii institutio, si uxor vel maritus alter se gerat quam decet. Ergo utcunque aberrent homines, non tamen suo loco movetur fixus a Deo scopus. Si quis iterum excipiat, non obediendum esse principibus qui sacrum Dei ordinem, quantum in se est, pervertunt, adeoque immanes sunt belluae, quum magistratus imaginem Dei referre debeant. Respondeo, tanti debere fieri a nobis ordinem a Deo positum, ut tyrannis etiam, qui imperium obtinent, honor habeatur. Quamquam alia est clarior solutio, nullam unquam fuisse vel posse cogitari adeo saevam et effraenem tyrannidem, in qua non appareat aliqua aequitatis species. Deus enim nunquam hominum improbitate ordinem istum sic extingui patitur, quin lineamenta quaedam semper appareant: deinde genus regiminis quamvis deforme et corruptum, melius tamen sit et utilius quam *ἀνεργία*.

15. *Sic enim est voluntas.* Redit ad superiorem illam doctrinam, ne detur incredulis maledicendi occasio: tametsi minus exprimit quam prius dixerat.

Tantum enim dicit os obstruendum esse stultis. Summa est, sic vivendum esse, ut increduli qui obloqui nobis volunt, obmutescere cogantur. Loquitur quam usurpat, obstruere ignorantiam, quamvis propter novitatem dura sit, sensum tamen non obseurat. Praeterquam enim quod incredulos appellat stultos, notare vult quam habeant causam maledicendi: nempe quia Deum ignorant. Caeterum quod mente et ratione incredulos privat, inde colligimus, rectam intelligentiam non esse nisi in Dei notitia. Ergo quantumvis sibi in suo acumine placeant increduli, et aliis etiam prudentes videantur: spiritus tamen Dei, stultitiae ipos damnat: ut discamus non alibi quam in Deo sapere, sicuti extra ipsum nihil est solidi. Modum autem praescribit cohibendae infidelium maledicentiae: nempe benefaciendo. Quo verbo complectitur omnia humanitatis officia, quibus defungi nos oportet erga proximos. In his continetur obedientia erga magistratus, sine qua unitas inter homines coli non potest. Si quis obiiciat, nunquam adeo studiosos foro benefaciendi fideles quin male audiant ab incredulis: prompta est responsio, apostolum hic eos minime eximere a calumniis et probris: sed intelligit non habituros incredulos obloquendi materiam, utcunque maxime cupiant. Porro ne quis exciperet, incredulos nequaquam dignos esse ad quorum nutum vitam componant filii Dei: Petrus nominatim admonet, obstringi nos Dei mandato, ad os illis obstruendum.

16. *Ut liberi.* Est prolepsis qua occupat quae a nonnullis de libertate filiorum Dei obtendi solebant. Nam ut ingeniosi natura sunt homines in suis commodis captandis: multi, evangelii initio liberos se putabant, ut sibi tantum viverent. Hoc ergo delirium corrigit Petrus, breviter ostendens quantum ab effraeni licentia differat Christianorum libertas. Ac primo velum aut praetextum malitiae esse negat: quo significat, non ideo esse datam ut proximos laedamus, aut quidquam illis afferamus incommodi. Haec igitur vera est libertas, quae nemini damnosa est vel noxia. Ut hoc confirmet, eos pronuntiat liberos qui Deo serviunt. Unde colligere promptum est, hunc esse finem nostrae libertatis, ut promptiores et magis expediti simus ad obsequium Dei. Neque enim aliud est quam manumissio a peccato: atque peccato dominium tollitur, ut se in subiectionem iustitiae domines addicant. In summa, est libera servitus, et serva libertas. Nam sicuti servos Dei esse nos oportet, ut hoc bono fruamur: ita moderatio requiritur in ipsis usu. Hoc modo liberae quidem sunt conscientiae, sed hoc non obstat quin Deo serviamus, qui etiam hominibus nos subiicit.

17. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate.

Est brevis conclusio superiorum, significat enim nec Deum timeri, nec suum ius reddi hominibus, nisi ordo politicus inter nos vigeat, et ius imperii sui magistratus teneant. Quod honorem omnibus haberi iubet, sic interpretor, nullos esse negligendos. Est enim generale praeceptum quod ad fovendam hominum societatem spectat. Honoris nomen Hebreis late patet. Scimus autem apostolos, licet graece scriberent, eius linguae phrasim sequutos esse. Quare mihi non aliud sonat haec loquuntur, quam ut omnium ratio babeatur: quandoquidem paeem cum omnibus et amicitiam, quantum in nobis est, colere debemus: concordiae vero nihil magis adversum quam contemptus. Quod subiicit de fratribus amore, speciale est, prioris respectu. Loquitur enim, de singulari amore, quo domesticos fiduci prosequi iubemur: quia magis arcta necessitudine cum illis sumus coniuncti. Hos itaque gradus Petrus noluit omittere: sed tamen admonet, utcunque praferendi sint fratres, hoc tamen non obstat quin caritas nostra ad totum humanum genus se extendat. Nomen fraternitatis collective accipio pro ipsis fratribus.

Deum timete. Iam dixi has omnes sententias ad praesentem causam accommodari a Petro. Significat enim, honorem, qui regibus defertur, ex timore Dei et hominum caritate oriri, atque ideo esse cum ipsis coniunctum: ac si dixisset, Quisquis Deum timet, fratres suos amat, et totum humanum genus quo decet affectu complectitur, is regibus quoque honorem habebit. Atque interim Caesarem nominat, quia haec imperii species praeterea erat odiosa, et sub ea reliquae continebantur.

18. Famuli subiecti sint cum omni timore dominis suis: non solum nobis et humanis, sed etiam pravis. 19. Haec enim est gratia, si propter conscientiam Dei quispiam molestias ferat, patiens iniuste. 20. Qualis enim gloria, si quem peccantes alapis caedimini, suffertis? Sed si bene facientes et malis affecti suffertis, haec gratia apud Deum.

18. Famuli subiecti. Tametsi haec est particularis admonitio, cohaeret tamen cum proxima, sicuti aliae quae sequentur. Nam quod servi iubentur parere dominis, uxores item maritis, partes sunt subiectionis politicae. Primum servos vult esse cum omni timore: quo nomine significat purum et voluntarium reverentiae affectum: quia id se ex officio debere agnoscant. Ergo timorem tam simulationi quam violentiae coactioni opponit. Nam ὅφθαλμος οὐλεῖα (ut Paulus vocat Colos. 3, 12) timori contraria est. Deinde si adversus necessi-

tatem fremant servi, parati iugum excutere si licceret, proprio timore non dieuntur. In summa, hic timor ex offici cognitione nascitur. Tametsi autem nulla exceptio additur hoc loco, tamen ex aliis locis subaudienda est. Neque enim eo usque se extendit quae hominibus debetur subiectio, ut Dei imperium minuat. Ergo subiecti sint domino famuli, sed in Deo, et usque ad aras, ut loquuntur. Caeterum quoniam non hic habetur δοῦλοι sed εἰχέται, possimus intelligere libertos una cum servis: quamquam in ea re parum est momenti.

Non solum bonis. Tametsi eatenus parere debent servi dominis, ne quid praeter conscientiam: si tamen iniuste tractantur, quantum ad ipsos spectat, non debent recusare imperium. Qualescumque itaque sint domini, nulla est servis excusatio quin fideliter illis obsequia sua praestent. Nam superior si potestate sua abutitur, rationem quidem olim reddet Deo, non tamen in praesentia ius suum amittit. Haec enim conditio servis imposita est, ut dominis serviant, licet indignis. Pravos aequis opponit vel humanis: atque hoc verbo saevos et intractabiles designat, vel qui nihil humanitatis et clementiae habent. Mirum quid interpretem moverit, ut pro graeco nomine alterum graecum redideret: vertit enim dyscolos. Tacerem de turpi Sorbonicorum inscitia, qui dyscolos vulgo intelligunt dissolutos vel irregulares: nisi ex tam absurdâ interpretatione fidei articulum struere nobis vellent: quod papae et cornutis eius bestiis obediendum sit, quantumvis gravem et minime ferendam tyrannidem exerceant. Hic ergo locus ostendit quam secure verbo Dei illuserint.

19. Haec enim est gratia. Idem valet nomen gratiae quod laudis. Intelligit enim nullam gratiam vel laudem conciliari nobis coram Deo, si poenam sustinemus quam nostris delictis simus promeriti: sed qui patienter ferunt iniurias, eos laude dignos esse, et opus facere Deo acceptum. Quod gratum hoc fore Deo testatur, si quis propter Dei conscientiam retineatur in officio, etiamsi iniuste et indigne cum eo agant homines: valde necessarium fuit illo tempore. Erat enim perquam dura servorum conditio: contumeliose babebantur non secus ac pecudes: talis indignitas ad desperationem eos adigere poterat: hoc itaque unum reliquum fuit, ut in Deum respicerent. Hoc enim valet conscientia Dei, dum quis non hominum, sed Dei respectu, officio suo fungitur. Nam si uxor morigera sit et marito obsequens, ut se illi commendet, habet in mundo mercedem suam: quemadmodum Christus de ambitionis loquitur, qui hominum favorem spectant (Matth. 6, 16). Idem de reliquis sentiendum. Si filius ut patrem habeat benevolum ac sibi faventem, illi obsequitur, mercedem habebit a patre, non a Deo. Denique haec generalis est sententia, probari

Deo nostra officia, si hunc finem habemus propositum, ut illi serviamus: non autem movemur solo hominum respectu. Porro qui sibi negotium esse cum Deo reputat, necesse est ut studeat malum bono vincere. Neque enim tantum exigit a nobis Deus ut tales erga unumquemque simus, qualem se ille vicissim erga nos praebeatur: sed etiam benefaciamus indignis, et qui nos persequuntur. Hoc tamen difficultate non caret, quod negat ullam patientiae laudem fore, si quis iuste plectitur. Nam certe quamvis Dominus peccata nostra puniat: patientia tamen nostra sacrificium illi est boni odoris, si poenas aequo unimo ferimus. Respondeo, Petrum hic non simpliciter, sed comparative loqui: quoniam haec tenuis et obscura laus sit, iustum poenam aequo animo ferre, praecut est hominis innoxii, qui non recusat ferre hominum iniurias, tantum quia Deum timet. Quamquam videtur finem quoque tacite notare: quod hominum metu cogantur, qui delictorum suorum poenas luunt. Sed illa quam adduxi solutio sufficit.

21. *In hoc enim vocati estis, quoniam Christus quoque passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut sequeremini vestigia eius.* 22. *Qui quum peccatum non fecisset, nec inventus esset dolus in ore eius:* 23. *qui probro afficeretur, non regerebat probra: qui pataretur, non comminabatur: causam vero commendabat ei qui iuste iudicat.*

21. *In hoc vocati.* Tametsi de servis erat sermo, non tamen adeo restringi debet haec sententia. Nam communiter pios omnes admonet apostolus, qualis sit Christianismi conditio: ac si diceret, nos ea lege a Domino vocatos, ut patienter feramus iniurias: quemadmodum alibi dicit, nos ad hoc ordinatos esse. Porro ne id nobis sit molestum, exemplo Christi nos consolat. Nihil magis indignum videtur ideo minus tolerabile, quam pati praeter meritum. Sed quum in filium Dei convertimus oculos, mitigatur illa acerbitas. Quis enim ipsum praeeuntem sequi renuat? Notanda autem est particula *relinquens vobis exemplum*. Nam quum de imitatione agitur, discernere opus est quid nobis in exemplum Christus proposuerit. Ambulavit siccis pedibus super mare, mundavit leprosos, mortuos suscitavit, caecis restituit visum: si eadem nos tentemus, praepostera erit aemulatio. Neque enim quum signa potentiae suae edidit, nobis proponere voluit quod imitaremur. Hinc factum est ut iejunium quadraginta dierum temere in exemplum traherent. Atqui longe alias erat finis. Quare iudicium adhibendum est: sicuti etiam alicubi monet Augustinus, dum locum illum exponit: Discite a me quod mitis sum et humilis corde. Atque id ex Petri verbis colligi potest:

discretione enim opus esse notat, quum nominatim dicit, Christi patientiam nobis in exemplum statui quod sequamur. Hoc argumentum fusius tractat Paulus, ad Romanos cap. 8, 29, quum omnes Dei filios praeordinatos esse docet ut conformes fiant Christi imagini, quo sit ipse primogenitus inter multos fratres. Ergo ut cum eo vivamus, prius nos commori oportet.

22. *Qui quum peccatum non fecisset.* Hoc ad praesentem causam pertinet. Nam si quis innocentiam suam iactet, Christus certe malefactorum poemam non sustinuit. Quamquam simul ostendit quantum a Christo distemus, quum dicit, ne de lum quidem inventum in ore eius. Nam qui lingua non delinquit, hic perfectus est, ut inquit Iacobus (3, 2). Summam ergo innocentiae perfectionem in Christo fuisse notat, quam nemo nostrum arrogare sibi ausit. Hinc melius appetat quam iniuste passus sit prae aliis omnibus. Proinde non est cur recuset quisquam nostrum exemplo eius pati: quandoquidem nemo adeo sibi bene conscientis est, quin vitio aliquo laboret.

23. *Quum probro afficeretur.* Hic designat Petrus quid nos in Christo deceat imitari: nempe ut placide feramus iniurias, nec de illis vindicandis cogitemus. Ita enim fert ingenium nostrum, ut accepta iniuria, protinus animi ebulliant ad cupiditatem vindictae: at Christus ab omni talione abstinuit. Fraenandi igitur sunt animi, ne malum pro malo rependere appetant.

Causam vero commendabat. Nomen causae non exponitur, sed facile subintelligi potest. Addit autem hoc Petrus ad piorum consolationem, quod, si patienter ferant impiorum probra et violentiam, Deum habituri sint vindicem. Esset enim istud valde durum, subiici nos improborum libidini, et Deo curae non esse nostras miserias. Ideo insigni hoc epitheto Deum ornat Petrus, quod iuste iudicet: ac si diceret: Nostrum est aequo animo mala tolerare: Deus interea partes suas non negliget, quin se iustum iudicem ostendat. Ergo utcunque ad tempus lasciviant improbi, non tamen impune illis cedet, quod nunc Dei filii molesti sint. Nec est quod sibi pii metuant, quasi destituti essent omni praesidio. Nam quum Dei officium sit tueri eos, et ipsorum causam suscipere, in patientia sua possident animas suas. Porro sicuti non parum consolationis affert haec doctrina: ita ad placandas et domandas carnis impetus plurimum valet. Nemo enim in fidem ac patrocinium Dei recumbere potest, nisi qui mansueto animo exspectat eius iudicium. Nam qui ad vindictam prosilit, occupat ipse Dei vices, nec patitur Deum quod sui officii est, agere. Quo respicit etiam illud Pauli: Date locum irae (Rom. 12, 9). Significat enim quasi viam praecludi Deo ne ipse iudicet, quum ipsi antevertimus. Ita-

que dictum illud confirmat Mosis testimonio (Deut. 32, 35): *Mihi vindictam. Donecque hoc vult Petrus, nos Christi exemplo moderatos fore ad tolerandas iniurias, si tribuamus Deo suum honorem: nempe si illum statuenter esse iustum indicem, ius nostrum ac causam illi permittaurus.* Quaeritur tamen quomodo causam suam patri Christus commendaverit. Nam si vindictam ab eo postulabat, hoc ipse nobis licere negat. Inbet enim benefacere iis qui nos laedunt, precari pro iis qui maledicunt. Respondeo, satis ex evangelica historia constare, Christum ita se retulisse ad iudicium Dei, ut tamen de hostibus suis vindictam non posceret: quin potius deprecatorem se pro illis constituit: *Pater, inquit, ignosce.* Et certe multum abest quin carnis nostra affectus cum iudicio Dei consentiant. Ergo ut causam quis suam iuste iudicanti permittat, necesse est ut prius fraenum sibi imposuerit, ne quid alienum a iusto Dei iudicio exposeat. Nam qui sibi ad expectendam vindictam indulgent, non iudicis officium Deo concedunt, sed quodammodo facere volunt suum carnificem. Qui ergo sic animo compositus est, ut cupiat amicos sibi fieri qui nunc adversarii sunt, reducere eos in viam conetur: is causam suam rite Deo tradet, sic precando, tu Domine animum meum nosti, ut salvos optem qui me perditum volunt. Si conversi fuerint, illis gratulabor: quod si obstinati in malitia persistenterint, quia scio te execubare pro salute mea, causam tibi meam relinqu. Hanc modestiam tenuit Christus: ergo haec nobis quoque regula servanda est.

24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus: cuius livore sanati estis.* 25. *Eratis enim tanquam oves errantes: sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum uniarum vestrarum.*

Si in morte Christi nihil commendasset praeter exemplum, hoc nimis frigidum fuisse: ideo fructum eius longe excellentiorem praedicat. Tria igitur consideranda sunt in hoc contextu. Primum est, quod nobis patientiae exemplum Christus morte sua prodidit. Alterum, quod a morte redemptos restituit in vitam: unde sequitur, nos ita illi obstrictos esse, ut eius exemplum libenter sequi debeamus. Tertio finem mortis magis generalem commemorat, ut peccatis mortui, iustitiae vivamus. Haec autem omnia proximam exhortationem confirmant.

24. *Peccata nostra pertulit.* Haec loquutio ad vim mortis Christi exprimendam apta est. Sicut enim sub lege, peccator ut reatu solveretur, victimam substituebat suo loco: ita Christus maledictionem peccatis nostris debitam in se suscepit, ut ea coram Deo expiaret. Et diserte addit, super

lignum: quia non potuit talo piaculum impleri nisi in cruce. Ergo optimo expressit Petrus, mortem Christi fuisse sacrificium expiandis peccatis nostris: quoniam cruci affixus, et se hostiam pro nobis offerens, reatum nostrum et poenam in se suscepit. Iesaias (53, 5), ex quo summam eius doctrinae sumpsit Petrus, pluribus utitur loquendi formis: quod percussus fuerit manu Dei propter sclera nostra, vulneratus fuerit propter iniquitates nostras: quod afflictus et contritus nostra causa fuerit: quod castigatio pacis nostrae illi fuerit imposita. Sed Petrus idem oxprimere voluit hoc verbo: nempe, hac lege nos fuisse reconciliatos Deo, quia apud eius tribunal Christus se vadet ac reum pro nobis constituit, ut poenam solveret cui obstricti eramus. Hoc beneficium sophistae in suis scholis, quantum possunt, obscurant: nam mortis Christi sacrificio nos tantum a culpa post baptismum liberari garriunt, poenam vero satisfactiouis redimi. Sed Petrus, quum dicit ipsum tulisse peccata nostra, non modo culpam illi imputatam fuisse intelligit, sed poena quoque defunctum, ut vere hoc modo esset expiatrix victimam: secundum illud prophetae: *Castigatio pacis nostrae super eum.* Si excipiant, hoc duntaxat ante baptismum valere: circumstantia loci eos refollit, quia sermo ad fideles dirigitur. Caeterum hoc membrum, et quod proxime sequitur, livore eius sanati estis, praesenti quoque instituto accommodari potest: quod scilicet humeros nostros ferendis aliorum peccatis supponere nos deceat, non ad peragendam eorum expiationem, sed tantum ut onus nobis impositum feramus.

Peccatis mortui. Alterum finem prius notaverat, nempe tolerantiae exemplum: sed hic (ut dictum est) latius patet, ut sancte et iuste vivamus. Utriusque mentionem aliquoties facit scriptura: nempe quod aerumnis et rebus adversis nos Dominus exerceat, ut configuremur morti Christi: deinde quod in morte Christi crucifixus sit vetus homo noster, ut in novitate vitae ambulemus. Quamquam hic finis, de quo loquitur, non tantum a priore differt, ut genus a specie. Nam in patientia simplex erat exemplum. Quum autem passum esse Christum dicit, ut peccatis mortui, iustitiae vivamus. Hanc vim subesse morti Christi significat, ut carnem nostram mortificet, quemadmodum fusius tractat Paulus, ad Romanos capite 6. Neque enim hoc tantum boni nobis contulit, quod Deus gratis nos iustificat, non imputando peccata: sed quod mundo et carni morimur, ut resurgamus in novam vitam. Non quod mortem istam dies unus perficiat: sed quia ubique viget mors Christi ad expianda peccata, simul in carnis mortificatione est efficax.

25. *Eratis enim tanquam oves.* Hoc etiam mutuatus est Petrus ex Iesaiā: nisi quod propheta universalem sententiam ponit: omnes quasi oves

erravimus. Caeterum in ovium nomine nulla est propria notatio: nam pecudibus nos comparat: sed tota vis est in epitheto, quod propheta exponit, addens, unumquemque declinasse in suam viam. Sensus est igitur, nos omnes alienos esse a via salutis, et tendere in exitium, donec Christus nos ex dissipatione colligat. Idque melius patet ex membro opposito, quem dicit couversos esse ad pastorem. Quicunque enim a Christo non reguntur, eos tanquam devias pecudes in errore vagari pronuntiat. Ita erroris damnatur tota mundi sapientia, quae se Christo regendam non submittit. Insignes autem sunt isti duo tituli, quod Christus animarum sit episcopus et pastor. Neque enim timendum est quin fideliter vigilet pro eorum salute, qui in eius ovili et custodia se continebunt. *Etsi autem eius officium est, nos integros corpore et anima praestare: Petrus tamen animas exprimit, quia spirituali suo praesidio nos custodit hic coelestis pastor in vitam aeternam.*

CAPUT III.

1. *Similiter mulieres subiectae sint propriis maritis: ut etiam si qui sunt increduli sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant.* 2. *Considerantes puram vestram in timore conversationem.* 3. *Quarum ornatust sit non externus, in plicatura capillorum et circumpositione auri, aut palliorum amictu:* 4. *sed interior cordis homo, qui in incorruptione situs est placidi et quieti spiritus: qui spiritus coram Deo pretiosus est.*

Alterum subiectionis ordinem nunc persequitur, quum iubet uxores viris suis subesse. Et quoniam plus coloris ad excutiendum iugum habere videntur quae viris infidelibus coniunctae sunt, nominatum eas admonet officii: ac peculiarem esse causam ostendit cur magis sedulo parere debeant, nempe ut probitate sua viros allicant ad fidem. Quod si maritis impiis mulieres obedientiam debent, multo promptiores ad obsequium esse convenient, si maritos habeant fideles. Sed absurdum videri possit quod tradit Petrus, lucrifieri posse virum Domino absque sermone. Ubi enim erit illud: fides ex auditu (Rom. 10, 17)? Respondeo, non sic intelligenda esse Petri verba, quasi sola vitae sanctitas incredulos adducat ad Christum: sed quia mollit ac temperat eorum animos, ut a pietate minus abhorreat. Nam sicuti mala exempla offendicula sunt: sic bona non parum adiuvant. Significat ergo Petrus, mulieres sancte et honeste vivendo hoc posse consequi, ut etiam tacentes, maritos praeparent ad amplexandam Christi fidem.

2. *Considerantes puram.* Franguntur enim animi

quantumvis a recta fide alieni, dum vident ita compositos fidelium mores. Nam quia Christi doctrinam non tenent, eam aestimant ex vita nostra, fieri ergo non potest quin Christianismum laudent, qui ad puritatem et timorem instituit.

3. *Quarum ornatust.* Alterum exhortationis membrum: ut mulieres parce et modeste se ornent. Scimus enim in hac parte plus iusto curiosas esse ac cupidas: quare non abs re Petrus hanc in ipsis vanitatem corrigeret studet. Tametsi autem sumptuosum ornatum in genere reprehendit: species tamen quasdam designat: ne capillos arte crispent vel torqueant, ut solebant ad eam rem calamistro uti: aut alias componant in cincinnos. Deinde ne aurum circumponant capiti: in his enim praecipue luxus eminet. Nunc quaeritur an simpliciter usum auri damnet apostolus in ornatu corporis. Si quis verba urgeat, non minus pretiosas vestes quam aurum prohibet: subiicit enim continuo post, amictum palliorum. Atqui immodi rigoris esset, omnem in vestibus nitorem et elegantiam simpliciter vetare. Si materia nimis sumptuosa dicitur, eam Dominus creavit. Artificia etiam scimus ab ipso prodiisse. Non igitur quemvis cultum reprehendere voluit Petrus: sed morbum vanitatis, quo mulieres laborant. Duo in vestitu spectanda sunt, commoditas et decorum: partes autem decori sunt, medicritas et modestia. Proinde si lascive pexa et compta incedit mulier, si luxum et pompam ostentat, excusari non potest eius vanitas. Qui obiciunt, rem esse indifferentem ac liberam hoc vel illo modo se vestire, nullo negotio refelli possunt. Nimia enim elegantia et superfluus splendor, omnis denique excessus, ex animi vitio oritur. Porro ambitio, superbia, luxus affectatio, et alia huiusmodi, non sunt res mediae. Quorum igitur animi ab omni vanitate purgati erunt, rite temperabunt omnia, ut modum non excedant.

4. *Sed interior cordis homo.* Haec autithesis diligenter notanda est. Dicebat Cato, qui anxie occupantur in corporis cultu, animi cultum negligere: ita Petrus cobibendae mulierum cupiditati hoc remedium affert, ut excolendis animis studium potius suum addicent. Cordis nomine, non dubium quin totam animam significet. Simul ostendit in quo spiritualis mulierum ornatust consistat, nempe in spiritus mansueti et quieti incorruptione. *Incorrumpio* (meo iudicio) rebus fluxis et caducis, quae ad corporis ornatum serviant, opponitur. Itaque Erasmi versio a genuino sensu dissidet. In summa, intelligit Petrus animae ornatum non similem esse flori emarcido, nec in evanido splendore positum, sed esse incorruptibilem. Quum dicit spiritum tranquillum et quietum, proprias mulierum virtutes notat: nihil enim est quod hunc sexum magis deceat, quam placidum et sedatum

ingenium. Scimus enim quam importunum sit animal imperiosa et refractaria mulier. Deinde nihil ad corrugandam vanitatem, de qua Petrus loquitur, aptius est quam placida quies spiritus. Quod postea sequitur pretiosum id esse coram Deo, tam ad totum complexum, quam ad nomine spiritus referri potest: idem tamen manebit sensus. Unde enim mulieribus tanta se ornandi cura, nisi ut in se hominum oculos convertant? Petrus autem contra magis sollicitas esse iubet ut in pretio sint apud Deum.

5. *Sic enim aliquando et sanctae mulieres, quae sperabant in Deum, orabant se ipsas, subiectae propriis maritis: 6. quemadmodum et Sara obediebat Abraham, dominum ipsum appellans, cuius filiae estis factae, si beneficeritis, et non terreamini ulla pavore.*

Piarum mulierum exemplum illis proponit, quae spiritualem potius ornatum sectatae sint, quam externi cultus lenociniis deditae fuerint. Saram vero prae aliis nominat: quae quum fidelium omnium sit mater, praesertim apud suum sexum honore et imitatione digna est. Porro iterum ad subjectionem reddit, eamque confirmat Sarae exemplo: quae (ut habetur apud Mosem) maritum vocabat dominum (Gen. 18, 12). Non moratur quidem Deus istos titulos: et fieri interdum potest, ut quae maxime petulans fuerit et immorigera, hanc appellationem lingua usurpet: sed intelligit Petrus, Saram ita loqui solitam esse, quia hanc sibi legem a Domino impositam esse noverat, ut viro subesset. Subiicit Petrus, filias eius fore, hoc est, locum inter fideles habituras, quae eius probitatem imitatae fuerint.

6. *Et non terreamini.* Sexus imbecillitas facit ut magis suspiciosae ac timidae sint mulieres, ideoque magis morosae: quia verentur ne, si viris se subiiciant, magis contumeliose ab illis tractentur. Huc respicere videtur Petrus, quum vetat ne turbentur ulla pavore. Ac si diceret: Libenter subiicie vos virorum imperio, nec vos timor ab obequio impedit, quasi deterior futura sit vestra conditio, si patientes sitis. Posset magis generalis esse sententia, Ne turbas domi concident. Nam ut sunt ad consternationem proclives, saepe ob rem frivolum tumultuantur, seque et familiam frustra turbant. Alii putant in genere corrigi mulierum timiditatem, quae fidei contraria est: quasi Petrus eas hortetur ad obeundam forti et intrepido animo suam vocationem. Mihi tamen prima expositio magis placet: quamquam ab hac postremo non multum differt.

7. *Viri similiter cohabitent secundum scientiam, tanquam infirmiori vasi muliebri impertinentes hono-*

rem: tanquam etiam cohaeredes gratiae, ne preces vestrae interrupuntur.

7. *Viri cohabitent.* A viris exigit prudentiam. Neque enim illis dominum in uxores permisum est, nisi hac lege ut eas prudenter gubernent. Meminerint ergo mariti, sibi ad officium praestandum opus esse prudentia. Et sane multae inceptiae illis ferendae sunt, devoranda multa taedia, et simul cavendum ne sua indulgentia stultitiam foveant. Quare non supervacua est Petri admonitio, ut scienter cohabitent viri.

Tanquam infirmiori. Patrem eius prudentiae, de qua meminit, hic designat, ut viri in honore habeant suas uxores. Nihil enim est quod magis dirimat vitas societatem quam contemptus: nec possumus vero amare nisi quos habemus in pretio: ut sit amor cum reverentia coniunctus. Porro dupli argumento utitur, ut viris persuadeat, honeste et comiter tractandas esse uxores. Prius est ab infirmitate sexus: alterum, ab honore quo dignatur illas Deus. Videntur quidem haec quodammodo contraria: impendi honorem debere mulieribus, quod infirme sint, et quod excellant: sed optime inter se consentiunt, ubi viget caritas. Hoc in confessu est, Deum contemni in suis donis, nisi honore afficimus quibus aliquid praestantiae contulit: verum dum reputamus non eiusdem esse corporis membra, discimus nos sufferre et obtegere mutuo nostras infirmitates venia. Hoc est quod sibi vult Paulus quum dicit membris infirmioribus maiorem honorem circumdari (1. Cor. 12, 23): quod scilicet magis solliciti simus de protegendo ipsorum pudore. Non ergo absurde Petrus, dum mulierum curam ideo haberi, et eas liberali tractatione coherestari iubet, quia infirme sunt. Deinde ut facilius pueris ignoscimus, si quid per aetatis imperitiam delinquunt: ita sexus infirmitas facere debet ne tam rigidi et austeri simus erga uxores. Vasis nomine, quodvis organum in scriptura designari, satis notum est.

Cohaeredes gratiae vitae. Alii codices habent: Multiplicis gratiae¹⁾: alii, loco vitae, habent epithetum vitae. Quidam in dative legunt cohaeredibus: quae varietas de sensu nihil mutat. In aliis interponitur copula inter gratiam multiplicem et vitam. Quae lectio optime congruit. Nam quum Dominus viros communiter et mulieres iisdem gratiis dignetur, illos ad colendam cum his aequalitatem invitat. Scimus autem multiplices esse gratias, in quibus mulieres virorum sunt sociae. Nam aliae ad communis vita usum, aliae ad coeleste Dei regnum pertinent. Postea subiicit, esse etiam vitae cohae-

¹⁾ et vitae.

redes: quod est praecipuum. Tametsi autem aliquae a spe salutis alienae sunt, quia tamen ipsis non minus ac viris, a Domino offertur, hoc ad sexus honorem sufficit.

Ne preces vestrae. Nam rite invocari Deus nequit, nisi tranquillis ac sedatis animis. Inter iurgia et lites precibus non est locus. Alloquitur quidem Petrus maritum et uxorem, dum iubet concordes esse ut simul Deum uno animo precentur. Sed hinc colligi potest generalis doctrina, neminem ad Deum posse accedere, nisi qui fratribus suis coniunctus est. Ergo sicuti haec ratio domesticas omnes turbas et iurgia debet componere, ut in singulari familiis invocetur Deus: ita in communi omnium vita ad rixas omnes cohibendas, quasi frumentum esse debet. Sumus enim plusquam insani, si viam nobis ad invocandum Deum scientes ac volentes praecludimus: quum sit hoc unicum salutis nostrae asylum. Nonnulli exponunt: Parce et temperanter uxore utendum esse, ne frequens coitus precandi studium impedit: iuxta illud Pauli (1. Cor. 7, 5), Ne vos fraudetis mutuo, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis ieiunio et precationi. Sed latius patet haec Petri doctrina: deinde Paulus non intelligit preces abrumpi mutua cohabitatione. Ergo retineatur expositio quam attuli.

8. *Denique sitis omnes idem sentientes, compatiennes, fraterne vos diligentes, misericordes, humiles: 9. non reddentes malum pro malo, vel convicium pro convicio: imo potius benedicentes, scientes quod in hoc vocati sitis, ut benedictionem haereditate consequamini.*

Sequuntur nunc generales praeceptiones quae promiscue ad omnes pertinent. Porro summatim quaedam recenset, quae maxime ad fovendam amicitiam et caritatem necessaria sunt. Primum est, ut *idem* omnes sentiamus. Tametsi enim amicis liberum est diversa sentire: est tamen haec velut nubecula, quae amorem obscurat: imo ex hoc semine facile odium nascitur. Συμπάθεια ad omnes sensus extenditur, quam ea inter nos viget concordia, ut quisque proximorum malis non secus a suis condoleat, prosperis rebus laetetur: non se ipsum modo curet, sed alios etiam complectatur. Quod proxime sequitur, *fraterne vos diligentes*, peculiariter inter fideles valet. Nam ubi Deus agnoscitur pater, illic demum vere regnat fraternitas. Misericordia, quam subiicit, non modo ad iuvandos fratres, levandasque eorum miserias nos sollicitat: sed etiam ad tolerandas eorum infirmitates nos instituit. In eo quod sequitur, duplex est lectio apud Graecos: mihi tamen probabilior videtur illa quam posui in contextu: quandoquidem scimus hoc praecipuum conservandae

amicitiao vineulum, quum de se quisquo modeste et submissa sentit: sicut rursum nihil est quod plures pariat discordias, quam dum nimium placemus nobis. Prudenter ergo Petrus, qui nos ταπεινόφρονας esse iubet, ne superbia et animorum altitudo ad proximorum contemptum nos stimulot.

9. *Non reddentes malum pro malo.* His verbis prohibetur omnis vindicta. Nam ut salva maneat caritas, necesse est multa ferre. Quamquam hic non de mutua benevolentia concionatur: sed nos iniuriarum vult esse patientes ubi impii homines nos lassessunt. Tametsi autem vulgo existiment pusilli hoc et abiecti esse animi, non ulcisci iniurias: summa tamen magnanimitas coram Deo consetur, quemadmodum superius dictum est. Nec vero sufficit abstinere a vindicta: sed hoc quoque Petrus postulat, ut iis bene precemur qui nos probris afficiunt. Benedicere hic pro bene precari accipitur: quia opponitur secundo membro. Sed in genere hoc docet Petrus, mala beneficiis vincenda esse. Hoc quidem valde arduum: sed patrem nostrum coelestem in eo nos imitari decet, qui solem suum oriri facit super indignos. Quod autem sophistae consilium esse fingunt, futile est cavillum. Simul enim atque hoc dixit Christus: Diligite inimicos, doctrinam suam confirmat, ut sitis filii Dei.

Scientes quod in hoc vocati estis. Significat hanc legem impositam esse fidelibus, quum a Deo vocati sunt, ut se non eatenus tantum mansuetos praebeant, ne retaliant illatas sibi iniurias: sed etiam ut maledicentibus benedicant. Quia autem dura et propemodum iniqua videri posset haec conditio, ad praemium eos revocat. Ac si diceret, non esse cur fideles querantur: quia in suum bonum remittant iniurias. In summa, ostendit quantum sit patientiae lucrum: quia si aequo animo sustinemus iniurias, Dominus nos sua benedictione prosequitur. Verbum κληρονομεῖ positum videtur ad exprimendam perpetuitatem: ac si dixisset Petrus, nobis non ad breve tempus modo bene fore, sed semper, si inferendis iniuriis moderati simus. Porro alio modo benedit Deus quam homines. Nostrum enim est vota ad eum concipere: ipso effectum in manu habet. Ex adverso autem significat Petrus, qui ulcisci iniurias volent, illis infeliciter cessurum quidquid tentabunt: quia hoc modo se Dei benedictione abdicant.

10. *Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, contineat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum.* 11. *Declinet a malo, et faciat bonum: quaerat pacem, et persequatur eam.* 12. *Quoniam oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala.* 13. *Et quis est qui vobis male faciat, si boni aemuli sitis?* 14. *Verum etiam si patiamini propter*

institiam, beati. Timorem vero eorum ne timueritis, neque turbemini: 15. Sed Dominum exercituum sanctificate in cordibus vestris.

10. *Qui enim, etc.* Confirmat proximam sententiam Davidis testimonio. Locus ex Psal. 34, sumptus est, ubi spiritus testatur bene omnibus fore, qui sibi temperabunt ab omni maleficio et noxa. Communis quidem sensus longe aliud dictat: nam homines se inimicorum proterviae expositos fore putant, nisi strenue se vindicent. At spiritus Dei non aliis felicem vitam promittit, nisi mansuetis, et malorum patientibus. Neque enim aliter bene habere possumus, nisi Dominus vias nostras prospexit. Atqui bonis et beneficis, non truculentis et ferocibus, vult adesse. Sequutus est autem Petrus graecam versionem: quamquam in sensu parum est discriminis. Ad verbum sic habet David, Qui diligit vitam, et cupit dies videre bonos. Est autem hoc optabile, quum Deus in hoc mundo nos collocaverit, cursum nostrum in pace transigere. Modum ergo huius boni obtinendi indicat, si iuste et innoxie cum omnibus nos geramus. Ac primum notat quae linguae virtus cavenda sint: nempe ne contumeliosi ac petulantes simus: deinde ne fraudulenti ac duplices. Hinc ad facta descendit, ne quem laedamus, vel ne cui inferamus damnum: sed studeamus erga omnes esse beneficii, ac humanitatis officia exerceamus.

11. *Quaerat pacem.* Neque enim satis est oblatam amplecti, sed dum fugere a nobis videtur, sectanda est. Saepe etiam accidit, ut dum eam quaerimus quantum in nobis est, alii non dent. Propter has difficultates et obstacula, iubet eam quaerere et persequi.

12. *Quoniam oculi Domini super iustos.* Hoc ad mitiganda quaevi mala satis efficax solarium esse debet, nos a Domino respici, ut in tempore opem ferat. Summa ergo est, quod prosperitas illa, cuius meminit, ex Dei pendeat tutela. Nisi enim suis prospiceret Dominus, essent veluti oves lupis in praedam expositae. Et sane quod tam leviter tumultuamur, quod subito accendimur ad iracundiam, quod ardemus vindictae libidine, hinc fit quia non reputamus nos curae esse Deo, nec in eius auxilio aquiescimus. Itaque frustra decebitur tolerantia, nisi prius imbuti hac doctrina auimi fuerint, Deum nostri curam gerere, ut in tempore succurrat. Contra ubi hoc nobis persuasum est, iustorum causam Deum patrocinio suo tueri velle, primum innocentiae simpliciter studemus: deinde quin molesti et infesti sunt improbi, ad Dei praesidium con fugimus. Nam quum dicit, aures Domini precibus apertas, ad precandi studium nos incitat.

Vultus autem Domini super, etc. Hoc membro Dominum significat, nostrum fore vindicem, quia

non semper passurus sit impiorum proter am grasse. Et simul denuntiat quid futurum si si vitam nostram maleficiis velimus tueri: nempe cum Deum habituri simus nobis adversum. Atqui ob ei contra posset, nos longe aliud quotidie experiri. Nam quo quisque iustior est, pacisque amantior, o magis vexatur a sceleratis. Respondeo, nem em adeo esse aequitatis et pacis studiosum, quin ecce interdum aliqua in parte. Sed hoc praec. ie observandum est, promissiones huius vitae non longius extendi, quam quoad nobis expedit praeari quod continent. Saepe ergo turbatur pax nostra cum mundo, ut caro nostra in Dei obsequiū dometur, et alias ob causas, ut nihil nobis depere.

13. *Et quis est qui vobis, etc.* Rursus confirmat superiorum sententiam argumento a communis experientia sumpto. Hoc enim ut plurimum suu venit, ut nobis improbi negotium facessant, vel accessiti a nobis, vel quia illis demerendis operam in impendimus, ut decebat. Nam qui beneficenti student, etiam ferreos alioqui animos emolliunt. Eandem rationem adducit Plato libro 1. de Repub. στάσεις γάρ που ή γε ἀδικία καὶ μέση καὶ μάχας αλλήλοις παρέχει· ή δὲ δικαιοσύνη ἐμένονταν καὶ φιλαν. Hoc est, seditiones et odia et pugnas iniusti excitat: concordiam vero et amicitiam iustitia. Nec tamen etsi communiter accidit, non est tamen repetuum. Nam filii Dei quantumvis improbos plare beneficiis studeant, adeoque erga omnes beneficos se praestent: saepe tamen immerito a multis imputuntur. Ideo addit Petrus, Si propter iustitiam patiamini, etc. Summa est, ideles ad tranquillum vitae statum obtinendum plus beneficiis profecturos, quam violentia et ulciscendi romptitudine. Caeterum ubi nihil ad pacem comparandam omiserint, si contingat ipsos pati, hoc non beatos esse, quia patiuntur propter iustitiam. Ite quidem posterius membrum longe a carnis nostro sensu dissidet: sed non temere ita Christus prouinciavit: nec temere Petrus ex ore magistri recit. Aderit enim tandem Deus liberator, ac tum paln constabit quod nunc incredibile videtur, felices usque piorum miseras qui patienter sustinuerunt. Pati propter iustitiam, non modo significat damni liquid vel incommodi propter bonae causae patrocinium subire: sed iniuste pati, ubi quis innocenter ibi timore Dei versatus sit inter homines.

14. *Timorem vero eorum.* Iterum ontēm ac causam impatientiae designat: nempe non ultra modum turbamur, dum in nos insurget impii. Talis enim consternatio vel nos exanint, vel de gradu deiicit, vel in nobis accedit vincetae libidinem. Interea non acquiescimus in Dei praesidio: hoc igitur ad turbulentos animorum iustus cohi-

¹⁾ Cap. 22 fin. pag. 351 D.

bendos optimus erit remedium, si immodicos terrors, divini a illi fiducia vicerimus. Porro non dubium est quod alludere Petrus ad locum Iesaiæ voluerit, qui hoc est cap. 8. Nam quoniam Iudei adversus Dei prohibitionem profaciens mundi opibus munire se apparet, prophetam suum admonet Deus, ne illorum exemplo trepidet. Quamquam Petrus timoris menem videtur in diversum sensum trahere. Passi enim accipitur a propheta, qui populum increpitum ideo accusat, quod quoniam auxilio Dei frater, fortiter deberet pericula contemnere, metu sic rostratus et fractus erat, ut undique illicita subdia accenseret. Atqui Petrus aliter timorem accipi nempe pro formidine, quam sua violentia et trulentis iniurii impiorum nobis incutere solent. Ergo a prophetæ sensu recedit: sed in eo nibil est absurdum. Neque enim eius consilium fuit, exponere propriae locum: tantum indicare voluit, nihil ad patientem esse aptius, quam quod Iesaias prescribit: ne peccate ut Deo tribuamus suum honorem, tota anima fiducia in eius potentiam recumbentes. Si qui tamen interpretari malit Petri verba: Ne timeritis eorum timorem, ac si dixisset, Nolite quemadmodum infideles, vel filii huius mundi solent, expavescere, quia de providentia Dei nihil tenent: non valet repugno, nisi quod (meo iudicio) coacta expositi forot. Nec vero de ea re laborandum est, quoniam hic Petrus singula prophetæ verba interpretari non potest: sed tantum in ea parte insistere, quod intrepide abunt fideles, nec ulla perturbatione ullo metu aucta officii sui linea dimoveri unquam poterunt, i Dominum exercituum sanctificant. Porro haec significatio ad circumstantiam praesentis causae restanti debet. Unde enim fit ut metu obrinatur, et temus nos esse perditos, dum aliquid periculi pendet, nisi quia plus potentiae ad nocendum homini mortali deferimus, quam Deo ad servandum? E lutis nostræ custodem se fore promittit Deus: en contra overtere impiorum conantur. Nisi nos sustineat Dei promissio, annon eum afficiamus iniuria quodammodo profanamus? Docet igitur propheta honorifice sentiendum esse de Domino exercitum, quod utecumque omnia machinentur impiorum ad nos ordinatos, et magnis etiam viribus instructi sint, uno unus ad salutem nostram satis superque sit pensus. Ideo addit Petrus, in cordibus vestris. Nam si penitus animis nostris insidieat haec peccatio, opem a Domino promissam nobis sufficiere optime ad repellendos omnes infidelitatis metus e nos muniti.

Parati autem sitis semper ad responsionem cuivis poscenti a rationationem eius, quae in vobis est, spei, 16. cum mansuetudine et timore, conscientiam habentes bonam: ut in vobis obtrectant, tanquam maleficis,

pudentiant, dum infamant bonam vestram in Christo conversationem.

Tametsi haec nova præceptio est, pendet tamen ex superioribus. Nam exigit a fidelibus eam constatiam, ut adversariis intrepide respondeant de fide sua. Haec autem pars est eius sanctificationis cuius nuper meminit: quia tunc vere suum honorem exhibemus Deo, quoniam nec metus nec pudor a recta fidei professione nos impedit. Caeterum non præcise iubet Petrus ut ubique et semper, et apud omnes promiscue asseramus ac publicemus quidquid nobis a Domino datum est. Nam in hunc finem Dominus suos spiritu discretionis instruit, ut iudicent quando, et quoque, et apud quos loqui expediat. Tantum iubet paratos esse ad responsionem, ne sua cordia vel ignoratio carnis metu Christi doctrinam impiorum ludibriis silendo exponant. Summa ergo hoc tendit, debere nobis in promptu esse fidei confessionem, ut eam proferamus quoties opus est, ne increduli ex nostro silentio totam religionem quam sequimur damnent. Porro notandum est, Petrum hic non mandare ut, quacunque de re agitata fuerit quaestio, parati ad eam solvendam simus. Neque enim omnium est de quovis arguento disserere. Atqui haec generalis est doctrina, quae ad rudes et idiotas pertinet. Ergo non aliud sibi vult Petrus, nisi ut infidelibus palam faciant Christiani, se Deum pure colere, et religionem habere sanctam ac rectam. Atque in eo nihil est difficultatis. Esset enim nimis absurdum, quoniam de fide nostra quispiam inquirit, nihil nos proferre ad eius defensionem. Danda enim semper opera est ut omnes agnoscant nos Deum timere, pieque ac reverenter sentiro de legitimo eius cultu. Hoc etiam exigebat temporis ratio. Perquam odiosum et infame erat christianum nomen: multi nefarium multisque sacrilogiis refertam esse sectam putabant. Summa igitur in Deum perfidia fuisset, si rogati neglexissent pietatis suae testimonium reddere. Idque (meo iudicio) significat apologia nomen quo Petrus utitur: nempe ut Christiani testatum mundo facerent, se procul ab omni impietate, veraeque pietatis corruptela abesse: quo nomine imperitis suspecti erant. Species hic per synecdochen pro fide capitur. Neque tamen (ut dictum est) requirit Petrus ut distinete et subtiliter sciant de singulis fidei articulis disputare: sed tantum ut ostendant fidem in Christum vorae pietati esse consentaneam. Hinc vero colligimus, perperam Christianorum nomine omnes abuti, qui nihil certi tenent, nec quidquam habent quod respondeant de fide sua. Sed rursum expendi sedulo debet quod dicit, quae in vobis est spei. Significat enim oam demum confessionem probari Deo, quae ex corde manat: quia nisi intus resideat fides, frustra garriet lingua:

iustitiam, beati. Timorem vero eorum ne timueritis, neque turbemini: 15. Sed Dominum exercituum sanctificate in cordibus vestris.

10. *Qui enim, etc.* Confirmat proximam sententiam Davidis testimonio. Locus ex Psal. 34, sumptus est, ubi spiritus testatur bene omnibus fore, qui sibi temperabunt ab omni maleficio et noxa. Communis quidem sensus longe aliud dictat: nam homines se inimicorum proterviae expositos fore putant, nisi strenue se vindicent. At spiritus Dei non aliis felicem vitam promittit, nisi mansuetis, et malorum patientibus. Neque enim aliter bene habere possumus, nisi Dominus vias nostras prospexit. Atqui bonis et beneficiis, non truculentis et ferocibus, vult adesse. Sequutus est autem Petrus graecam versionem: quamquam in sensu parum est discribinis. Ad verbum sic habet David, *Qui diligit vitam, et cupit dies videre bonos.* Est autem hoc optabile, quum Deus in hoc mundo nos collucaverit, cursum nostrum in pace transigere. Modum ergo huius boni obtinendi indicat, si iuste et innoxie cum omnibus nos geramus. Ac primum notat quae linguae vitia cavenda sint: nempe ne contumeliosi ac petulantes simus: deinde ne fraudulenti ac duplices. Hinc ad facta descendit, ne quem laedamus, vel ne cui inferamus damnum: sed studeamus erga omnes esse benefici, ac humanitatis officia exerceamus.

11. *Quaerat pacem.* Neque enim satis est oblatam amplecti, sed dum fugere a nobis videtur, sectanda est. Saepe etiam accidit, ut dum eam quaerimus quantum in nobis est, alii non dent. Propter has difficultates et obstacula, iubet eam quaerere et persequi.

12. *Quoniam oculi Domini super iustos.* Hoc ad mitiganda quaevis mala satis efficax solarium esse debet, nos a Domino respici, ut in tempore opem ferat. Summa ergo est, quod prosperitas illa, cuius meminit, ex Dei pendeat tutela. Nisi enim suis prospiceret Dominus, essent veluti oves lupis in praedam expositae. Et sane quod tam leviter tumultuamur, quod subito accendimur ad iracundiam, quod ardemus vindictae libidine, hinc fit quia non reputamus nos curae esse Deo, nec in eius auxilio acquiescimus. Itaque frustra docebitur tolerantia, nisi prius imbuti hac doctrina animi fuerint, Deum nostri curam gerere, ut in tempore succurrat. Contra ubi hoc nobis persuasum est, iustorum causam Deum patrocinio suo tueri velle, primum innocentiae simpliciter studemus: deinde quum molesti et infesti sunt improbi, ad Dei praesidium confugimus. Nam quum dicit, *ares Domini precibus apertas, ad precandi studium nos incitat.*

Vultus autem Domini super, etc. Hoc membro Dominum significat, nostrum fore vindicem, quia

non semper passurus sit impiorum proterviam grasseari. Et simul denuntiat quid futurum sit, si vitam nostram maleficiis velimus tucri: nempe quod Deum habituri simus nobis adversum. Atqui obiici contra posset, nos longe aliud quotidie experiri. Nam quicunque iustior est, pacisque amantior, eo magis vexatur a sceleratis. Respondeo, neminem adeo esse aequitatis et pacis studiosum, quin pccet interdum aliqua in parte. Sed hoc praecepit observandum est, promissiones huius vitae non longius extendi, quam quoad nobis expedit praestari quod continent. Saepe ergo turbatur pax nostra cum mundo, ut caro nostra in Dei obsequium dometur, et alias ob easas, ut nihil nobis depereat.

13. *Et quis est qui vobis, etc.* Rursus confirmat superiorem sententiam argumento a communi experientia sumpto. Hoc enim ut plurimum usu venit, ut nobis improbi negotium facessant, vel lassissiti a nobis, vel quia illis demerendis operam non impendimus, ut decebat. Nam qui beneficentiae student, etiam ferreos alioqui animos emolliunt. Eandem rationem adducit Plato libro 1. de Repub:¹⁾ στάσεις γάρ ποι η γε δέσμια καὶ μίση καὶ μάχας ἐν αλλήλοις παρέχεται η δὲ δικαιοσύνη δύμοντας καὶ φιλίαν. Hoc est, seditiones et odia et pugnas injustitia excitat: concordiam vero et amicitiam iustitia. Hoc tamen etsi communiter accidit, non est tamen perpetuum. Nam filii Dei quantumvis improbos placare beneficiorum studeant, adeoque erga omnes beneficos se praestent: saepe tamen immerito a multis imputentur. Ideo addit Petrus, *Si propter iustitiam pati amini, etc.* Summa est, fideles ad tranquillum vitae statum obtinendum plus beneficiorum profecturos, quam violentia et uilescendi promptitudine. Caeterum ubi nihil ad pacem comparandam omiserint, si contingat ipsos pati, hoc ipso beatos esse, quia patiuntur propter iustitiam. Hoc quidem posterius membrum longe a carnis nostrae sensu dissidet: sed non temere ita Christus pronuntiavit: nec temere Petrus ex ore magistri recitat. Aderit enim tandem Deus liberator, ac tum palam constabit quod nunc incredibile videtur, felices fuisse piorum miserias qui patienter sustinuerunt. Pati propter iustitiam, non modo significat damni aliquid vel incommodi propter bonae causae patrocinium subire: sed iniuste pati, ubi quis innocenter sub timore Dei versatus sit inter homines.

14. *Timorem vero eorum.* Iterum fontem ac causam impatientiae designat: nempe quod ultra modum turbamur, dum in nos insurgunt impii. Talis enim consternatio vel nos examinat, vel de gradu deiicit, vel in nobis accedit vindictae libidinem. Interea non acquiescimus in Dei praesidio: hoc igitur ad turbulentos animorum motus cobi-

¹⁾ Cap. 22 fin. pag. 351 D.

bendos optimum erit remedium, si immodicos terrors, divini auxilii fiducia vicerimus. Porro non dubium est quin alludere Petrus ad locum Iesaias voluerit, qui habetur cap. 8. Nam quum Iudei adversus Dei prohibitionem profanis mundi opibus munire se appeterent, prophetam suum admonet Deus, ne illorum exemplo trepidet. Quamquam Petrus timoris nomen videtur in diversum sensum trahere. Passive enim accipitur a propheta, qui populum incredulitatis ideo accusat, quod quum auxilio Dei fatus, fortiter deberet pericula contemnere, metu sic prostratus et fractus erat, ut undique illicita subsidia accerseret. Atqui Petrus aliter timorem accipit, nempe pro formidine, quam sua violentia et truculentis minis impii nobis incutere solent. Ergo a prophetae sensu recedit: sed in eo nihil est absurdum. Neque enim eius consilium fuit, exponere prophetae locum: tantum indicare voluit, nihil ad patientiam esse aptius, quam quod Iesaias prescribit: nempe ut Deo tribuamus suum honorem, tota animi fiducia in eius potentiam recumbentes. Si quis tamen interpretari malit Petri verba Ne timueritis eorum timorem, ac si dixisset, Nolite quemadmodum infideles, vel filii huius mundi solent, expavescere, quia de providentia Dei nihil tenent: non valde repugno, nisi quod (meo iudicio) coacta expositio foret. Nec vero de ea re laborandum est, quando hic Petrus singula prophetae verba interpretari noluit: sed tantum in ea parte insistere, quod intrepide stabunt fideles, nec ulla perturbatione ullo metu a recta officii sui linea dimoveri unquam poterunt, si Dominum exercituum sanctificant. Porro haec sanctificatio ad circumstantiam praesentis causae restringi debet. Unde enim fit ut metu obruamur, et putemus nos esse perditos, dum aliquid periculi impendet, nisi quia plus potentiae ad nocendum homini mortali deferimus, quam Deo ad servandum? Salutis nostrae custodem se fore promittit Deus: eam contra evertere impii conantur. Nisi nos sustentet Dei promissio, annon eum afficiimus iniuria et quodammodo profanamus? Docet igitur propheta, honorifice sentiondum esse de Domino exercituum, quod utcunque omnia machinentur impii ad nos perdendos, et magnis etiam viribus instructi sint, ipse unus ad salutem nostram satis superque sit potens. Ideo addit Petrus, in cordibus vestris. Nam si penitus animis nostris insidieat haec persuasio, opem a Domino promissam nobis sufficere, optime ad repellendos omnes infidelitatis metus erimus muniti.

Parati autem sitis semper ad responsionem cuivis poscenti a vobis rationem eius, quae in vobis est, spei, 16. cum mansuetudine et timore, conscientiam habentes bonam: ut in quo vobis obtrectant, tanquam maleficis,

pudciant, dum infamant bonam vestram in Christo conversationem.

Tametsi haec nova praeceptio est, pendet tamen ex superioribus. Nam exigit a fidibus cam constantiam, ut adversariis intrepide respondeant de fide sua. Haec autem pars est eius sanctificationis cuius nuper meminit: quia tunc vere suum honorom exhibemus Deo, quum nec metus nec pudor a recta fidei professione nos impedit. Caeterum non praeceps iubet Petrus ut ubique et semper, et apud omnes promiscue asseramus ac publicemus quidquid nobis a Domino datum est. Nam in hunc finem Dominus suos spiritu discretionis instruit, ut judicent quando, et quoisque, et apud quos loqui expediatur. Tantum iubet paratos esse ad responsionem, ne sua socordia vel ignava carnis metu Christi doctrinam impiorum ludibriis silendo exponant. Summa ergo hoc tendit, debere nobis in promptu esse fidei confessionem, ut eam proferamus quoties opus est, ne increduli ex nostro silentio totam religionem quam sequimur damnent. Porro notandum est, Petrum hic non mandare ut, quacunque de re agitata fuerit quaestio, parati ad eam solvendam simus. Neque enim omnium est de quovis arguento disserere. Atqui haec generalis est doctrina, quae ad rudes et idiotas pertinet. Ergo non aliud sibi vult Petrus, nisi ut infidelibus palam faciant Christiani, se Deum pure colere, et religionem habere sanctam ac rectam. Atque in eo nihil est difficultatis. Esset enim nimis absurdum, quum de fide nostra quispiam inquirit, nihil nos proferre ad eius defensionem. Danda enim semper opera est ut omnes agnoscant nos Deum timere, pieque ac reverenter sentire de legitimo eius cultu. Hoc etiam exigebat temporis ratio. Perquam odiosum et infame erat christianum nomen: multi nefariam multisque sacrilegiis refertam esse sectam putabant. Summa igitur in Deum perfidia fuisse, si rogati neglexissent pietatis sua testimonium reddere. Idque (meo iudicio) significat apologiae nomen quo Petrus utitur: nempe ut Christiani testatum mundo facerent, se procul ab omni impietate, veraeque pietatis corruptela abesse: quo nomine imperitis suspecti erant. Spes hic per syncedochen pro fide capitur. Neque tamen (ut dictum est) requirit Petrus ut distinete et subtiliter sciant de singulis fidei articulis disputare: sed tantum ut ostendant fidem in Christum verae pietati esse consentaneam. Hinc vero colligimus, perperam Christianorum nomine omnes abuti, qui nihil certi tenent, nec quidquam habent quod respondeant de fide sua. Sed rursum expendi sedulo debet quod dicit, eius quae in vobis est spei. Significat enim eam demum confessionem probari Deo, quae ex corde manat: quia nisi intus resideat fides, frustra garriet lingua:

ergo radices in nobis agat, ut deinde proferat confessionis fructum.

16. *Cum mansuetudine.* Valde necessaria admonitio. Nisi enim ad modestiam compositae sint mentes, statim contentiones obliuuntur. Mansuetudo autem tam superbiae et ventosae ostentationi, quam nimio fervori opponitur. Huie merito timorem coniungit: nam ubi obtinet Dei reverentia, omnem animorum ferociam domat: praezerosum vero efficit ut placide tractemus Dei mysteria. Nam inde oriuntur contentiosae disputationes, quod bona pars minus honorifice quam decebat, de ecclesiis sapientiae magnitudine sentiens, profana audacia effertur. Quare si Deo fidei nostrae confessionem probare volumus, absit omnis iactantia, facessat omnis contentio.

Conscientiam habentes. Quia parum autoritatis habet sermo absque vita, ideo fidei professioni bonam conscientiam adiungit. Videmus onim plerosque satis prompta esse lingua, et multa libere effutire, nullo tamen profectu, quoniam vita non respondet. Deinde sola est conscientiae integritas, quae nobis dat fiduciam loquendi ut oportet. Nam qui multa garriunt de evangelio, vita autem dissoluta coargui possunt impietatis, non modo se faciunt ridiculos, sed doctrinam ipsam prostituunt impiorum calumniis. Cur enim nuper iubebat nos ad defensionem paratos esse, si quis fidei nostrae rationem postulet: nisi quod Dei doctrinam nostrum est vindicare a sinistris suspicionibus quibus eam gravant imperiti? Atqui parum hic valebit linguae patrocinium, nisi vita simul respondeat. Ideo dicit, ut pudeant qui vituperant bonam vestram in Christo conversationem, quia tanquam maleficis obloquuntur. Ac si diceret, si nihil habent adversarii quod carpant in vobis, nisi quia Christum sequimini, tandem ipsos malitia sua pudebit: vel saltem innocentia vestra ad eos refutandos sufficiet.

17. *Praestat enim beneficiendo (si ita fert voluntas Dei) pati, quam malefaciendo.* 18. *Quia et Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.*

17. *Praestat enim beneficiendo (si ita fert voluntas Dei) pati, quam malefaciendo.* 18. *Quia et Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.*

17. *Praestat enim beneficiendo (si ita fert voluntas Dei) pati, quam malefaciendo.* Hoc non ad proximam modo sententiam, sed ad totum complexum pertinet. Loquutus est de fidei professione, quae illo tempore periculosa erat: nunc dicit multo esse melius si quid incommodi pro bonae causae defensione sustineant, sic iniuste pati, quam si ob sua flagitia plectantur. Haec consolatio arcana potius meditatione quam longo verborum circuitu percipitur. Passim quidem hoc apud profanos scriptores occurrit, satis esse praesidii in bona conscientia, quidquid malorum accidat, et perferre necesse sit. Lo-

quuti sunt illi animose, sed tunc demum vere fortis orit animus, si in Deum respiciat. Ideo hanc exceptionem addidit Petrus, si ita ferat voluntas Dei. Nam his verbis admonet, si quid iniuste patimur, id non fortuito accidere, sed certo potius Dei arbitrio: Deum autem nihil velle aut statuere nisi optima causa, pro confesso assumit. Quare hoc solatii semper habent in suis misericordiis fideles, quod sciunt se Deum habere testem: deindeque agnoscunt ab eo se in arenam deduci, ut sub eius auspicio fidei suae specimen edant.

18. *Quia et Christus semel.* Alia consolatio, quod si in afflictionibus nostris sumus nobis bene consci, exemplo Christi patimur: unde sequitur, nos beatos esse. Simul autem probat a fine mortis Christi, minime consentanorum esse ut ob maleficia nostra plectamur. Christum enim passum esse docet, ut nos adduceret Deo. Quid hoc sibi vult, nisi nos Christi morte ita fuisse Deo consecratos, ut illi vivamus et moriamur? Sunt igitur duo huius sententiae membra. Prius est, ferendas esse aequo animo persecutiones, quia filius Dei nobis viam monstrat. Alterum vero, quod quum in Dei obsequium addicti simus Christi morte, non ob delicta nostra, sed ob iustitiam pati deceat. Hic tamen moveri potest quaestio: Annon fideles castiget Deus, quoties alicunde affligi patitur. Respondeo, saepe quidem fieri ut Deus poenas ipsis, quas meriti sunt, irroget. Neque, hoc Petrus negat: sed admonet quantum hoc sit solatii, habere coniunctam cum Deo causam. Quomodo autem peccata Deus in iis non puniat, qui persecutionem sustinent propter iustitiam, et quo sensu vocentur innocentes, proximo cap. videbimus.

Mortificatus quidem. Hoc iam magnum erat, nos filio Dei esse conformes, quum sine causa patimur: sed accedit aliud consolationis argumentum, felicem mortis Christi exitum fuisse: quia etsi passus est propter infirmitatem carnis, resurrexit in virtute spiritus. Ergo Christo nihil obfuit crux, neque mors, quum vita palmarum obtinuerit. Hoc autem ideo dictum est, ut sciamus (quemadmodum etiam Paulus admonet [2. Cor. 4, 10]) nos in corpore nostro ferre mortificationem Christi, quo vita eius manifestetur in nobis. Care hic pro externo homine capit, spiritus pro divina potentia, qua Christus vitor a morte emersit.

19. *In quo et iis qui in specula erant spiritibus, profectus praedicavit:* 20. *quum increduli fuissent olim, quum semel exspectabatur Dei patientia in diebus Noe: dum apparabatur arca, in qua paucae, hoc est, octo animae servatae sunt per aquam.* 21. *Cuius figurae respondens baptismus, nos quoque salvos reddit: non abiectio sordium carnis, sed bonae conscientiae examen apud Deum per resurrectionem Iesu Christi:*

22. *Qui est in dextera Dei, protectus in coelum, subiectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.*

19. *In quo et iis.* Hoc addidit Petrus, ut sciamus vivificam illam, de qua loquutus est, spiritus virtutem non exsertam fuisse in sola Christi persona, sed in nos etiam diffundi: quemadmodum et Paulus docet ad Roma. capite 5, 5. Dicit ergo, non sibi modo Christum resurrexisse, sed ut vim eandem spiritus sui aliis patefaceret: adeoque ipsam usque ad mortuos penetrasse. Unde sequitur, nos eam non minus sensuros, ut quidquid in nobis mortale est, vivificet. Caeterum quia loci huius obscuritas varias expositiones (ut fieri solet) nobis peperit, priore loco quae ab aliis afferuntur, refellam: deinde genuinum et verum sensum quaeremus. Trita et vulgaris opinio fuit, hic narrari Christi descensum ad inferos: sed verba aliud sonant. Neque enim animae Christi fit mentio, sed tantum quod spiritu venerit. Sunt autem haec longe diversa, animam Christi venisse, et Christum praedicasse spiritus sui potentia. Nominatim ergo spiritum exprimit Petrus ut imaginationem tollat realis (ut vocant) praesentiae. Alii de apostolis exponunt, quod scilicet eorum ministerio mortuis apparuit, id est infidelibus. Fateor quidem Christum per apostolos spiritu suo venisse ad eos qui in carne detinebantur. Sed haec expositio multis rationibus falsa coarguitur. Primum dicit Petrus, ad spiritus Christum venisse: quo nomine significat animas a corporibus separatas. Vivos enim homines spiritus vocari nusquam receptum est. Deinde quod 4. cap. in eundem sensum repetet Petrus, allegoriam non admittit. Ergo de mortuis proprie verba intelligi oportet. Tertio hoc valde absurdum est, Petrum de apostolis agentem, mox quasi sui oblitum transsilire ad tempus Noe. Certe nimis intempestive hoc modo abrupta esset oratio. Falsum ergo est illud commentum. Porro eorum delirium qui putant incredulos, Christi adventu, post mortem suam, a reatu liberatos esse, longa refutatione non indiget. Certa enim scripturae doctrina est, nos salutem non consequi in Christo, nisi fide. Ergo qui ad mortem usque obstinati fuerunt, his nulla spes relinquitur. Probabilius aliquanto loquuntur, qui redemptionem a Christo partam profuisse dicunt mortuis, qui tempore Noe diu fuerant increduli: tamen resipuerant demum, paulo ante quam diluvio mergerentur. Illos ergo intelligunt poenas contumaciae sua dedisse in carne, servatos tamen Christi beneficio, ne aeternum perirent. Sed haec parum firma est divinatio: deinde pugnat cum orationis contextu. Petrus enim uni duntaxat familiae Noe salutem attribuit: exitio autem addicit omnes qui extra arcam fuerunt. Ego itaque non dubito quin generaliter dicat Petrus, gratiae Christi manifestationem

adpios spiritus pervenisse, atque ita vitali spiritus efficacia esse perfusos. Quare timendum non est ne ad nos usque emanet. Sed quaeri potest cur nam piorum animas, postquam e corporibus migrarunt, in carcere collocet. Mihi quidem φυλαχή potius speculam significat in qua aguntur vigiliae, vel ipsum excubandi actum. Nam saepe ita capitur apud Graecos, et sensus optime fluet, pias animas in spem salutis promissae fuisse intentas, quasi eminus eam considerarent. Neque enim dubium est quin ad hunc scopum sancti patres tam in vita, quam post mortem, suas cogitationes direxerint. Verum sicui placeat retinere carceris nomen, non male conveniet. Sicut enim dum vivebant, lex illis (teste Paulo [Gal. 3, 23]) quaedam arctior fuit custodia, in qua detinebantur: ita post mortem sollicito Christi desiderio constringi oportuit: quia nondum spiritus libertatis plene exhibitus erat. Ergo exspectationis anxietas illis fuit veluti carcer. Hactenus apostoli verba cum re ipsa et filo argumenti belle congruunt: sed quod sequitur nonnihil habet difficultatis. Neque enim hic fideles, sed incredulos solos commemorat. Quo videtur tota illa superior expositio everti. Hac ratione adducti quidam, putarunt nihil hic dici aliud, nisi incredulos, qui olim piis molesti infestique fuerant, spiritum Christi iudicem expertos esse. Quasi hoc argumento consoletur Petrus fideles, quia Christus etiam mortuus poenas de ipsis sumpserit. Sed eorum errorem convincet quod proximo capite videbimus, mortuis evangelium praedicatum, ut vivant secundum Deum spiritu: quod peculiariter in fideles competit. Porro certum est, idem quod nunc dicit, illic repetere. Deinde non animadvertis hoc praecipue velle Petrum, quemadmodum potentia spiritus Christi vivificam se in ipso ostendit, et talis a mortuis fuit cognita, talem etiam erga nos fore. Videndum tamen quorsum hoc spectet, quod incredulos tantum nominat. Videtur enim dicere, Christum in spiritu apparuisse iis qui olim fuerant increduli. Atqui ego aliter distinguo: *tunc quoque permistos fuisse incredulis puros Dei cultores, imo eorum multitudine fere operatos.* Discrepat (fateor) ab hoc sensu graeca syntaxis: debuerat enim Petrus, si hoc vellet, genitivum absolutum ponere. Sed quia apostolis novum non est liberius casum unum ponere alterius loco, et videamus Petrum hic confuse multas res simul coacervare: nec vero aliter aptus sensus elici poterat: non dubitavi ita resolvere orationem implicitam: quo intelligerent lectores, alias vocari incredulos, quam quibus praedicatum fuisse evangelium dixit. Postquam ergo¹⁾ dixit Christum se mortuis manifestasse, mox addit: quum increduli fuisser olim. Quo significat nihil nocuisse sanctis patribus, quod im-

¹⁾ enim

piorum multitudino pono obruti fuerint. Nam (meo iudicio) dubitationi ocurrerit, quae fideles eius temporis angere poterat. Videbant totum foro mundum occupari ab incredulis, illos potiri rerum, penes illos esse vitam. Haec tentatio omnem fiduciam iis exutere poterat qui voluti sub morte conclusi erant. Eos itaque admonet Petrus, non aliam fuisse patrum conditionem: ut tamen quum tunc impiorum multitudine totam terram operirot, illorum vitam Dei virtute salvam fuisse. Hoc modo solatur pios, ne propter suam paucitatem fracto sint vel abiecto animo. Exemplum vero ex tota vetustate prae aliis illustre deligit: nempe quum diluvio submersus fuit mundus. Nam tunc in communi generis humani interitu sola Noe familia evasit. Ac modum designat, speciem baptismi fuisse dicens: quare in hac etiam parte nihil est absurdum. Summa est, mundum semper fuisse plenum incredulis: ideo ingenti eorum numero non debere terreri pios. Quemadmodum Noe, tametsi undique obsidebatur ab impiis, et tam paucos secum habebat: non tamen abruptus fuit a recto fidei suae cursu.

20. *Quum semel exspectabatur.* Hoc ad impios referri debet, quos Dei patientia segniores reddebat. Nam si ultionem suam differt Deus, nec statim exsequitur, minas omnes secure elidunt impii: contra vero Noe oraculo monitus, diluvium multo ante habebat prae oculis. Hinc sedulitas in construenda arca, quod Dei iudicio tremefactus torporem omnem excusserat.

21. *Cuius figurae.* Omnia relativum in dative casu legendum arbitror: ac errore factum esse ut σ in locum ω subierit. Sensus tamen minime ambiguus est, quod Noe per aquam servatus quandam baptismi speciem habuerit. Et hoc commemorat apostolus, ut melius constet inter illum et nos similitudo. Iam dictum est hue spectare membrum istud, ne pravis exemplis abducti a timore Domini, et recta salutis via, nos cum mundo misceamus. Hoc in baptismō liquido patet, ubi Christo conselpemur, ut mundo et carni mortui Deo vivamus. Hac ratione baptismum nostrum $\alpha\tau\tau\mu\pi\sigma$ esse dicit baptismō Noe: non quod baptismus Noe primarium fuerit exemplar, noster vero inferior sit figura: qualiter hoc nomen usurpat apostolus in epistola ad Hebreos (9, 24), quum legis caeremonias $\alpha\tau\tau\mu\pi\sigma$ vocat rerum coelestium. Similiter graeci scriptores id sacramentis attribuunt: ut quum dicunt mysticum sacrae coenae panem, esse corporis Christi $\alpha\tau\tau\mu\pi\sigma$. Sed hic non fit maioris aut minoris comparatio. Tantum significat apostolus mutuam similitudinem esse, ac (ut vulgo loquuntur) correspondentiam. Forsitan magis proprie loquutus foret $\alpha\tau\tau\sigma\tau\rho\sigma\sigma$ vocando: qualiter Aristoteles dialecticam facit $\alpha\tau\tau\sigma\tau\rho\sigma\sigma$ rhetoricae. Sed de verbis non est laborandum ubi de re convenit. Ergo sicuti Noe vitam

adeptus est per mortem, quum in arca non securus atque in sepulcro inclusus fuit, et toto mundo percuti servatus fuit cum exigua familia: sic hodie mortificatio, quae in baptismo figuratur, nobis ingressus est in vitam: nec salus sporanda est, nisi a mundo simus segregati.

Non abiectio sordium. Hoc ideo additum est, quoniam fieri interdum potest ut maior pars hominum Christi nomen profiteatur: ac eodem nobiscum baptismō initiati sunt foro omnes in ecclesia societatem. Hoc modo non convenirot quod prius dixit, paucos hodie servari per baptismum: sicuti octo solū animas Deus per arcā liberavit. Hanc obiectiōē Petrus occupat, quum testatur se non loqui de nudo signo, sed simul coniungere effectum. Ac si diceret, semper futurum quod sacculo Noe contigit, ut humanum genus in euum exitium ruat: pusillum vero gregem mirabiliter eripiat Dominus. Videmus nunc quid sibi velit haec correctio. Poterat enim quispiam obiicere, baptismō Noe nostrum esse longe dissimilem, quia plerosque hodie baptizari contingat. Respondet autom, non sufficere extēnum symbolum, nisi vere et efficaciter baptismum susciant. Atqui eius veritas in paucis reperiatur. Unde sequitur non debere nos circumspicere quid agat vulgus hominum, ut ab exemplis pendeamus nec debere nos metuere, si pauci simus numero. Caeterum hoc testimonium perperam detorquent fanatici homines (ut Schvincfeldius) dum sacramentis omnem vim et effectum detrahere volunt. Neque enim hic docere voluit Petrus inane et inefficax esse Christi institutum, sed tantum excludere hypocritas a spe salutis, qui baptismum, quantum in se est, depravant ac corrumpunt. Porro quum de sacramentis agitur, duo sunt consideranda, signum et res. Ut in baptismum signum est aqua: res autem, ablutio animae per sanguinem Christi, et carnis mortificatio. Horum utrumque sub se complectitur Christi institutum. Quod autem saepe inefficax et absque fructu signum apparet, id fit hominum abusu, qui sacramenti naturam non tollit. Discamus ergo rem signatam a signo non dividere. Quamquam simul a diverso vitio cavidum est, quale inter papistas regnat. Quia enim inter rem et signum non distinguunt ut oportet, consistunt in externo elemento, et illic locant salutis fiduciam. Itaque aquae conspectus, eorum mentes a Christi sanguine et gratia spiritus abstractit. Christum non cogitant bonorum omnium, quao illic offeruntur, unicum esse autorem, gloriam mortis eius ad aquam transferunt, arcanam spiritus virtutem alligant visibili signo. Quid ergo agendum est? Ne separeremus quae a Domino coniuncta sunt. Debemus in baptismō agnoscere spirituale lavaerū debemus illic testimonium remissionis peccatorum, et renovationis nostrae pignus amplecti:

sic tamen relinquere et Christo et spiritui sancto suum honorem, ut nulla pars salutis ad signum transferatur. Certe quum Petrus facta baptismi mentione mox excipit, non esse depositionem sordium carnis, satis ostendit, baptismum aliquibus esse duntaxat literalem: ideoque externum signum per se nihil valere.

Sed bonae conscientiae. Primum interrogatio hic vice responsionis vel testimonii capit. Brevis autem vim usumque baptismi definit Petrus quum ad conscientiam revocat, et nominatum fiduciam requirit quae sustineat Dei conspectum, et apud eius tribunal consistat. Nam his verbis docet baptismum praecipua sui parte spiritualem esse: deinde peccatorum remissionem et reformationem veteris hominis in se complecti. Quomodo enim bona et pura esse conscientia poterit, donec correctus fuerit vetus homo noster, et in iustitiam Dei renovati simus? Et quomodo respondebimus coram Deo, nisi gratuita peccatorum venia freti ac suffulti? In summa, baptismi effectum indicare voluit Petrus, ne quis nudo et emortuo signo glorietur, quemadmodum hypocritae solent. Sed notandum est quod dixit, per resurrectionem Christi. Quibus verbis docet non esse in elemento aquae haerendum: sed a Christo solo fluere, et ab eo petendum esse quidquid illie figuratur. Porro quum resurrectionem nominat, respicit ad superiorem doctrinam quam tradidit, Christum spiritu vivificatum esse. Nam resurrectio, mortis fuit victoria, et salutis nostrae complementum. Unde colligimus, mortem Christi, non excludi, sed potius contineri sub resurrectione. Ergo non aliter in baptismo proficimus, quam si sensus nostri omnes in Christi morte ac resurrectione consistant.

22. *Qui est in dextera.* Christi in coelos adscensum nobis commendat, ne eum oculi nostri in mundo quaerant: idque fidei maxime interest. Sessionem in dextera patris commendat, ne dubitemus satis in eo potentiae esse et praesidii ad nos servandos. Porro quid loquutio ista valeat, sedere ad patris dexteram, alibi exposuimus: quod scilicet Christus ubique summum imperium, tanquam Dei legatus, exerceat. Ad cuius rei explicationem faciunt quae mox sequuntur, subiectus sibi angelis, etc. Quod virtutes et potestates addit, tantum ad amplificationem spectat. Nam usitatum est angelos his omnibus designari. Magnitudinem ergo imperii, quod optinet Christus, hic elogis ornare Petrus voluit.

CAPUT IV.

1. *Christo igitur passo pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini: quod scilicet qui passus*

est in carne, destitit a peccato: 2. ne amplius hominum concupiscentiis, sed voluntati Dei, quod residuum est temporis in carne, vivat. 3. Satis enim nobis est quod anteacto vitae tempore voluntatem gentium patraverimus, quum ambularemus in lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, potionibus, et nefariis idolatriis. 4. Quod illis videtur insolens, quod non concurratis in eandem luxus profusionem, ideoque male loquuntur: 5. qui reddituri sunt rationem ei qui paratus est iudicare vivos et mortuos.

1. *Christus igitur, etc.* Quum nuper Christum proponeret, tantum de crucis tolerantia disserebat: nam interdum crux mortificatio vocatur, quia afflictionum exercitiis corruptitur homo exterior, caro etiam nostra domatur. Nunc autem altius consendet: tractat enim de totius hominis reformatione. Duplicem hanc mortis Christi similitudinem scriptura nobis commendat: nempe ut illi configuremur in probris et aerumnis: deindo ut nobis mortui, et extincto veteri homine, renovemur in spiritualem vitam. Tametsi non simpliciter considerandis est nobis Christus tanquam exemplum, ubi de carnis mortificatione agitur: sed spiritu eius vere inserimur in eius mortem, ut ipsa in nobis sit efficax ad crucifigendam carnem nostram. In summa, sicuti Petrus in fine proximi capituli, nos Christi exemplo hortatus est ad patientiam, quia mors illi transitus ad vitam fuerit: ita nunc ex eadem morte ducit altiorem doctrinam, quod scilicet carni et mundo nos mori oporteat. Sicuti ad Romanos capite 6, ubi fusius hoc argumentum prosequitur Paulus. Ideo dicit armamini, significans, vere et efficaciter nos invictis armis instrui ab subiugendam carnem, si vim mortis Christi percipimus ut decet.

Quod scilicet qui passus. Particulam δτι non puto hic notare causam, sed potius expositive capi. Declarat enim Petrus quaenam sit illa cogitatio qua mors Christi nos armat: nempe quod abolitum peccati regnum in nobis esse debeat, ut Deus in vita nostra reget. Male Erasmus, meo iudicio: qui vertit patiebatur, ad Christum referens. Nam est indefinita oratio, quae generaliter ad omnes pios extenditur: atque omnino eundem habent sensum haec verba, quem illa Pauli ad Romanos cap. 6, 7, Qui mortuus est, iustificatus est, vel absolutus a peccato. Uterque enim apostolus significat, ex quo mortui sumus in carno, nihil esse nobis amplius cum peccato negotii, ut vigeat in nobis, ac suam vim in vita nostra exerceat. Obici tamen poterit, improprius hic loqui Petrum, dum nos in eo conformes Christo facit, quod in carne patimur. Certum enim est, nihil fuisse in Christo vitiosum quod corrigi debuerit. Verum facilis est solutio,

quod necesse non sit hanc similitudinem per omnia congruere: sufficit ergo quod aliquatenus configuramur morti Christi. Quo sensu etiam nou inopto exponitur illud Pauli (Rom. 6, 5), nos inseri in similitudinem mortis eius: quia non eadem prorsus sit ratio, sed quia mors eius typus sit modo ac exemplar mortificationis nostrae. Proinde notandum est, carnis nomen hic diverso sensu bis esse positum. Nam quum passum carne Christum dicit, naturam humanam, quam a nobis sumpscrat Christus, morti subiectam fuisse docet: hoc est, Christum, quatenus homo erat, naturaliter fuisse mortuum. In secundo autem membro, quum de nobis sermo est, caro est naturae nostrae corruptio ac vitiositas. Ita passio in carne significat nostri abnegationem. Nunc videamus quid inter Christum et nos simile, quid diversum sit: nempe quod sicut passus est in carne a nobis sumpta, sic totam carnem nostram crucifigi oporteat.

2. *Ne amplius.* Hic modum exprimit desistendi a peccato: ut scilicet renuntiantes hominum concupiscentias, vitam nostram studeamus ad Dei voluntatem componere. Itaque duas renovationis nostrae partes hic comprehendit, carnis interitum, et vivificationem spiritus. Ab illo itaque inchoandus est bene vivendi cursus: ad hanc vero pergendum. Porro hic definit Petrus quae sit bene vivendi regula: quum scilicet a Dei voluntate pendet homo. Unde sequitur, nihil in vita esse rectum nec compositum, simulac inde aberrat. Praeterea notanda est antithesis inter Dei voluntatem et hominum concupiscentias. Unde intelligimus quanta sit nostra pravitas, et quantopere luctandum sit, ut Deo reddamur obsequentes. Quum dicit, reliquum temporis in carne, caro pro vita praesenti accipitur, sicuti ad Hebraeos capite 5, 7.

3. *Satis enim nobis.* Non intelligit Petrus, taedio nos voluptatum affici debere, quemadmodum solent qui ad satietatem illis sunt expleti: sed potius vitae praeteritiae memoria ad poenitentiam eos stimulat. Et certe hic acerrimus nobis stimulus esse debet ad bene currendum, dum reputamus nos magna parta vitae extra viam errasse. Admonet autem Petrus, absurdum fore, si a Christo illuminati vitam in melius non mutent. Nam hic inter ignorantiae et fidei tempora discernit: sc si diceret aequum esse ut novos et alios se homines praebant, ex quo Christus eos vocavit. Caeterum pro hominum concupiscentiis, nuno ponit gentium voluntatem: in quo Iudeis exprobat quod gentibus in omni pollutionis genere permisi essent, quum eos Dominus segregasset. In posterum vero docet exuenta esse vitia quae caecitatem ac Dei ignorantiam in hominibus arguunt. Pondus etiam habet haec particula quod residuum est vitae.

Significat enim ad finem usque perseverandum: sicuti quum dicit Paulus (Rom. 6, 9) Christum a mortuis excitatum, iam amplius non mori. Nam ideo redempti sumus a Domino, ut illi serviamus omnibus diebus vitae nostrae.

In lasciviis. Non recenset integrum catalogum: sed tantum quasdam species attingit ex quibus summatis, colligere licet, quidam appetant, et quorsum propensi sint homines spiritu Dei non regniti. Crassiora autem vitia nominat, ut fieri in proferendis exemplis solet. In verborum interpretatione non immorabor, quia nihil habent difficultatis. Sed hic exoritur quaestio: quia videtur multis iniuriam facere Petrus, quum omnes lasciviae, dissolutionis, libidinum, ebrietatis, et comesationum reos facit. Certum est enim non fuisse omnes his vitiis implicitos. Imo in gentibus quasdam scimus honeste et circa infamiae notam vixisse. Respondeo, Petrum non sic tribuere gentibus haec vitia, quasi omnium damnet singulos homines, sed quasi sic ad malum natura proclives sumus: neque id modo, sed etiam pravitati addicci, ut necessario isti fructus, quos enumerat, ex mala radice prodeant. Nemo quidem est qui non inclusum in se habeat vitiorum omnium semen: sed non omnia in singulis germinant atque emergunt. Sic tamen per totum humanum genus sparsa est ac diffusa contagio, ut appareat totum corpus innumeris malis refertum esse: nullum vero membrum a communi corruptela esse immune vel purum. Postremo quoque membrum aliam quaestionem gignere potest. Iudeos enim alloquitur Petrus: et tamen in nefariis idolatriis versatos esse dicit. Atqui Iudei ubique terrarum agerent, sollicite sibi cavebant ab idolis. Duplex solutio afferri potest: vel quod per synecdochem communiter de omnibus pronuntiet quod tantum ad paucos spectabat (neque enim dubium est quin ex Iudeis promiscue a gentibus compositae fuerint ecclesiae ad quas scribebat) vel quod idolatrias appellet quasi superstitiones quarum tunc pleni erant Iudei. Quamquam enim se Deum Israel colere profitebantur, scimus tamen nullam divini cultus partem apud eos synceram fuisse. Et quanta in regionibus barbaris ac in turmis dissipatis confusio esse poterat, quum ipsa Ierosolyma, ex cuius radiis lucem suam mutuabantur, ad extremum impietatis prolapsa esset. Scimus enim illic omne genus deliria impune grassata esse, ut summum quoque sacerdotium et praecipuum ecclesiae regimen penes Sadduceos esset.

4. *Quod illis videtur.* Ad verbum sic Petrus habet, In quo peregrinantur, non concurrentibus vobis in eandem luxus profusionem, blasphemantes. Sed peregrinari capit pro morari ut in re nova et insolita. Qua loquutione et Latini interdum utuntur: ut quum Cicero dicit, se hospitem

esse in urbe, quia quae illie aguntur non cognoscant. Caeterum hoc loco munit Petrus fideles, ne perversis impiorum iudiciis vel sermonibus turbari se vel corrumphi sinant. Est enim haec non levius tentatio, quum ii, inter quos versamur, vitam nostram insimulant quasi a communis humanitate abhorrentem. Iстis, inquit, fabricandus esset novus mundus, quoniam ita ab humano genere dissident. Ita filios Dei accusant, quasi orbis divortium moliantur. Praevenit ergo apostolus, ac fideles vetat talibus probris vel calumniis frangi. Fulturam autem illis proponit, Dei iudicium. Hoc enim est quod nos contra omnes insultus sustinet, quum diem illum patienter exspectamus, quo vindicabit Christus eos omnes qui nunc temere nos damnant: sibique nos ac causam nostram prebari ostendet. Dicit autem nominatim vivos ac mortuos: ne quid putemus nos damni pati, si morientibus nobis maneant illi superstites: quia non propterea manum Dei effugient. Porro quo sensu vivos et mortuos dicat, discere licebit ex 15. prioris ad Corinth. cap.

6. In hoc enim et mortuis evangelizatus fuit, ut iudicentur quidem secundum homines carne, vivant autem secundum Deum spiritu. 7. Porro omnium finis propinquus est, sobrii itaque estote, et vigilantes ad precandum. 8. Ante omnia vero caritatem inter vos intentam habentes: quia caritas operiet multitudinem peccatorum. 9. Invicem hospitales sine murmurationibus. 10. Ut quisque accepit donum ministrandis illud inter vos, tanquam boni dispensatores multiplicis gratiae Dei. 11. Si quis loquitur, loquatur tanquam eloquia Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam suppeditat Deus: ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

6. Mortuis evangelizatus. Videmus in quem sensum accommodet superiorem sententiam, quam capite 3, habuimus: nempe mortem nihil obstat quin Christus semper nihilominus sit vindix noster. Insignis itaque est piorum consolatio, quod eorum saluti mors nihil affert iacturae. Ergo utsunque in hac vita non apparcat Christus liberator, non tamen inanis est aut irrita eius redemptio: quia ad mortuos usque extenditur eius virtus. Caeterum quod graeca vox ambigua est, tam in masculine genere quam in neutro verti potest, sed eodem fere sensu: nempe quod Christus mortuis patefactus fuerit redemptor: vel quod illis salus per evangelium patefacta fuerit. Quod si gratia Christi semel penetravit ad mortuos, non dubium est quin eam a morte quoque sensri simus. Itaque nimis angustos limites illi statuimus, si restringimus ad praesentem vitam.

Calvini opera. Vol. LV.

Ut iudicentur. Aliorum expositiones omitto, quia mihi videntur a mente apostoli procul remotae. Hoc enim (meo iudicio) per anticipationem dictum est: quia obiici poterat, nullum extare evangelii erga mortuos profectum, quos minime restitut in vitam. Partem huius obiectiois concedit Petrus: sic tamen, ut salute a Christo parta non priveatur. In priore itaque membro quum dicit, ut iudicentur carne secundum homines, concessio est: ac ludicari hic pro damnari capit, ut saepe alias: Caro autem pro externo homine: ut sit sensus, quamvis secundum rationem mundi, interitum patientur mortui in carne sua: et dannati, quoad externum hominem, habeantur: vivere tamen apud Deum non desinunt, idque spiritu: quia Christus eos spiritu suo vivificat. Nunc addendum quod Paulus ad Rom. cap. 8, 10, docet, spiritum esse vitam: ac preinde futurum ut mortis reliquias, quae adhuc haerent in nobis, tandem absorbeat. Summa est, utcunque deterior sit mortuorum conditio in carne secundum homines, sufficere tamen quod eos spiritus Christi vivificat, qui aliquando eos ad perfectionem vitae adducet.

7. Porro omnium finis. Tametsi audiunt fideles, alibi quam in mundo suam felicitatem esse: quia tamen diu se victuros putant, haec prava imaginatio pigros, imo socordes reddit, ne studia sua applicent ad regnum Dei. Quameobrem apostolus ut eos excitet a sopore carnis, admonet, propinquum esse rerum omnium finem. Quo significat non desiderandum esse in hoc mundo, unde paulo post migrare nos oporteat. Quamquam non de privato tantum cuiusque fine loquitur, sed de universa mundi reparacione: ac si diceret, venturum brevi Christum qui finem omnibus imponet. Non mirum igitur si nos obruant mundi curae, sopitosque teneant: si oculos perstringat praesentium rerum adspectus: quia omnes fere nobis aeteritatem in mundo promittimus: saltem nuaquam finis venit in mentem. Quod si auribus nostris insonaret Christi tuba, sensus omnes nostros acriter percelleret, neque ita torpere pateretur. Caeterum obiici posset, longam aetatum seriem fluxisse ex quo hoc scripsit Petrus, neendum tamen finem conspici. Respondeo, nobis ideo longum videri tempus, quia longitudinem metimus caduceo huiusc vitae spatiis: verum si in perpetuitatem futurae vitae respicere possemus, multa saecula nobis instar momenti fore: quemadmodum et proxima epistola dicet. Praeterea tenendum est illud principium, ex quo semel apparuit Christus, nihil fidelibus relictum esse, nisi ut suspensis animis semper ad secundum eius adventum intenti essent. Vigilantia et sobrietas, ad quas eos hortatur, mentis sunt potius quam corporis, meo iudicio. Congruunt enim haec verba cum illis Christi (Matth. 25, 13): Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Nam

sicuti crapulae et somnii indulgentia gravatur corpus ne sit ad officia sua expeditum: ita vanae huius mundi curae aut delitiae mentem inebriant, redduntque somnolentam. Quum addit ad precandum, vel ad preces, maximo necessarium exercitium designat, in quo fideles praesertim occupari decet, quum tota eorum fortitudo a Domino pendoat: ac si diceret, quando nimium a vobis infirmi estis, petite a Domino ut vos confirmet. Interea vicissim admonet, serio non perfundetorie precandum esse.

8. *Ante omnia.* Caritatem in primis commendat, quia vinculum sit perfectionis. Et intentam esse iubet, aut vehementer, quod idem est: quia quisque amore sui ultra modum fervens, alios frigide amat. Commendat autem eam a fructu: quia innumera peccata sepeliat: quo nihil est optabilius. Est autem ex Solomone haec sumpta sententia, cuius verba sunt Proverb. 10, 12, odium convicia detegit: caritas autom operit multitudinem peccatorum. Quid velit Solomon satis clarum est. Membra enim antitheseos inter se respondent. Quum itaque priore membro dicat odium in causa esse ut mutuo se traducant ac infamenti homines, et quidquid probri est ac decoris, in medium proferant: sequitur tribui caritati contrarium effectum: nempe quod dum inter se amant homines, benigne et humaniter multa invicem condonant: unde fit ut sepultis ultiro citroque vitiis, alter alterius honorem salvum esse cupiat. Hac ratione suam exhortationem confirmat Petrus, quod nihil ipsis utilius sit, quam fovere mutuam caritatem. Quis enim non multis vitiis laborat? Proinde venia opus habent omnes, et nemo est qui non sibi parci cupiat. Hoc singulare bonum nobis affert caritas, dum inter nos viget, ut innumera mala oblivione contegantur. Contra, ubi fraenum odio laxatur, necesse est ut homines invicem moriendo et lacerando, sc̄ consumant: quemadmodum Paulus dicit (Galat. 5, 15). Et notandum est quod non pauca tantum peccata obtegi tradit Solomon, sed multitudinem, iuxta Christi sententiam, qua iubet ignoroscere fratribus septuagies septies (Matth. 18, 22). Caeterum quo pluribus peccatis medetur caritas, eo latius patet eius utilitas ad conservationem humani generis. Hic simplex est verborum sensus. Unde apparet quam ridiculi sint papistae, qui suas satisfactiones elicere hinc volunt: quasi eleemosynae, et alia caritatis officia, compensationis loco sint apud Deum in delendis peccatis. Crassam eorum inscitiam obiter notasse sufficiat: quia in re per specia pluribus disputare supervacuum foret.

9. *In vicem hospitales.* Postquam in genere adhortatus est ad caritatem, unum eius officium specialiter commemorat. Erat illo tempore in usu communi hospitalitas, et saera quodammodo species humanitatis fuit habita, ut alibi diximus. Iubet ergo ut eam mutuo exerceant: ne quis ab aliis

plus requirat, quam ipse praestare sit paratus. Addit, sine murmurationibus. Quia rarum est exemplum ut quis proximo se ac sua impendat, quin maligno obtrectet. Vult ergo apostolus, liberaliter et hilari animo beneficentiam a nobis colit.

10. *Ut quisque accepit.* Admonet quid nobis sit considerandum, quum benefacimus proximis. Nihil enim ad corrigendas murmurationes aptius, quam dum reputamus non largiri nos de proprio, sed tantum dispensare quod a Domino commisum est. Quum ergo dicit: Administrantes quod quisque accepit donum, significat hac lege singulis distributum quod habent facultatis, ut in iuvaudis fratribus Dei sint ministri. Itaque secundum membra prioris est expositio: nam loco ministerii ponit oeconomiam. Pro eo quod dixerat: ut quisque donum accepit, commemorat multiplices gratias, quas varie distribuit nobis Deus, ut in commune singuli portiones suas conferant. Proinde si qua pollemus facultate supra alios, meminerimus nos eatenus oeconomos esse Dei, ut comiter impartiamus proximis, prout eorum necessitas vel usus postulat. Ita fit ut ad communicationem propensi simus ac faciles. Sed haec quoque consideratio multum valet, quod sic Dominus multiplices gratias inter homines divisit, ut nemo se uno et suis facultatibus sit contentus, sed quisque fratris sui ope auxilioque indigeat. Hoc inquam vinculum retinenda inter homines societatis statuit Deus, quod sine mutuo auxilio vivere nequeant. Ita fit ut qui fratum opem multis in rebus implorat, libentius quod accepit, cum illis communicet. Hoc fovendae unitatis vinculum a profanis hominiibus animadversum fuit: sed Petrus hic docet Deum hoc consulto fecisse, ut alios aliis obligaret.

11. *Si quis loquitur.* Quia de recto puroque donorum usu loquutus erat, species duas, exempli causa, recitat: et eas quidem elegit in quibus plus est praestantiae, vel quae sunt prae aliis illustres. Docendi munus in ecclesia, est eximiae gratiae Dei distributio: praecipit ergo nominatim, ut qui ad illud vocati sunt, fideliter se gerant. Quamquam hic non tantum quid debeamus hominibus, tradit: sed quid etiam Deo: ne scilicet eum fraudemus sua gloria: qui loquitur ergo, hoc est, qui publica autoritate rite ordinatus est, loquatur ut eloquia Dei: hoc est, reverenter in timore Dei sinceroque affectu defungi iniuncta sibi cura studeat, reputans se in gerendis Dei negotiis versari: et verbum Dei esse, non suum, quod ministrat. Adhuc enim insistit in illa doctrina, quum aliquid conferimus in fratres nostros, Dei mandato nos illis ministrare quod in eum finem apud nos depositum. Et sane si hoc unum expenderent quicunque se doctores ecclesiae profitentur, maior in illis fides ac religio esset. Quantum enim hoc est, quod in

tractandis Dei eloquiis, Christi personam sustinent? Inde igitur tanta securitas et licentia, quod paucis in mentem venit sacrosancta verbi Dei maiestas: ideoque tanquam in profana villicatione sibi indulgent. Interea colligimus ex Petri verbis, non aliud licere iis qui ad docendum praesunt, nisi ut fideliter acceptam a Deo doctrinam aliis per manus tradant. Vetat enim quemquam in medium prodire, nisi qui Dei sermone instructus, tanquam ex eius ore certa oracula proferat. Itaque nullum humanis commentis locum relinquit. Genus enim doctrinae quod ecclesiae tradendum est, breviter definit. Nec vero particula similitudinis, minuendi causa hic posita est, quasi profiteri sufficiat, verbum esse Dei quod traditur. Nam hoc olim pseudoprophetis tritum fuit: et hodie videmus quam arroganter papa cum suis hoc titulo praetexat impias omnes suas traditiones. At Petrus non voluit ad hypocrismum pastores instituere, ut tantum a Deo se habere praetenderent quamcunque ipsis libuerit proferre doctrinam: sed ex reipsa argumentum sumit, ut eos ad sobriam modestiam, ad Dei timorem, attentumque agendi studium hortetur.

Si quis ministrat. Hacc secunda species latius patet, imo sub se continet docendi officium. Sed quoniam singula ministeria recensere nimis longum fuisset, summatum de omnibus simul pronuntiare maluit: ac si dixisset: quamcunque oneris partem sustineas in ecclesia, scias te nihil praestare posse nisi quod a Domino datum est: nec te aliud esse quam Dei organum. Cave igitur ne Dei gratia ad te efferendum abutaris: cave ne Dei virtutem supimas, quae se exserit ac profert in tuo ministerio ad fratrum salutem. Ministret ergo tanquam ex Dei virtute, hoc est, nihil sibi proprium esse reputans, humiliiter Deo eiusque ecclesiae suum obsequium impendat.

Ut in omnibus glorificetur. Quum dicit in omnibus, tam masculinum genus quam neutrum esse potest: atque ita vel ad dona, vel ad homines referri, perinde utrumque convenit. Sensus est, Deum non ideo nos ornare suis donis, ut se ipsum spoliet, seque velut inane idolum faciat, suam in nos gloriam transferendo: sed potius ut sua gloria ubique reluceat. Proinde sacrilegam esse donorum Dei pollutionem, quum aliud sibi homines proponunt, quam ut Deum glorificent. Dicit per Christum, quia quidquid habemus ad ministrandum virtutis, solus ipse nobis suggerit. Est enim caput, ex quo totum corpus per iuncturas et nexus compactum crescit Domino, prout singulis membris vim inspirat.

Cui gloria. Nonnulli ad Christum referunt: verum circumstantia loci postulat ut ad Deum potius referatur. Confirmat enim proximam exhortationem, quod Deus iure suo omnem gloriam sibi

vindicet: ideoque illi scelerate eripiant homines quod suum ost, dum eius gloria in re aut parte obscurant.

12. *Dilecti, nc mircmini quum exploramini per ignem ad probationem vestri, prinde ac si novum aliquid vobis obtingat:* 13. *Sed quatenus consortes estis passionum Christi, gaudete: ut in revelatione quoque gloriae cius gaudeatis exsultantes.* 14. *Si probris afficimi in nomine Christi, beati estis: quoniam spiritus gloriae et Dei super vos re quiescit.* Secundum ipsos quidem contumelia afficitur: secundum vos autem glorificatur. 15. *Ne quis enim vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut cupide rebus alienis inhians.* 16. *Si autem ut Christianus, ne pudescat, imo glorificet Deum in hac parte.* 17. *Quandoquidem et tempus est ut iudicium incipiat a domo Dei.*

12. *Dilceti, nc miremini.* Frequens in hac epistola afflictionum fit mentio: causam alibi exposuimus. Sed observandum est discriminem: quod interdum ubi ad patientiam hortari vult fideles, de communibus vitae humanae aerumnis in genere loquitur: hoc autem loco sermonem habet de iniuriis, quas sustinent fideles propter Christi nomen. Ac primum quidem admonet, non debere ipsos tanquam in re subita vel inopinata mirari: quo significat, eos prius longa meditatione ad ferendam crucem debere esse comparatos. Quisquis enim hoc sibi proposuit, militandum sub Christo esse, si qua persecutio incidit, non consternabitur: sed tanquam assuefactus, patienter eam feret. Ergo ut praesenti simus animo, quum excipiendi sunt persecutionum fluctus, mature assuefieri nos oportet ad meditationem assiduam crucis. Porro, duobus argumentis utile nobis esse crucis exercitium probat: quod scilicet hoc modo fidei nostrae experimentum Deus capit: deinde quod sumus Christi consortes. Primo itaque loco hoc nobis in mentem veniat, examen hoc, quo probatur fides nostra, esse plusquam necessarium: itaque libenter obtemperandum esse Deo, dum saluti nostrae consulit. Praecipua tamen consolatio ex Christi societate petenda est. Ideo non tantum mirari vetat Petrus, quum eam nobis proponit: sed gaudere etiam iubet. Est quidem et illa gaudii materia, quod Deus ad fidei nostrae probationem, persecutionibus nos exercet: sed haec altera gaudii species longo exsuperat, quod in suum ordinem nos aggregat filius Dei, ut in beatam coelestis gloriae societatem nos secum adducat. Tenendum est enim axioma illud, nos mortificationem Christi in carne nostra ferre, ut vita eius manifestetur in nobis. Plurimas quidem afflictiones etiam reprobi sustinont: sed quia separati sunt a Christo, nihil praeter iram Dei et maledictionem concipiunt. Ita fit ut eos tristitia et horror penitus absorbeat. Hinc igitur tota

piorum consolatio, quod cum Christo communicant: idque in eum finem, ut aliquando gloriae sint consortes. Semper enim considerandus est transitus ille a eruce ad resurrectionem. Sed quia hic mundus labyrintho similis est, in quo nullus malorum exitus iis apparet, Petrus futuram gloriae Christi revelationem commemorat: ac si diceret, non ideo spornendam esse, quia sit nunc abscondita: sed expectandum esse revelationis diem. Duplex autem gaudium ponit, alterum, quo iam fruimur in spe: alterum, eius plenam fruitionem nobis adferat Christi adventus. Quia prius illud cum dolore et tristitia mistum est, secundum eum exultatione coniungit. Neque enim gaudium in mediis afflictionibus imaginari convenit, quod nos omnis molestiae expertes reddat: sed malorum sensum temperant Dei consolationes, ut simul tamen gaudeamus.

14. *Si probris afficiuntur.* Probrorum meminit, quoniam plus saepe aerbitatis in se habent quam bonorum iactura, vel etiam tormenta et cruciatus corporis. Ita nihil est quod ingenuos animos magis frangant. Videamus enim multos ad ferendam inopiam fortes, animosos in tormentis, imo ad mortem quoque oppetendam intrepidos, ignominiae succumbere. Huic malo ut occurrat Petrus, beatos iuxta Christi sententiam pronuntiat, qui probris afficiuntur ob evangelium. Quod a eomuni hominum sensu abhorret. Sed causam reddit: quia spiritus Dei, qui idem est gloriae spiritus, super eos quiescit. Quidam disiunctim legunt, id quod gloriae est: ac si dictum esset, gloria et spiritus Dei. Sed illa prior lectio ad sensum aptior est, et quoad linguae proprietatem, simplicior. Ostendit ergo Petrus hoc nihil obesse piorum felicitati, si quid ignominiae propter Christi nomen sustineant: quia integrum nihilominus gloriae possessionem retinent coram Deo, dum in illis habitat spiritus, qui gloriam secum perpetuo coniunctam habet. Ita quod carni videtur paradoxum, spiritus Dei certo sensu in eorum animis comprobatur.

Secundum ipsos quidem. Proximae sententiae confirmatio. Significat enim debere hoc piis sufficere, quod spiritus Dei illis testatur, beata et plena gloriae esse probra quae Evangelii causa sustinent: uteunque reprobi longe aliud moliantur. Ac si diceret, Potestis secure impiorum contemnere proterviam, quia intus fixum manet apud vos gloriae testimonium, quod vobis reddit Dei spiritus. Dicit autem spiritum Dei probris affici, quia ludibrio habent infideles quidquid nobis ad consolationem suggestum ac dictat. Atque hoc *χατὰ πρέληψιν*: nam uteunque mundus pro sua cæcitate nihil in probris Christi nisi probosum earnat, non vult piorum oculos falsa hac opinione perstringi: quia potius in Deum respicere debeant. Ita non dissimulat quid vulgo sentiant homines: sed arcanum fidei sensum,

quo praediti sunt filii Dei in suis conscientiis, illorum temeritati opponit. In hunc modum iactat Paulus (Gal. 6, 17) se ferro Christi stigmata, et eatenus suis gloriatur: quum tamen satis comportum haberet quale de illis esset mundi iudicium. Interea subindicat perperam sentire, et cum mundo esse excaecatos, quibus ignominia carnis gloriosa non est.

15. *Ne quis enim vestrum.* Hic quoquo obiecitionem prævenit. Hortatus erat fideles ad tolerantiam, si contingoret ipsos ob Christi causam affligi: nunc subiicit eur tantum loquutus sit de illo afflictionum genere: quia scilicet abstinere ab omni maleficio debeant. Itaque hic inclusa est alora exhortatio, ne committant ut merito videantur plecti. Itaque particula causalis hic supervacua non est, quum velit apostolus causam reddero cur tantum ad societatem passionum Christi hortatus sit fideles: et simul per occasionem eos monere ut iuste et innoxie vivant, ne iustas sibi poenas aceersant propria culpa. Ac si diceret, Christianorum esse de omnibus bene miceri, et interea male ac inhumaniter tractari a mundo. Si quis obiiciat, neminem adeo insontem posso inveniri, quin tamen ob multa delicta flagellis Dei dignus sit: respondeo, Petrum hic de sceleribus loqui, a quibus nos prorsus alienos esse decet, ut sunt furta, et homicidia: deinde respondeo, Christianis apostolum præcipere quales esso debeant. Non mirum est igitur, si discrimen inter eos et huius mundi filios statuit, qui Dei spiritu destituti ad omne flagitii genus se prostituunt. Filios Dei in eadem esse causa non vult, ut iniuste vivendo iustas legum poenas in se provocent. Porro alibi iam diximus, uteunque semper in electis multa sint peccata, quae Deus puniro iure possit, ipsum tamen pro paterna sua indulgentia filiis suis parcere, ne poenas quas meriti sunt, exigat: interea vero, honoris causa, suis et Christi sui insignibus eos ornare, dum affligi ob evangelii testimonium patitur. Nomen ἀλλοτροεπίσκοπος videtur mihi alieni cupidos designare. Nam qui ad rapinas vel fraudes inhiant, limis oculis (ut inquit Horatius) in res alienas inquirunt. Pecuniae autem contemptor (ut idem alibi loquitur) auri ingentes oculo irreto spectat acervos.

16. *Si autem ut Christianus.* Postquam ab omni laesione et iniuria Christianos prohibuit, ne pariter cum incredulis ob sua maleficia mundo sint exosi: nunc Deo iubet gratias agere si persecutiones propter Christi nomen sustineant. Et sane hoc non vulgare est Dei beneficium, quod nos communibus peccatorum poenis solutos et exemptos, ad honorificam militiam vocat, ut pro evangelii sui testimonio, vel exsilia, vel carceres, vel probara, vel mortem ipsam subeamus. Ergo ingratos Deo esse significat, qui in persecutionibus fremunt vel murmurant,

quasi indigne tractentur: quum potius hoc in lucro reputare, et Dei gratiam agnoscere debeant. Cae-
terum quum dicit, ut Christianus, non tam nomen quam causam respicit. Certum est, nihil omittere Christi adversarios ut evangelium infament: ergo quaseunque probrosas voces comminiscantur, sufficiat fidelibus quod non nisi pro evangelii defensione laborant.

In hac parte. Nam quum omnes afflictiones originem trahant a peccato, haec cogitatio in mente venire piis debet. Ego quidem dignus eram cui Dominus et has et maiores poenas irrogaret pro peccatis: nunc autem vult me pati ob iustitiam, ac si essem innocens. Utcunque enim suam culpam agnoscant sancti, quia tamen in persequitionibus diversum finem considerant quem illis Dominus proponit, reatum suum deletum coram Deo et abolutum esse sentiunt. In hac parte causam habent glorificandi Dei.

17. *Quandoquidem et tempus est.* Consolationem illam amplificat, quam nobis affert causae, pro qua patimur, bonitas, dum affligimur pro Christi nomine. Nam haec, inquit, necessitas totam Dei ecclesiam manet, ut non tantum communibus hominum miseriis subiaceat, sed peculiariter et praecipue Dei manu castigetur: tanto igitur aequiore animo ferendae sunt pro Christo persequentes. Nisi enim expungi e numero fidelium velimus, Dei ferulis nos tergum aptare convenit. *Suave*¹⁾ autem istud condimentum est, quod non ut in alios passim Deus sua in nos iudicia exercet, sed filii sui personam nobis imponit, ut non nisi eius causa et nomine laboremus. Porro hanc sententiam ex trita et perpetua scripturae doctrina sumpsit Petrus: idque mihi probabilius est, quam quod alii putant, certum aliquem locum notari. Hoc Domino iam olim fuisse usitatum, testes sunt omnes prophetae, ut prima castigationum exempla in populo suo ederet: quemadmodum paterfamilias in suos potius quam in alienos animadvertisit. Quamquam enim totius mundi iudex est Deus, specialiter tamen in regenda sua ecclesia providentiam suam vult cognosci. Itaque quum surrecturum se totius mundi iudicem denuntiat, hoc fore subiicit postquam totum opus suum compleverit in monte Sion. Promiscue quidem in suos et alienos exserit manum suam: utrosque enim videmus communiter rebus adversis subiici: verum si fiat comparatio, videtur quodammodo reprobis parcere, prae ut in electos severus est. Unde illae piorum querelae, quod reprobi vitam in continuis delitiis transigunt: quod vino et cithara se oblectant, et tandem momento absque dolore descendunt in sepulcrum: quod pinguedo tegit oculos eorum: quod molestiis exempti, secure et suaviter, aliis con-

temptis, beata vita fruuntur, ita ut in coelum os suum efferre non dubitet. Denique sic Deus iudicia sua in hoc saeculo temperat, ut reprobos saginet usque ad diem mactationis. Multa igitur eorum seclera praeterit, quasi conniveat. Interim filios suos, quorum curam habet, simul atque lapsi sunt, correctionibus in viam revocat. Secundum banc rationem dicit Petrus iudicium incipere a domo Dei. Nam iudicij nomine poenas omnes complectitur quas Dominus infligit hominum peccatis, et quidquid ad mundi reformationem spectat. Cur autem nunc dicit tempus esse? Significat (meo iudicio) quod de suo saeculo prophetae affirmant, in regnum Christi maxime competere, ut initium correctionis ab ecclesia fiat. Ideo dicit Paulus (1. Cor. 15, 19), Christianos sublata fide resurrectionis, omnium hominum miserrimos fore. Et merito: quia dum alii absque metu sibi indulgent, assidue ingemiscunt fideles: dum aliorum peccata dissimulat Deus, et alios torpore sinit, suos sub crucis disciplina multo rigidius exercet.

Si autem primum a nobis: quis finis eorum qui non obediunt evangelio Dei? 18. *Et si iustus vix servatur, impius et peccator ubi apparebunt?* 19. *Itaque qui patiuntur secundum Dei voluntatem, tanquam fidei possessori commendent animas suas benefaciendo.*

Quum fideles malis bene esse vident, fieri non potest quin aemulatione tangantur: atque haec valde periculosa tentatio est. Omnibus enim cordi est praesens felicitas. Itaque in hoc sedulo incubuit spiritus Dei, cum multis in lecis, tum Psal. 37, Ne fideles prosperis rebus impiorum invideant. Idem nunc agit Petrus: docet enim afflictiones filiis Dei moderate ferendas esse, si aliorum sortem cum sua conferant. Sumit autem illud pro confesso, Deum esse mundi iudicem: ideoque neminem posse impune effugere ex eius manu. Hinc colligit, horrendam ultionem iis instare quorum nunc potior videtur conditio. Summa (quemadmodum dixi) huc spectat, ne filii Dei praesentium malorum acerbitate offensi, deficiant: quin potius afflictiones ad exiguum tempus placide ferant, quarum salutaris est exitus: quum prosperitatem fluxam et caducam impii redimant aeterno interitu. Porro argumentum est a minori ad maius: quia si filiis suis quos diligit, et quos sibi obsequentes habet, non parcit Deus: adversus inimicos et rebelles plusquam formidabilis erit eius severitas. Nihil ergo melius quam obedire evangelio, ut nos Deus clementer in salutem paterna manu corrigat.

18. *Et si iustus.* Putarunt hanc sententiam ex Proverb. cap. 11, 31, sumptam esse. Atque ita Graeci verterunt quod dicit Solomon: si iustus in terra plectitur, quanto magis impius? Sive autem

¹⁾ Inane

locum illum adducere voluerit Petrus, sive tritam ac proverbiale sententiam (quod mihi probabilius est) citaverit, sensus est, formidabile Dei fore iudicium adversus impios, quum tam spinosa et difficultis sit electis via ad salutem. Hoc autem ideo dictum est, ne securi delitiemur, sed in peragendo cursu nostro simus solliceti: deinde ne mollo ac delicatum iter appetamus, cuius finis erit horrendum praeципitum. Porro quum dicit *iustum vix servari*, hoc ad praesentis vitao difficultates referri debet. Nam cursus noster in mundo, tanquam pereculosa navigatio est inter multos scopulos, multisque procellis ac tempestatibus infesta. Nemo itaque ad portum pervenit, nisi qui effingerit ex mille mortibus. Interea certum est nos regi Dei manu, nec esse nobis periculum a naufragio, quamdiu illum habemus gubernatorem. Quare absurdi fuerunt interpres, qui putarunt nos aegre ac difficulter servandos esse, ubi ad Dei iudicium ventum fuerit. Praesens enim tempus, non futurum Petrus designat: nec Dei rigorem praedicat, sed doctet quot et quam ardua discrimina superauda sint homini christiano, priusquam ad metam pertingat. Peccator hic pro scelerato capit: quemadmodum iustos nominat, non qui penitus absoluti sint in iustitia, sed qui recte vivere student.

19. *Itaque qui patiuntur.* Concludit, aequo animo ferendas esse persecutiones, quia in illis facilior multo est piorum conditio quam infidelium, quum prosperis rebus ad votum fruuntur. Reducit tamen in memoriam, nihil nisi Dei permisso nos pati: quod multum ad consolationem valet. Quum dicit, *animas suas Deo commendent*, perinde est ac si dixisset, se ipsos ac vitam suam tradant in fidem Dei. Porro eum vocat *fidum possessorem*, quia fideliter servat ac tuetur quidquid in tutelam suam vel dominium recepit. Alii conditorem vertunt: et *χτίστης* utrumque Graecis significat. Sed prior sensus mihi magis placet: quia dum vitam nostram deponi iubet apud Deum, ipsum eius custodem facit. Addit, in benefaciendo, ne fideles illatas sibi iniurias retalient, sed potius benefaciendo certent cum improbis a quibus laeduntur.

CAPUT V.

1. *Presbyteros qui inter vos sunt, hortor ego qui simul sum presbyter, et testis passionum Christi, et gloriae quae revelabitur, particeps:* 2. *pascite, quantum in robis est, gregem Dei: episcopatu fungentes non coacte, sed voluntarie: neque turpis lucri causa, sed liberaliter:* 3. *nec tanquam dominium exercentes adversus clerros, sed ut sitis exemplaria gregis.* 4. *Et quum apparuerit princeps pastorum, reportabitis immarcessibilem gloriae coronam.*

Dum pastores ad officium hortari vult, tria potissimum vitia notat quae plurimum obesse solent: pigritiam scilicet, lucri captandi cupiditatem, et licentiam dominandi. Primo vitio opponit alaeritatem aut voluntarium studium, secundo liberalem affectum, tertio moderationem ac modestiam, qua se ipsos in ordinem cogant. Dicit ergo pastores non debere sollicitos esse de grege Domini, quantum necessitas cogit duntaxat. Nam qui non plus praestare student quam necesse est, defunctione et negligenter ad opus se applicant. Vult ergo quod agunt, sponte ipsos agere, ut sedulo ad munus suum intenti sint. Ut avaritiam corrigat, iubet ipsos propenso affectu facere officium. Quisquis enim hunc finem non habuerit propositum, ut se et operam suam ingenue et libenter ecclesiae impendat, non Christi minister erit, sed ventris aut crumenae mancipium. Tertium vitium, quod taxat, est dominandi libido. Sed quaeritur quale dominationis genus intelligat. Verum hoc mibi ex opposito membro posse colligi videtur, ubi iubet ipsos esse formam gregis vel exemplar. Perinde enim est ac si diceret, eos praeesse in hunc finem, ut sanctitate emineant: quod fieri non potest, nisi se ac suam vitam modeste subiiciant communi regulae. Huic virtuti opponitur tyrannica superbia, dum pastor, se ipsum omni subiectione eximens, ecclesiam servitute opprimit. Hoc pseudoprophetis Ezechiel (34, 4) exprobrat, quod austere dominantur et cum imperio. Christus etiam Pharisaeis (Matth. 23, 4), quod onera importabilia populi humeris imponant, quae ne digito quidem volunt attingere. Ergo non aliter corrigi potest imperiosus ille rigor quem mali pastores in ecclesiam exercent, nisi quum hac restringitur eorum autoritas, ut praesint honesto vitae exemplo.

1. *Presbyteros.* Hoc nomine pastores designat, et quicunque ad ecclesiac regimen constituti erant. Vocarunt autem presbyteros vel seniores honoris causa, non quod aetate omnes essent senes: sed quia ex senibus praecipue eligebantur. Senectus enim ut plurimum et prudentiae et gravitatis et experientiae plus habet. Caeterum quia interdum (ut graeco proverbio fertur) non est canities sapientia, et reperiuntur iuvenes magis idonei, qualis fuit Timotheus: hos quoque vocari presbyteros, postquam sunt in ordinem cooptati, usu receptum est. Quum Petrus se presbyterum similiter nominat, hinc apparet commune fuisse nomen: quod etiam ex compluribus locis clarius patet. Porro hoc titulo autoritatem sibi conciliat: ac si diceret se iure suo mouere pastores, quia unus sit ex ipsis: debet enim mutua haec libertas inter collegas esse. Quod si ius primatus habuisset, poterat illud obtendere: idque ad praesentem causam aptius fuisset. Verum quamvis apostolus esset, sciebat tamen minime de-

latum sibi esse imperium in collegas: sed potius societate officii se reliquis esse coniunctum.

Testis passionum. Potest hoc de doctrina exponi, malo tamen ad vitam referre: quamquam utrumque probabile est, sed posterius hoc ideo magis amplectior, quia melius inter se cohaerent haec duo membra, quod Christi passiones in carne sua re praesentet Petrus, et futurus sit etiam gloriae consors. Convenit enim haec sententia cum illa Pauli (2. Timo. 2, 12), Si compatimur, etiam conregnabimus. Deinde hoc ad faciendam verbis fidem non parum valet, quod per crucis tolerantiam fidei, suae experimentum dedit. Nam hiuc constat serio eum loqui. Et Dominus quum suos hoc modo probat, quasi obsignat eorum ministerium, ut plus dignitatis et reverentiae habeat apud homines. Huc si quidem spectat Petri consilium, ut audiatur tanquam fidus Christi minister: cuius rei documentum proponit in persecutionibus quas passus erat, et in spe futurae vitae. Observandum autem quod Petrus intrepide se consortem gloriae praedicat, quae nondum revelata est. Haec enim est fidei natura, acquiescere in bonis absconditis.

2. *Pascite, quantum in vobis est.* Hinc colligimus quid valeat nomen presbyteri: nempe quod in se contineat pascendi munus. Longe in alium finem suos presbyteros creat papa, ut scilicet quotidie Christum immolent: in eorem ordinatione nulla pascendi mentio. Proinde meminerimus Christi ordinem a papae confusione discernere, tanquam lucem a tenebris. Tenenda est quoque verbi definitio: quia pasci grex Christi non potest, nisi pura doctrina, quae sola spirituale est pabulum. Quare pastores non sunt vel mutae larvae, vel qui sua figmenta, quasi mortifera venena, ad necandas animas spargunt. Particula quantum in vobis est, tantundem valet ac si dixisset, Huc intendite omnes nervos, et quidquid facultatis vobis contulit Deus, impendite. Vetus interpres reddiderat: Qui in vobis est: atque hic potest esse verborum sensus: verior tamen est Erasmi interpretatio, quam sequutus sum: et si alteram illam non refello, neque improbo. Gregem Dei, an Domini, an Christi legas, parum refert. Nam haec tria leguntur in diversis codicibus.

Episcopatu fungentes. Erasmus reddidit: Curam illius agentes: sed quum sit graece ἐπισκοποῦτες, non dubito quin Petrus ipsum episcopatus officium et nomen exprimere voluerit. Colligi etiam potest ex aliis scripturae locis, haec duo esse synonyma, episcopum et presbyterum. Praecipit ergo quomodo munus pastorale recte exerceant. Quamquam verbum ἐπισκοπῆς alias generaliter significat praesesse, vel inspectionem habere. Ubi posui, non coacte: ad verbum est, non necessario: quia dum agimus

ad necessitatis praescriptum, lente et frigide, tanquam coacti, in opere progredimur.

3. *Dominium exercentes.* Quia Graecis proposicio κατὰ fere in malam partem capit, taxat hic Petrus praeposteram dominationem: qualis est eorum qui se ministros esse Christi et ecclesiae non reputantes, plus aliquid appetunt. Cleros autem appellat particularcs ecclesias. Nam quum universum ecclesiae corpus haereditas sit Domini: ut per epida et pagos distributae sunt ecclesiae, totidem sunt veluti praedia, querum culturam singulis presbyteris assignat. Nimis imperite quidam de clericis (quos vocant) hoc dictum putant. Vetustus quidem fuit ille loquendi modus, ut totum ordinem ministrorum, clerum vocarent: sed utinam patribus nunquam venisset in mentem ita loqui: quia quod toti ecclesiae scriptura communiter tribuit, minime consentaneum fuit ad paucos homines restringere. *Et hic loquendi modus adulterinus fuit, vel saltem a recto apostolorum usu degener.* Nominatim vero Petrus ecclesias hoc titulo commendat, ut sciamus Domino eripi quidquid ad se homines trahunt: *sicuti multis locis peculum suum et virgam haereditatis suae ecclesiam nominat, dum integrum sibi dominium vult asserere.* Neque enim regnum pastribus tradit, sed curam iniungit duntaxat, ut ius illi suum interea salvum maneat.

4. *Quum apparuerit.* Nisi in hunc finem intenti sint pastores, fieri nullo modo potest ut gnaviter in cursu vocationis suae pergent: quin potius subiude deficerent. Nam innumeris sunt offendicula quae examinare possent etiam optime cordatos. Saepe cum ingratis hominibus negotium est, a quibus rependitur indigna merces: longi et immensi labores saepe irriti: Satan pervercis suis machinationibus interdum praevalet: ergo ne frangatur pius Christi servus, unicum hoc remedium habet, ut in Christi adventum oculos convertat. Ita fiet ut suum laborem, qui carere profectu videtur apud homines, gnaviter quisque obeat, cui tanta merces apud Dominum sit reposita. Porro ne longior expectatio languorem gignat, simul praedicat amplitudinem mercedis, quae ad moram compensandam valere debet. *Vos, inquit, immarcessibilis gloriae corona manet.* Notandum etiam quod Christum vocat pastorum principem: quia non nisi sub ipso eiusque nomine ecclesiam regimus, ut sit nihilominus ipse in solidum pastor. Itaque princeps hic non praeceps modo significat, sed eum cuius potestati reliquos omnes subesse oportet: *sicuti non nisi eius mandato et nomine personam hanc sustinent.*

5. *Similiter iuniores subiecti estote senioribus: sic et omnes alii aliis subiiciamini. Humilitatem animi induite: propterea quod Deus superbis resistit,*

humilibus vero dat gratiam. 6. *Humiliamini ergo sub potenti manu Dei, ut vos extollat quum erit oportunum:* 7. *Omni cura vestra in eum coniecta: quoniam illi cura est vestri.*

5. *Iuniores.* Seniores alio sensu hic ponit quam prius. Necesse enim est, quum antithesis sit inter eos et iuniores, ut membra inter se respondeant. Ergo aetate senes vocat, quum prius de officio loquuntur sit: atque ita a specie concendit ad genus. Lubet autem in summa, unumquemque, ut est aetate inferior, parere maiorum consiliis, seque docilem et modestum praebere. Est enim iuvenum praesertim lubrica aetas, quae fraeno opus habet. Deinde non poterunt officium facere pastores, nisi vigeat ac eolatur haec reverentia, ut minores patientur se gubernari. Nam si nulla est subiectio, eversa est politia. Ubi corum qui vel iure vel naturae ordine prcesesse debent, nulla est autoritas, statim protervo omnes lasciviant.

Et omnes. Finem ostendit cur iuvonus senibus obtemperare debeant: ut scilicet inter omnes constet aquabilitas et temperatura. Neque enim quum senibus defertur autoritas, ius vel licentia illis datur executiendi fraeni: sed ipsi quoque in ordinem coguntur, ut mutua sit subiectio. Sic maritus caput est uxoris: sed tamen illi aliquo modo vicissim subiectus est. Sic pater imperium habet in filios: nec tamen omni subiectione eximitur, quin ipsis aliiquid debeat. Idem et de reliquis sentiendum. Denique omnes gradus politici ad tuendum universi corporis statum pertinent. Qued fieri non potest, nisi membra omnia mutuo subiectionis nexus inter se cohaereant.

Humilitatem animi induite. Nihil humano ingenio magis adversum est quam subiectio. Vero enim illud olim dictum est: regis animum quemque intra se habere. Donec ergo subacti fuerint alti illi spiritus, quibus turget hominum natura: nemo alteri cedere volet: quin potius singuli, aliis contemptis, omnia sibi arrogabunt. Quare prudenter apostolus, ut modestia inter nos locum habeat, fastum et superbiam corrigit. Elegans autem est metaphora qua utitur, ac si diceret: omni ex parte amplectimini humilitatem, sieuti vestis totum corpus tegit. Interea significat nullum pulchriorem esse ornatum aut decentiorem, quam ubi nos submittimus.

Propterea quod. Est gravissima comminatio, quod quicunque se efferre cupient, hostem habituri sint Deum, qui eos prosternet: contra vero humiles, propitium et faventem. Fingendae sunt nobis duas manus Dei: altera quae sursum, veluti malleus, deiecit ac conterat qui se attollunt: altera quae buniles, qui sponte se demittunt, excipiat, veluti stabilis fuitura ad eos sustinendos. Hoc si vere

persuasum et animis nostris infixum esset, quis superbiendo auderet bellum cum Deo suscipero? Nunc spes impunitatis facit ut in coelum usque cornu attollere non horreamus. Sit igitur haec Petri sententia, quasi ecclaste fulmen ad humilidos homines. Caeterum humiles vocat qui omni propriae virtutis, sapientiae, et iustitiae fiducia exinaniti, quidquid boni est, in solo Deo quaerunt. Si non nisi haec via ad Deum pervenitur, quis non propriae gloriae oblitus, libenter submittere se debet?

6. *Humiliamini ergo.* Semper tenendum est in quem sinem nos ceram Deo humiles esse iubeat: ut scilicet faciles atque humani fratribus simus, nec recusemus nos illis subiicere quantum postulat caritatis ratio. Ergo qui fastuosi sunt vel praefracti erga homines, eos dicit adversus Deum protervire. Proinde hortatur omnes pios, ut Dei potentiae se subiiciant. Et manum Dei potenter vocat, quo plus incutiat terroris. Tametsi enim perpetuum est manus Dei epithetum: hic tamen ad praesentis causae circumstantiam accommodatur, caeterum quia timere vulgo solemus, ne damno sit nobis nostra humilitas, et alii hac occasione magis insolecant: occurrit Petrus, ac eminentiam promittit omnibus qui se submiserint. Sed addit in tempore, ut nimiae festinationi simul obviam eat. Significat ergo opus esse ut humilitatem ad tempus discamus: Dominum vero satis tenere quando nos attolli expediat. Ita eius consilio permettere nos decet.

7. *Omni cura vestra.* Expressius adhuc nobis commendat Dei providentiam. Unde enim haec proverbia, ululandum esse inter lupos: item, stultos esse qui ovibus sunt similes, quia lupis se vorandos exponunt: nisi quia putamus nostra modestia fraternum laxari impiorum audaciae, ut petulantius nobis insultent? Porro hic motus ex divinae providentiae ignorantia nascitur. Contra autem simul atque hoc constitutum fuerit, curam nostri esse Deo, facile ad patientiam et mansuetudinem compositi erunt animi. Ergo ne hominum improbitas ad ferociam nos sollicitet, hoc remedium praescribit apostolus, sicut et David psalmo tricesimo septimo, ut cura nostra in Deum reiecta interim quiescamus. Nam qui in Dei providentiam non recumbunt, eos omnes assidue secum tumultuari necesse est, et violento impetu adversus alios ruere. Quo magis in hanc meditationem incumbere nos oportet, Deum habere curam nostri: primum ut pax nobis interne constet: deinde ut erga homines modesti mansuetique simus. Caeterum non ita iubemur coniicere omnem in Deum curam, quasi nos lapideis cordibus praeditos, omnique sensu privatos esse Deus velit: sed ne trepidatio vel auxetas nimia ad impatientiam nos impellat. Similiter divinae providentiae cognitio non ita omni cura liberat, ut secure sibi homines indul-

geant. Neque enim carnis torporem, sed quietem fidei nobis afferre debet.

8. *Sobrii estote, vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens quem devoret.* 9. *Cui resistite firmi fide, scientes easdem passiones vestrae quae in mundo est fraternitati adimpleri.* 10. *Deus autem omnis gratiae, qui nos vocavit in aeternam suam gloriam per Christum Iesum, paulisper afflictos ipse vos perficiat, confirmet, corroboret, stabiliat.* 11. *Ei gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*

8. *Sobrii estote.* Haec exhortatio latius patet: nempe quia illis bellum est cum hoste acerrimo et potentissimo, ut ad resistendum intenti sint. Duplici autem metaphora utitur: ut sobrii sint, et excubias agant. Ignaviam et somnum crapula generat: ita etiam qui se terrenis curis aut voluptatibus ingurgitant, spirituali veterno oppressi, nihil cogitant. Nunc tenemus apostoli mentem. Nobis in hoc mundo militandum esse dicit: ac negotium esse admonet cum hoste non vulgari, sed qui instar leonis hoc illuc cursitet, paratus ad vorandum. Hinc sedulo excubandum esse colligit. Eodem argumento studium nostrum acuit Paulus sexto ad Ephesios capite, quum dicit non esse nobis certamen cum carne et sanguine, sed cum spiritualibus nequitiiis, etc. Pace enim ut plurimum ad desidiam abutimur: atque hinc fit ut nos subinde hostis circumveniat et opprimat: quia tanquam extra periculum constituti, pro carnis libitu delitiamur. Leoni diabolus comparat, ac si diceret truculentam esse belluam. Circuire dicit ad devorandum, ut nos ad cavendi studium excitet. Adversarium piorum nominat, ut sciant hac lege se Deum colere, et Christi fidem profiteri, ut cum diabolo continuum bellum habeant. Neque enim membris parcer, qui cum capite proeliatur.

9. *Cui resistite.* Sicuti hostis potentia nos acuere, et magis sollicitos reddere debet: ita periculum esset ne occupati immodico terrore animi conciderent, nisi spes victoriae ostenderetur. Id ergo nunc agit apostolus, ut sciamus prosperum fore belli eventum, si quidem militemus sub Christi vexillo. Quisquis enim fide instructus in certamen descendet, eum fore certo victorem pronuntiat. Resistite, inquit. Si quis obiciat: quomodo? Respondet, in fide satis esse firmitudinis. Paulus eo quem nuper citavi loco (Ephes. 6, 13) singulas armaturae partes recenset. Idem tamen est sensus: quia, teste Iohanne, una fides Victoria nostra est adversus mundum.

Scientes easdem passiones. Altera consolatio, quod nobis cum omnibus filiis Dei commune est certamen. Nam periculose nos tentat Satan, quum

a Christi corpore nos separat. Audimus qualiter animum Iob porcellere conatus sit: respice ad sanctos, an ullus eorum tale aliquid passus sit (Iob. 5, 1). E converso hic apostolus nos monet, nihil nobis accidere, quod non in reliquis ecclesiae membris cornamus. Porro minime recusanda nobis est cum sanctis omnibus societas, vel similis conditio. Quum dicit adimpleri easdem passiones, significat quod dicit Paulus ad Colos. 1, 24, perfici quotidie in fidelibus quae desunt passionibus Christi. Particula, quae in mundo est, bifariam potest exponi: vel quod promiscue ubique gentium Deus fideles suos exerceat: vel quod militandi necessitas, quamdiu in mundo sumus, nos maneat. Notandum autem quod quum prius dixisset nos a Satana oppugnari, statim omne genus afflictionum comprehendit. Unde colligimus, semper cum spirituali hoste nobis esse negotium, *undecunque prodeant res adversae: sive nos premant morbi, sive agrorum sterilitas famem minetur, sive¹⁾ nobis molesti sint homines.*

10. *Deus autem omnis gratiae.* Postquam satis incubuit in monitiones, nunc se ad precationem convertit. Nam frustra in aerem fundetur doctrina, nisi Deus per spiritum suum operetur. Atque hoc exemplum sequi debent omnes Dei ministri, ut successum det ipse eorum laboribus: quando alias plantando aut rigando nihil proficiunt. Nonnulli codices habent futurum tempus, ac si esset promissio: sed altera lectio magis recepta est. Quamquam apostolus Deum precando, simul eos confirmat quibus scribit. Nam quum Deum omnis gratiae autorem nuncupat, et illis revocat in memoriam quod in gloriam aeternam vocati sint: huc procul-dubio intendit, ne dubitent, opus salutis sua ab eo, qui coepit, perfectum iri. Deus omnis gratiae, ab effectu, more hebraico. Et omnem gratiam nominatim exprimit: primum ut discant quidquid est bonorum referre acceptum Deo: deinde alias cu malis gratias coniungere, ut earum, quae sibi adhuc desunt, accessionem in futurum sperent.

Qui vocavit nos. Hoc (ut dixi) ad augendam fiduciam valet: quia Deus non bonitate modo sua, sed beneficiis etiam provocatur ad nos magis ac magis iuvandos. Nec simpliciter vocationis meminit, sed docet quorsum vocati sint: nempe ad aeternam gloriam. Praeterea vocationis fundamentum statuit in Christo. Utrunque ad perpetuitatis fiduciam valet. Nam si vocatio nostra in Christo fundata est, et pertingit ad coeleste Dei regnum et beatam immortalitatem: hinc sequitur, non fluxam esse nec caducam. Obiter etiam observare convenit, quum dicit in Christo nos vocatos esse, primum stabiliri vocationem, quia probe fundata sit: deinde

¹⁾ utcunque

omnem nostrae dignitatis ac meriti respectum excludi. Nam quod Deus per evangelii praedicationem nos ad se invitat, id iam est gratuitum, maioris etiam gratiae, quod efficaciter corda nostra afficit, ut voci suae obediamus. Fideles autem peculiariter alloquitur Petrus: ideo cum externa doctrina, spiritus efficaciam coniungit. Pro tribus verbis, quae sequuntur, alii codices habent tria nomina ablativi casus, quae possunt in gerundia resolvi, fulciendo, roborando, stabilendo. In eo tamen parum est momenti, quod ad sensum attinet. Caeterum quod pluribus verbis rem unam designat Petrus, nempe fidelium confirmationem, hoc ideo facit ut sciamus rarae esse difficultatis cursum nostrum persequi, et proinde singulari Dei gratia opus esse. Particula paulisper afflictos, quao hic inserta est, significat breve esse afflictionum tempus. Atque haec quoque non levis est consolationis materia.

11. *Ei gloria.* Quo plus fiduciae piis addat, statim prorumpit in gratiarum actionem. Quamquam hoc tam indicativo, quam optandi modo legi potest: eodem tamen fere sensu.

12. *Per Silvatum vobis fidum fratrem (ut arbitror) paucis scripsi, exhortans et testificans hanc esse veram gratiam in qua statis.* 13. *Salutat vos quae in Babylone est ecclesia simul vobiscum electa, et Marcus filius meus.* 14. *Salutate vos invicem in osculo caritatis. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu.*

12. *Per Silvanum.* Hac epistolae clausula eos ad fidei constantiam hortatur: imo hoc scribendi consilium sibi fuisse asserit, ut eos in doctrinae, quam amplexi erant, obedientia retineret. Sed primo epistolam a brevitate commendat, ne illis molesta sit lectio: deinde addit brevem nuntii commendationem, ut viva etiam vox ad scriptum accedat. Huc enim spectat testimonium quod reddit eius fidei. Caeterum exceptio haec ut arbitrator vel modestiae causa addita est, vel ut certo sciant eum ex animi sui sensu loqui. Erat autem absurdum ipsos tanti apostoli iudicio non subscribere.

Exhortans et testificans. Quam difficile sit in suscepta fide perstare, testes sunt quotidiana mulierum defecções: nec vero id mirum est in tanta hominum levitate et inconstantia, deinde in tanta

ad vanitatem propensione. Porro quia firmas et perpetuas habero radices nulla doctrina potest in hominum cordibus, si qua dubitatione sit implicita, certam Dei veritatem esse testatur, in qua edocti sunt. Et certe nisi animis nostris constet haec certitudo, necesse erit subinde vacillare, et flexibilis esso ad quemvis novao doctrinæ ventum. Per Dei gratiam, fidem cum suis effectis et fructibus intelligit.

13. *Quae in Babylone.* Multi ex veteribus Romam aenigmatische putarunt notari. Hoc commentum Papistæ libenter arripiunt, ut videatur Petrus romanæ ecclesiacœ praefuisse. Neque enim deterret eos nominis infamia, modo sedis apostolicæ titulum praetexere ipsis licet: nec Christum magnopere curant, modo Petrus ipsis relinquatur. Quin etiam modo retineant cathedrae Petri nomen, suam Romanam in profundis inferis collocare non recusabunt. Atqui vetus illud commentum nihil habet coloris: nec video cur Eusebio et aliis placuerit, nisi quia illo errore iam occupati erant, Petrum Romæ fuisse. Adde quod secum ipsi pugnant. Marcum octavo Neronis anno Alexandriae mortuum esse tradunt: Petrum vero sex annis postea fingunt Romæ a Nerone fuisse occisum. Si alexandrinam ecclesiam Marcus (ut volunt) constituit, diuque illic episcopatu functus est, nunquam potuit Romæ esse cum Petro. Nam quod Eusebius et Hieronymus romanam Petri sessionem in vigintiquinque annos extendunt, id facile refellitur ex primo et secundo ad Galat. cap. Quum itaque Marcum tunc secum Petrus comitem habuerit, quum scripsit hanc epistolam: Babylone fuisse probabilius est. Atque id quoque eius vocationi fuit consentaneum. Scimus enim peculiariter datum fuisse apostolum Iudeis: quare eas præcipue regiones lustrabat, in quibus maior erat gentis suae frequentia. Quod ecclesiam illic esse dicit eiusdem electionis participem, huc spectat, ut inde alii magis ac magis in fide se confirmant. Erat enim hoc magnum, Iudeos ex tam remotis mundi plagis in unam ecclesiam colligi.

Filius meus. Sic Marcum appellat honoris causa: ratio tamen est, quod eum in fide genuerat, sicut Timotheum Paulus. De osculo alibi dictum est. Vult autem hoc osculum esse caritatis, ut animi sinceritas externæ caeremoniae respondeat.

COMMENTARIUS
IN
IOHANNIS APOSTOLI EPISTOLAM.



A R G U M E N T U M.

Haec epistola prorsus digna est eius discipuli spiritu, qui p̄ae aliis ideo dilectus a Christo fuit, ut ipsum nobis familiarem redderet. Porro doctrinam exhortationibus mistam continet. Disserit enim de aeterna Christi deitate, simul et incomparabili, quam mundo patefactus secum attulit, gratia: tum de omnibus in genere beneficiis: ac praesertim inestimabilem divinae adoptionis gratiam commendat atque extollit. Inde sumit exhortandi materiam:

et nunc quidem in genere pie et sancte vivendum admonet: nunc de caritate nominatim praecipit. Verum nihil horum continua serie facit. Nam sparsim docendo et exhortando varius est: praesertim vero multus est in urgenda fraterna dilectione. Alia quoque breviter attingit: ut de cavendis impostoribus, et similia. Verum singula observari suis locis poterunt.

CAPUT I.

1. *Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod intuiti sumus, quod manus nostraræ contrectaverunt de sermone vitae: 2. et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud patrem, et manifestata est nobis.*

Initio proponit exhibitam nobis fuisse in Christo vitam: quod ut est bonum incomparabile, ita sensus omnes nostros miro sui desiderio et amore rapere et inflammare debet. Paucis quidem et simplicibus verbis hoc dictum est, vitam esse manifestatam: verum si reputamus quam misera et horrenda sit mortis conditio: rursus quid Dei regnum et immortalis eius gloria valeant: aliquid hic magnificenter sentiemus, quam ullis verbis exprimi queat. Ergo hoc consilium est apostoli, proposito ingenti bono, imo summa et unica beatitudine, quam nobis in filio suo Deus contulit, animos nostros sursum attollere: sed quia rei magnitudo postulabat ut eerta esset ac comprobata veritas, hac in parte multum insistit. Nam ista omnia, quod vidimus, quod audivimus, quod sumus intuiti, etc. ad sanctiendam evangelii fidem valent. Nec vero tantum asseverandi studium frustra adhibet. Quum in evangelio salus nostra consistat, res plusquam necessaria est eius certitudo: nos vero quam simus ad credendum difficiles, propria experientia plus nimio quisque nostrum agnoscit. Credere appello, non leviter opinari, aut assentiendo tantum probare quod dicitur: sed firma indubiaque persuasione amplecti, ut audeamus tanquam compertae veritati subscribere. Hac ratione tam multa in evangelii confirmationem hic apostolus congerit.

1. *Quod erat ab initio.* Quoniam abrupta est et confusa oratio, ut sensus reddatur clarior, ita verba resolvere oportet, Nos verbum vitae, quod erat ab initio, et nobis vere modis omnibus testatum fuit, vobis annuntiamus, ut vita in eo manifestata fuerit. Vel si aliter mavis: Quidquid de verbo vitae annuntiamus vobis, ab initio erat, et nobis palam ostensum fuit: quia vita in eo manifestata

est. Caeterum particula haec, quod erat ab initio, ad Christi divinitatem procul dubio refertur. Neque enim ab initio erat Dens in carne manifestatus: sed is qui semper vita fuit, et aeternus Dei sermo, in plenitudine temporum homo apparuit. Rursum quae soquuntur de intuitu et palpatione manuum, magis ad humanam naturam spectant. Verum quia duae naturae personam unam constituant, et unus est Christus, qui a patre prodit ut carnem nostram indueret, merito apostolus eundem et semper fuisse invisibilem, et postea visum esse, communiter praedicat. *Quo refellitur putidum Serveti cavillum, unam esse deitatis naturam et essentiam cum carne: adeoque verbum in carnem transformatum, quia ille sermo vivificus in carne visus fuerit.* Meminerimus ergo hanc asseri evangelii doctrinam, quod is qui in carne vere se filium Dei esse probavit, ac pro filio Dei fuit agnitus, semper invisibilis fuerit Dei sermo. Neque enim mundi initium hic designat: sed altius concendit.

Quod audivimus, quod vidimus. Non rumoris fuit hic auditus, cui parum fidei haberi solet: sed intelligit Iohannes, se de iis, quae docuit, prius fuisse a magistro probe edoctum, ut nihil temere in medium protulerit. Et certe nemo erit in ecclesia idoneus doctor, qui non filii Dei ante fuerit discipulus, ac rite institutus in eius schola: quando sola eius autoritas valere debet. Quod dicit se oculis vidisse, non est pleonasmus, sed maior expressio amplificationis causa. Imo non contentus simplici aspectu, addit contemplati sumus, et manus nostraræ palparunt. Quibus verbis testatur nihil se docuisse quod non solide perspectum habuerit. Videlicet tamen ad praesentem causam parum valere sensuum approbatio. Neque enim vel oculis vel manibus comprehendi potuit virtus Christi. Respondeo, hic idem dici quod primo evangelii capite: Vidimus gloriam eius, gloriam unigenito Dei filio dignam. Neque enim ab externa corporis figura agnitus fuit Dei filius: sed ex eo quod illustria divinae suae potentiae documenta edidit: ita ut in eo, tanquam viva et expressa imagine, refulserit patris maiestas. Quum verba sint pluralis numeri, et res apostolis omnibus peraeque conveniat, libenter de illis interpretor: praesertim quia de testimonii auto-

ritate agitur. Caeterum¹⁾ non minus frivola (ut nuper attigi) quam pudenda est Serveti improbitas, qui haec verba urget, quo probet sermonem Dei fuisse visibilem ac palpabilem. Impie duplcem in Christo naturam²⁾ vel destruit, vel miscet. Figmentum itaque nescio quod comminiscitur, Christi humanitatem sic deificans, ut veritatem naturae humanae prorsus illi adimat, negans interea alia ratione Christum esse Dei filium, nisi quia ex matre conceptus est spiritus sancti virtute, et propriam illi subsistentiam in Deo auferens. Unde sequitur, neque Deum esse, neque hominem: licet videatur confusam ex utroque massam conflare. Verum quoniam nobis indubia est mens apostoli, canem illum omittamus.

De sermone vitae. Genitivus loco epitheti capit pro vivifico: quia (ut primo evangelii capite docet), In ipso vita erat. Quamquam titulus hic in filium Dei duplici iure competit: et quod vitam effuderit in omnes creaturas, et quod nunc vitam in nobis reparet, quae per Adae peccatum extincta perierat. Quin etiam ipsum quoque sermonis nomen bifariam potest exponi: vel de Christo, vel de evangelii doctrina: nam et per hanc salus nobis afferatur. Caeterum quia eius substantia est Christus: neque aliud continet, quam hominibus tandem fuisse patet factum, qui semper fuerat apud patrem: mihi simplicior et magis genuina videtur prior expositio. Porro sermonem vocari sapientiam in Deo residentem, melius ex evangelio constat.

2. *Et vita manifestata est.* Copula explicationis vice hic ponitur. Ac si diceret: Nos de sermone vivifico testimonium reddimus, quemadmodum manifestata fuerit vita. Quamquam potest adhuc duplex esse sensus: vel quod exhibitus fuerit Christus, qui vita est ac fons vitae: vel quod vita nobis in Christo fuerit palam oblata. Hoc quidem posterius necessario sequitur ex priore. Quantum tamen ad verborum significationem, differunt inter se haec duo, ut causa et effectus. Ubi secundo reperit, annuntiamus vitam aeternam, non dubito quin de effectu loquatur: nempe quod annuntiet, beneficio Christi partam nobis esse vitam. Unde colligimus, non posse Christum nobis praedicari, quin aperiatur nobis regnum coeleste, ut a morte excitati vivamus Dei vitam.

Quae erat apud patrem. Hoc verum est, non tantum ex quo conditus fuit mundus: sed etiam ab ultima aeternitate. Semper enim Deus vitae fons fuit. Vis autem et facultas vivificandi penes aeternam eius sapientiam fuit: sed eam actu non exserbat ante mundi creationem. Ex quo autem Deus

sermonem proferre coepit, vis illa, quae prius abscondita latebat, sese in creaturas diffudit. Iam haec aliqua fuit manifestatio: sed apostolus alio respicit, nempe quod tunc demum manifestata fuerit vita in Christo, quum ipse carne nostra indutus partes redemptiois implevit. Tametsi enim ciudem vitae patres, etiam sub lege, socii ac consortes fuerunt: scimus tamen sub spe, quae revelanda erat, fuisse conclusos. Necesse illis erat, vitam a morte et resurrectione Christi petere: atqui res erat non solum procul remora ab oculis, sed mentibus etiam abscondita: pendebant igitur a spe revelationis, quae suo demum tempore subsequuta est. Non poterant quidem vitam obtinere, nisi sibi aliquo modo manifestatam: sed inter nos et illos magnum est discriminis: quia quem ipsi obscure sibi promissum in figuris quaerebant, nos iam exhibitum quasi manibus tenemus. Caeterum consilium apostoli est, tollere opinionem novitatis, quae minuere evangelii dignitatem poterat. Qua ratione dicit, non coepisse nunc demum vitam, utcunque nuper apparuerit: quia perpetuo fuit apud patrem.

3. *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis:* ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum patre et cum filio eius Iesu Christo. 4. *Et haec scribimus vobis,* ut gaudium vestrum sit completum. 5. *Et haec est promissio quam annuntiamus vobis,* quod Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ulla. 6. *Si dixerimus quod societatem habemus cum eo,* et in tenebris ambulamus, mentimur et veritatem non facimus. 7. *Si autem in luce ambulamus,* sicut ipse in luce est, societatem habemus inter nos mutuam: et sanguis Iesu Christi filii eius emundat nos ab omni peccato.

3. *Quod vidimus.* Iam tertio repetit illud suum vidisse et audisse, ne quid desit ad solidam sua doctrinae certitudinem. Atque id diligenter notandum est, delectos esse a Christo evangelii praecones, qui idonei ac fidi eorum omnium, quae dicturi erant, testes esse possent. Simul etiam de animi sui affectu testatur: quia non alia ratione moveri se dicit ad scribendum, nisi ut eos, quibus scribit, ad societatem inaestimabilis boni invitet. Unde patet quantam habeat salutis ipsorum curam. Quod ad conciliandam fidem non parum valet: nimis enim ingrati sumus, si eum recusamus audire, qui felicitatis, quam adeptus est, partem communicare nobiscum optat. Fructum deinde exprimit qui ex evangelio percipitur: nempe ut coniuneti simus Deo et filio eius Christo: in quo summum bonum consistit. Hoc secundum membrum addi oportuit, non modo ut pretiosam et amabilem redderet evangelii doctrinam, sed etiam ut ostenderet, non in alium finem eos sibi cupere socios, nisi ut Deo adduceret, atque

¹⁾ mira

²⁾ designat

ita omnes in ipso unum essent. Nam habent improbi quoque mutuam inter se coniunctionem, sed extra Deum: inno ut so a Deo magis ac magis alienent: quod malorum omnium extreum est. Haec vero (sicuti iam dictum est) unica nostra est beatitudo, a Deo recipi in gratiam, ut vere illi in Christo uniti simus: de qua Iohan. 17. capite. In summa, pronuntiat Iohannes, quemadmodum adoptati sunt a Christo apostoli in fratres, ut collecti in unum corpus Deo simul adhaereant: ita se hoc cum reliquis collegis agere, ut sacrae huius ac beatae unitatis multi siunt consortes.

4. *Ut gaudium vestrum.* Nomine pleni gaudii melius integrum et perfectam beatitudinem exprimit, quam ex evangelio consequimur. Simil admonet fideles ubinam defixos habere debeant omnes suos affectus. Verum est proverbium illud, ubi est thesaurus noster, ibi esso cor nostrum (Matth. 6, 21). Quisquis ergo vero percipit quid valeat illa cum Deo societas, bac una abunde contentus est, nec amplius variis desideriis aestuat. Dominus calix meus (inquit David [Psal. 16, 5]) et haereditas mea. Funes mihi ceciderunt in praeclarum sortem. Eodem modo Paulus (Philip. 3, 8) sibi omnia pro stercoribus esse praedicat, ut possideat unum Christum. Quare is demum in evangelio proficit, qui se Dei communicatione beatum existimans, in ea sola acquiescit: sicque eam praeferat toti mundo, ut eius causa omnia relinquere sit paratus.

5. *Et haec est promissio.* Non minus probo quod reddidit vetus interpres: haec est annuntiatio. Quamvis enim ἐπαγγέλλεται Graecis promissionem saepius significet: quia tamen generaliter hic loquitur Iohannes de testimonio cuius paulo ante meminit, videtur contextus potius exigere alterum illum sensum: nisi forte sic resolvias: promissio, quam vobis afferimus, hoc secum trahit, vel hanc conditionem habet annexam. Hoc modo nobis constabit mens apostoli. Neque enim hic vult complecti totam evangelii doctrinam: sed ostendit hoc requiri, si Christo et eius bonis frui volumus, ut Deo simus in iustitia et sanctitate conformes. Quemadmodum et Paulus dicit secundo ad Titum capite: apparuit gratia Dei salutifera omnibus, ut abnegata impietate, et mundanis desideriis, sobrie et iuste et sancte vivamus in hoc saeculo. Nisi quod hic metaphorice in luce ambulandum esse docet, quia Deus lux est. Porro quum Deum nunc vocet lucem, nunc dicat esse in luce, non sunt nimis urgendaes voces. Cur Satan vocetur princeps tenebrarum, satis notum est: ergo quum Deus ex adverso pater lucis et lux vocatur, primum intelligamus, nihil in eo esse nisi liquidum, purum, et sincerum: deinde qui suo fulgore sic omnia illustrat, ut nihil vitiosum aut contortum, nullas maculas vel sordes, nullam hypocrisim vel fraudem latere

patiatur. Proindo haec summa est: quum nulla sit consensio inter lucem et tonebras, quamdiu in tenebris ambulamus, nobis cum Deo esse dissidium: illam ergo, cuius meminit, societatem aliter non constare, quam si nos quoquo puri et lucidi simus.

Tenebrae in eo non sunt. Hacc loquendi forma valde est Iohanni familiaris, ut quod affirmavit, contraria negatione amplificet. Ergo sensus est, Doum eiusmodi lucem esse, ut nullas tenebras admittat. Unde sequitur, cum odisse malam conscientiam, pollutos ac perversos mores, et quidquid tenebras sapit.

6. *Si diximus.* Est quidem argumentum a repugnantibus, dum alienos a Deo esse colligit qui in tenebris ambulant. Pendet tamen haec sola doctrina ex altiore principio: nempe quod Deus suos sanctificet. Neque enim nudum est praeceptum quo sanctam a nobis vitam exigat: sed potius ostendit, ad hoc quoque valere Christi gratiam, ut discussis tenebris lucem Dei in nobis accendat. Ac si diceret, quod Deus se nobis communicat, non est inane figuramentum: sed necesse est ut vis et effectus huius societatis in vita reluceat: alioqui mendax erit evangelii professio. Quod addit, non facimus veritatem, perinde valet ac si dixisset, non agimus veraciter: vel, non colimus verum et rectum. Est autem phrasis illa, quam prius annotavi esse illi in frequenti usu.

7. *Si autem in luce ambulamus.* Nunc dicit certum hoc esse symbolum nostrarum cum Deo coniunctionis, si illi simus conformes. Non quod vitae puritas Deum nobis conciliet tanquam prior causa: sed intelligit apostolus, ab effectu constare nos Deo esse unitos, si eius puritas in nobis luceat. Et sane ita res habet, quocunque accedit Deus, sic eius sanctitate omnia perfundi, ut sordes omnes absterget: extra eum vero nihil praeter immunditiem et tenebras nos habere. Hinc patet, neminem recte vivere, quin simul Deo adhaereat. Quod dicit, societatem esse nobis mutuam, non simpli citer ad homines refertur, sed Deum in una parte, nos autem in altera statuit. Quaeri tamen potest quisnam hominum lucem Dei sic exprimere possit in sua vita, ut exstet ista similitudo quam requirit Iohannes. Nam hoc modo necesse foret tenebris omnino purum esse ac vacuum. Respondeo, huius generis loquitiones ad captum hominum attemperandas esse. Itaque similis Deo esse dicitur, qui ad eius similitudinem adspirat, utcunque longe ab ea adhuc absit. Non aliunde petendum est exemplum quam ex praesenti loco. In tenebris ambulat quisquis non regitur timore Dei, nec pura conscientia hunc finem spectat, ut se Deo totum addicens eius gloriam promovere studeat. Ergo ex adverso, qui sincero cordis affectu vitam suam omnesque eius partes exigens ad Dei timorem et obsequium, pure

illum colit, etiamsi in multis delinquit, gemitus sub carnis onere, in luce ambulare censetur: quia rectam viam tenet. Sola igitur est conscientiae integritas, quae lucem a tenebris discernit.

Et sanguis Iesu Christi. Postquam docuit qualiter nostrae cum Deo unitatis vinculum, fructum quoque inde manantem demonstrat: nempe quod tunc gratuito nobis remittuntur peccata. Haec autem est illa beatitudo, quam David psalmo tricesimo-secondo describit: ut sciamus nos esse miserrimos, donec spiritu Dei regeniti puro corde illi serviamus. Quid enim miserius homine fingi potest, quem Deus odio et abominationi habet, cuius capitum simul cum ira Dei incumbit mors aeterna? Insignis est hic locus, ex quo primum discimus, tunc ad nos proprie pertinere expiationem Christi morte partam, quum iustitiam recto cordis affectu colimus. Neque enim redemptor est Christus, nisi iis qui ab iniquitate conversi, novam vitam iustiuit. Quare si Deum cupimus habere propitium, ut peccatis ignoroscet, non debemus ipsi nobis ignoscere. Denique a poenitentia non potest avelli peccatorum remissio, nec pax cum Deo potest esse conscientias, ubi non regnat Dei timor. Docet secundo hic locus, gratuitam peccatorum veniam non semel tantum nobis dari, sed hoc beneficium perpetuo in ecclesia residere, et quotidie offerri fidelibus. Nam apostolus hic alloquitur fideles: ut certe nemo unquam fuit, nec futurus est qui possit aliter placere Deo, quum omnes sint reatus obstricti apud Deum. Qualecumque enim in nobis sit recte agendi studium, semper claudicando ad Deum tendimus. Porro quidquid dimidium est, laudem apud Deum non meretur. Interea novis subinde peccatis, quantum in nobis est, abdicamus nos a Dei gratia: ita fit ut quotidiana peccatorum remissione opus habeam sancti omnes, quia haec sola in Dei familia nos retinet. Quum dicit ab omni peccato, significat multis nominibus coram Deo nos esse reos: ut certe nemo est qui non pluribus vitiis labore: caeterum piis ac Deum timentibus nulla peccata obstare docet quomodo Deo placeant. Modum etiam impetrandae veniae, et purgationis causam demonstrat: nempe quia peccata nostra Christus sanguine suo expiavit. Sed pios omnes indubie huius purgationis fore participes affirmat. Haec tota pars doctrinae impie corrupta fuit a sophistis: gratuitam enim peccatorum veniam nobis tantum in baptismo dari finiunt. Illie solum Christi sanguinem valere fatentur: sed a baptismo non aliter nos Deo reconciliari tradunt quam per satisfactiones. Relinquunt et hic quidem sanguini Christi partem aliquam: sed quum operibus vel ex minima parte laudem assignant, munus expiandi peccata Deumque placandi prorsus evertunt, quod hic dicit Iohannes. Nunquam enim haec inter se convenient, mundari nos Christi san-

guine, et opera esse ablutiones: quia Iohannes non dimidium hic, sed totum Christi sanguini assignat. Haec igitur summa est, ut certo statuant fideles so acceptos esse Deo, quia sacrificio mortis Christi illis placatus est. Sacrificium vero, purgationem, expiationem, et satisfactionem sub se continet: quare horum omnium vis et effectus in solum Christi sanguinem competit. Quo refellitur sacrilegum papistarum commentum de indulgentiis. Nam quasi non sufficiat Christi sanguis, martyrum quoque sanguinem et merita in subsidium advocant. Quamquam haec blasphemia apud eos longius patet. Nam quum suas claves, quibus remissionem peccatorum inclusam tenent, partim ex martyrum sanguine et meritis, partim ex supererogationis operibus, quibus se quisque peccator redimit, conflatas esse dicant: nulla illis manet peccatorum remissio quae non sanguini Christi deroget. Nam si locum habeat eorum doctrina, non purgabit nos Christi sanguis, sed tanquam adminiculum partiale concurret. Hoc etiam modo penderunt conscientiae, quas hic in solida fiducia consistere apostolus iubet.

8. *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas non est in nobis.* 9. *Si confitemur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut nobis peccata remittat, et purget nos ab omni iniustitia.* 10. *Si dixerimus quod non peccavimus, mendacem facimus eum, et sermo eius non est in nobis.*

8. *Si dixerimus.* Iam a necessitate commendat gratiam illam. Quia enim a peccato nemo est immunis, nos omnes perditos esse ac desperatos significat, nisi Dominus nobis succurrat veniae remedio. Haec ratio est cur tantopere urgeat, neminem esse innoxium, quo melius sciunt omnes, indigere se misericordia, quae ipsis ab exsilio liberet: atque ita magis ad obtinendum hoc tam necessarium bonum incitentur. Nomine peccati non tantum prava et vitiosa inclinatio hic notatur: sed culpa quae vere nos efficit reos coram Deo. Porro quum sit universalis sententia, sequitur, neminem sanctorum qui sunt, fuerunt, vel futuri sunt, eximi ab hoc numero. Quare apposite Augustinus hoc testimonio Pelagianorum cavillum refellit: prudenter etiam expendit non exigi reatus confusionem humilitatis causa, sed ne mentiendo nos fallamus. Quum addit, veritas non est in nobis, suo more priorem sententiam iterando confirmat. Quamquam non est simplex iteratio (ut alibi), sed eos falli dicit, quia in mendacio glorientur.

9. *Si confitemur.* Iterum fidelibus promittit propitium illis Deum fore, modo se peccatores agnoscent. Magni enim interest, ut certo persuasi simus, promptam paratamque nobis esse cum Deo reconciliationem, ubi peccavimus: alioqui semper infernum

in nobis inclusum ferimus. Pauci hoc quidem expendunt, quam misera et infelix sit conscientiae vacillatio: sed ita res habet, infernum regnare ubi non est pax cum Deo. Quo magis amplecti toto animo hanc promissionem decet, quae certam omnibus peccatis sua confidentibus voniam offert. Porro hanc in Dei fide et iustitia fundatam esse docet: quia Deus, qui promisit, verax est ac rectus. Nam qui iustum vocari putant quia nos gratis justificet, nimium argute (meo iudicio) philosophantur. Iustitia enim haec a fide pendet: utraque vero promissioni annexa est. Posset enim alioqui iustus esse Deus, et tamen summo iure nobiscum agere: sed quia se verbo suo nobis constrinxit, iustus censor non vult, nisi ignoreat. Caeterum confessio haec quum ad Deum referatur, sincerum cordis affectum requirit: eorū autom loqui Deo non potest absque vitae novitate: ergo veram in se poenitentiam continet. Gratuito quidem remittit Deus, sed ita, ut misericordia facilitas non sit illicebra peccandi.

Purget nos. Purgandi verbum videtur alio sensu capere quam prius. Nam Christi sanguine purgari nos dicebat, quia eius beneficio peccata non imputantur: nunc vero postquam de venia loquutus est, addit etiam, Deum nos purgare ab iniustitia: ut hoc secundum membrum diversum sit a priore. Ita duplē ex confessione fructum ad nos redire significat: quod Deus Christi sacrificio placatus, nobis ignoscit, et quod nos corrigit ac reformat. Si quis obiciat, nunquam, dum in mundo peregrinamur, ab omni iniustitia nos purgari: quantum ad reformationem spectat, verum id quidem est: sed Iohannes non docet quid Deus nunc perficiat in nobis. Fidelis est, inquit, ut nos mundet: non hodie scilicet, nec eras. Nam quamdiu carne circumdati sumus, nos in continuo profectu esse oportet: sed quod semel coepit quotidie pergit facere, donec tandem absolvat. Sic Paulus dicit (Colos. 1, 22), nos electos esse, ut irreprehensibiles appareamus coram Deo. Et alibi (Ephes. 5, 7), Mundatam esse ecclesiam, ut sit absque omni ruga et macula. Quamquam si quis praesentem locum secus interpretari malit, quasi idem bis dicat, liberum id relinquo.

10. *Mendacem facimus.* Ultra progreditur, quod Deum blasphemant qui sibi puritatem arrogant. Videamus enim ut passim totum genus humanum peccati damnet: quare bellum cum Deo suscipit quisquis effugere tentat hanc damnationem: ipsumque arguit mendacii, quasi immeritos premat. Confirmationis causa addit, sermonem Dei non esse in nobis: ac si diceret nos tantem eius doctrinam reiicere, quae sub reatu omnes includit. Unde colligimus, nos tunc demum rito profecisse in verbo Domini, dum vere humiliati sumus: ut gementes sub vitiorum onere, confugere discamus ad Dei misericordiam: neo alibi quam in paterna Dei indulgentia acquiescamus.

CAPUT II.

1. *Filioli mei,* haec scribo vobis ut non peccetis: quod si quis peccaverit, *advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum:* 2. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem solum, sed etiam pro totius mundi.*

3. *Filioli mei.* Est haec non modo, ἀνακεφαλαῖώταις superioris doctrinæ, sed totius fere evangelii summa, ut abstineamus a peccatis: et tamen quia semper obnoxii sumus Dei iudicio, certi simus Christum cum sacrificio mortis suæ intercedere, ut patrem nobis propitiet. Interea occupatione etiam uititur, ne quis putet cum peccandi licentiam dare, quum de misericordia Dei concionatur, et eam docet nobis omnibus esse expositam. Duas ergo evangelii partes simul coniungit, quas separando, praeposteri homines illud lacerant ac mutilant. Praeterea semper doctrina gratiae, obnoxia fuit improborum calumniis. Quum proponitur in Christo peccatorum expiatio, peccandi licentiam concedi iactant. His malis ut occurrat apostolus, primo testatur hunc esse doctrinæ suæ finem, ut homines peccare desinant. Nam quum dicit, ut non peccetis, hoc tantum vult ut pro humanae infirmitatis modo abstineant a peccatis. Atque hoc spectat quod iam tractavi de societate cum Deo, ut conformes illi simus. Interea tamen de gratuita peccatorum remissione non tacet: quia etiamsi, coelum ruere, et omnia miseri debent, haec pars doctrinæ nunquam omittenda: quin potius clare et diserte praedicandum est Christi officium. Sic etiam hodie nos agere decet. Quia proclivis est caro ad lasciviam, sedulo monendi sunt homines, iustitiam et salutem morte Christi ideo partam esse, ut simus sacrum Dei peculium. Ut cunque tamen multos Dei misericordia proterve abuti contingat, multi etiam canes calumniose nos traduant, quasi vitiis fraena laxemus: fortiter in asserenda Christi gratia pergendum est, in qua maxime Dei gloria refulget, totaque hominum salus consistit. Spernendi sunt inquam isti impiorum latratus, quibus impetitos videmus fuisse apostolos. Hac de causa secundum membrum mox subiicit, *advocatum* nobis esse, ubi peccavimus. Quibus verbis confirmat quod iam prius habuimus, quia longe absimus a perfecta iustitia, imo quotidie reatum nobis accersimus: esse simul in promptu remedium Deo placando, si ad Christum confugimus. Atque hoc solum est, in quo acquiescere possunt conscientiae, in quo continentur hominum iustitia, in quo fundata est spes salutis. Conditionalis particula si quis, debet in causalem resolvi: nam fieri non potest quin peccemus. Denique significat Iohannes, non modo nos revocari a peccatis per evangelium, quia illuc nos ad se Deus invitat, et spiritum regenerationis

offert: sed etiam consuli miseris peccatoribus, ut Deum semper propitium habeant: nec peccata, quibus obstricti tenentur, obstare quominus iusti sint, quia mediatores habent qui ipsos Deo reconciliet. Porro dum ostendere vult quomodo redeamus cum Deo in gratiam, dicit Christum esse nobis *advocatum*. Nam in hoc apparet coram facie Dei, ut sacrificii sui vim et efficaciam erga nos exserat. Quo melius hoc possit intelligi, crassius loquar. Intercessio Christi continua est mortis eius applicatio in salutem nostram. Quod ergo Deus peccata nobis non imputat, hoc fit quia Christum deprecatorem respicit. Caeterum duo tituli, quibus postea Christum insignit, proprie ad circumstantiam huius loci spectant. Vocat *iustum et propitiacionem*. Utroque praeditum esse oportet, ut munus personamque *advocati* sustineat. Quis enim peccator nobis Dei gratiam conciliet. Nam ideo arcemur omnes ab accessu, quia nemo purus est ac vacuus a peccato: nemo itaque idoneus pontifex, nisi innocens et a peccatoribus segregatus: quemadmodum etiam habetur ad Hebreos 7, 26. Additur *propitatio*, quia nemo absque sacrificio idoneus est pontifex. Itaque sub lege nunquam sanctuarium ingrediabatur sacerdos, nisi praecunte sanguine: et victima in precibus quasi solenne sigillum, solebat ex Dei instituto adhiberi. Quo symbolo testatum esse Deus voluit, ut quis gratiam nobis impetraret, oportere instructum esse sacrificio. Nam ubi offensus est Deus, ad ipsum placandum satisfactionis pretium exigitur. Hinc sequitur, opus habere advocato sanctos omnes qui fuerunt ac futuri sunt: neminem vero praeter unum Christum huic muneri obeundo parem esse. Et certe nominatim duo haec epitheta adscripsit Iohannes Christo, ut unicum esse *advocatum* ostenderet. Sicuti autem eximia inde consolatio ad nos reddit, quum audimus Christum non semel modo esse mortuum, ut nobis patrem placaret: sed assidue intercedere pro nobis, ut aditus nobis in eius nomine ad Deum pateat, ut preces nostrae exaudiantur: ita summopere cavendum ne honor, qui illi proprius est, alio transferatur. Atqui scimus in papatu promiscue sanctis attributum fuisse hoc munus. Nunc sunt anni triginta, quum hoc tam insigne fidei nostrae caput fere sepultum erat, Christum esse *advocatum*. Hodie fatentur unum quidem esse ex multis, sed non solum. Qui inter papistas paulo plus habent verecundiae, non negant Christum eminere: sed postea ingentem comitum turbam illi associant. Atqui verba clare sonant, non posse *advocatum* esse qui non sit idem sacerdos. Sacerdotium porro nonnisi in Christum solum competit. Interea non tollimus mutuas sanctorum intercessiones, quibus inter se caritatem exercent: sed hoc nihil ad mortuos qui ex hominum contubernio migrarunt: nihil etiam ad ea patrocinia quae sibi

configunt, ne sint unius Christi clientes. Nam etsi fratres orant pro fratribus, unum tamen patronum omnes sine exceptione respiciunt. Dubium itaque non est quin totidem Christo idola opponant papistae quot sibi patronos communiscuntur. Obiter vero notandum est, nimis crasse errare eos qui patris genibus Christum advolvunt, ut pro nobis oret. Tollenda sunt eiusmodi imaginationes, quae coelesti Christi gloriae derogant: ac retinenda simplex doctrina, fructum mortis eius recentem ac perpetuum nobis constare, quod sua intercessione Deum nobis propitiaret, precesque nostras tam sacrificii sui odore sanctificet, quam patrocinii favore adiuvet.

2. *Non pro nostris solum*. Amplificationis causa hoc addidit, ut certo persuasi sint fideles, expiationem a Christo partam ad omnes extendi qui evangelium fide amplexi fuerint. Sed hic movetur quaestio, quomodo mundi totius peccata expientur. Omitto phreneticorum deliria, qui hoc practextu reprobos omnes, adeoque Satanam ipsum in salutem admittunt. Tale portentum refutatione indignum est. Qui hanc absurditatem volebant effugere, dixerunt, sufficienter pro toto mundo passum esse Christum: sed pro electis tantum efficaciter. Vulgo haec solutio in scholis obtinuit. Ego quamquam verum esse illud dictum fateor: nego tamen praesenti loco quadrare. Neque enim aliud fuit consilium Iohannis, quam toti ecclesiae commune facere hoc bonum. Ergo sub omnibus, reprobos non comprehendit: sed eos designat qui simul credituri erant, et qui per varias mundi plagas dispersi erant. Tunc enim vere, ut par est, illustratur Christi gratia, quum unica esse mundi salus praedicatur.

3. *Atque in hoc cognoscimus quod cognovimus eum, si praecepta eius servamus*. 4. *Qui dicit, Novi eum, et praeceptra eius non servat, mendax est, et in eo veritas non est*. 5. *Qui vero servat eius sermonem, vere in ipso caritas Dei perfecta est*. In hoc cognoscimus quod in ipso sumus. 6. *Qui dicit se in eo manere, debet, sicuti ille ambulavit, ita et ipse ambulare*.

3. *Atque in hoc*. Postquam doctrinam illam de gratuita peccatorum remissione tractavit, iterum ad exhortationes reddit illi annexas, et quae ab ea dependent. Ac primo quidem admonet, non otiosam esse Dei notitiam, quae ex evangelio concepitur: sed parere ex se obedientiam. Postea ostendit quid maxime a nobis Deus flagitet, quid sit in vita *principium*: nempe ut Deum amemus. Quod de viva Dei cognitione hic legimus, non temere scriptura passim repetit. Mundo enim nihil magis tritum est, quam pietatis doctrinam trahere ad frigidas speculationes. In hunc modum a sorbonicis sophistis adulterata fuit theologia, ut ex tota eorum

scientia ne minima quidem scintilla pietatis emicaro queat. Et passim curiosi homines tantum discunt ex verbo Dei, quod garriant ostentationis causa. Denique nimis vulgare hoc fuit saeculis omnibus malum, nomen Dei frustra iactare. Sumit ergo Iohannes hoc principium, quod Dei cognitio sit efficax. Unde colligit, minime Deum cognoscere qui praecpta eius non servant. Plato licet in tenobris palpitanus, suum tamen illud pulchrum, quod imaginatur, cognosci posse negat, quin hominem rapiat in admirationem sui: in Phaedro, et aliis locis. Deum ergo qui fieri potest ut cognoscas, et nullo affectu tangaris: Nec vero hoc tantum ex Dei natura manat, ut cognitum statim amemus: sed idem spiritus, qui mentes nostras illuminat, inspirat etiam cordibus conformem scientiae affectum. Quamquam hoc secum fert Dei cognitio, ut eum timeamus et amemus. Neque enim Dominum et patrem, ut se ostendit, possumus agnoscere, quin praebemus nos illi vicissim morigeros filios, et servos obsequentes. Breviter evangelii doctrina vivum est speculum, in quo Dei effigiem contemplantes, in eam transfiguramur: quemadmodum Paulus docet 2. ad Cor. 3, 18. Quare ubi non adest pura conscientia, non nisi inane scientiae spectrum esso potest. Notandus est hic ordo, quum dicit, nos cognoscere quod noverimus. Significat enim, Dei obedientiam sic coniunctam esse scientiae, ut tamen haec ordine sit prior: sicuti necesso est causam effectu suo esse superiorem.

Si praecpta eius. Atqui nemo est qui omni ex parte servet: ita nulla esset Dei cognitio in mundo. Respondeo, apostolum minime secum pugnare. Quum ergo super omnes reos statuerit coram Deo, non intelligit servare mandata, qui legi penitus satisfaciant (quod exemplum nusquam inveniri potest in mundo), sed qui pro humanae infirmitatis captu vitam suam formare student ad Dei obsequium. Nam quoties de fidelium iustitia scriptura loquitur, adeo peccatorum remissionem non excludit, ut potius ab ea faciat exordium. Nec vero inde collendum est, fidem in opera recumbere. Tametsi enim suaे quisque fidei testimonium habet ab operibus: non tamen sequitur illic fundatam esse, quum posterior haec probatio instar signi accedat. Certitudo itaque fidei in sola Christi gratia residet: sed pietas et sanctitas vitae veram fidem a dicta et mortua Dei notitia discernit: quia haec veritas est in Christo (ut ait Paulus Colos. 3, 9) exuisse veterem hominem, etc.

4. *Qui dicit, Novi eum.* Unde probat mentiri, qui fidem iactant absque pictate: nempe a contrario, quia iam illud posuit, quod Dei cognitio resit efficax. Neque enim nuda imaginatione cognoscitur Deus: sed quum se intus cordibus nostris per spiritum patefacit. Cacterum quia multi hypo-

critao fidei titulo frusta superbunt, tales mendacii damnat apostolus. Nam quod dicit, supervacuum foret, nisi per multorum ora volitaret falsa et inanis christianismi professio.

5. *Qui vero servat.* Nunc definit quaenam vera sit legis Dei observatio: nempe Deum amare. Locus hic perperam (meo iudicio) ab iis exponitur, qui intelligent, vere Deo placere qui sermonem eius servant. Potius sic resolve, Diligere sincero cordis affectu Doum, est mandata eius servare. Breviter enim (ut iam admonui) indicare voluit quid a nobis Deus exigit: et in quo posita sit fidelium sanctitas. Idem Moses quoque dicebat, quum legis summam colligeret: Nunc Israel, quid petit abs te Dominus, nisi ut timeas ipsum, et diligas, ambulesque in praecceptis eius: Deuteronom. capite 10, 12. Item capite 30, 19: Elige vitam, nempe ut diligas Dominum Deum tuum, servias illi, et adhaeres, etc. Neque enim lex, quae spiritualis est, de externis tantum operibus praecipit: sed hoc praecipue nobis commendat, ut Deum ex toto corde diligamus. Quod nulla hic sit hominum mentio, pro absurdo haberi non debet: continuo enim ex Dei amore fluit fraterna caritas, ut postea videbimus. Quisquis itaque vitam suam Deo probare cupit, ad hunc scopum omnes eius partes dirigat. Si quis obiciat, neminem unquam fuisse repertum qui Deum ita perfecte diligenter: respondeo, sufficere modo quisque pro gratiae sibi datae mensura, ad hanc perfectionem adspiret. Interim constat definitio, quod perfectus Dei amor sit legitima sermonis eius observatio. In ea nos progredi, sicut in notitia proficeret decet.

Cognoscimus quod in ipso. Redit ad illum evangelii fructum, cuius meminerat, nempe societatem cum Deo et filio eius: atque ita confirmat superiorum sententiam a consequentibus. Nam si evangelii finis est ut Deo communicemus: communicatio autem nulla esse potest absque amore: nemo rite in fide profecit nisi qui Deo ex corde adhaeret.

6. *Qui dicit se in eo manere.* Quemadmodum prius lucem Dei nobis in exemplar proposuit: nunc quoque ad Christum nos vocat, ut eius simus imitatores. Quamquam non simpliciter hortatur ad imitationem Christi: sed ab unitate, quam habemus cum eo, arguit nos illi esse debere similes. Vitae, inquit, et operum similitudo probabit nos in Christo manere. Porro iis verbis ad proximum membrum, quod mox de amandis fratribus subiicit, transitum sibi facit.

7. *Fratres, non mandatum novum scribo vobis: sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio.* Mandatum vetus est sermo quem audistis ab initio.

8. *Rursum mandatum novum scribo vobis: quae est veritas in ipso et in vobis: quia tenebrae transeunt, et*

lumen verum iam lucet. 9. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est adhuc. 10. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, et offendiculum in eo non est. 11. Qui vero fratrem suum odit, in tenebris est, et in tenebris ambulat, nec scit quo vadat: quia tenebrae excaecarunt oculos eius.

Fratres, non mandatum etc. Explicatio superioris doctrinae, quod scilicet amare Deum sit servare eius mandata. Non temere autem pluribus verbis in hoc insistit. Primum scimus ut semper odiosa sit vel suspecta novitas: deinde non facile insuetum iugum suscipimus: ad haec, ubi certum aliquod doctrinae genus sumus amplexi, quidquam in causa mutari vel novari, nobis molestum est. His de causis admonet Iohannes, nihil se docere de caritate, nisi quod iam ab initio auditum fidelibus, usu ipso inveteraverit. Alii vetustatem secus exponunt: quod scilicet non aliam nunc in evangelio vivendi regulam praescribat Christus, quam Deus olim sub lege. Idque verissimum est. Nec repugno quin hoc sensu paulo post evangelii sermonem appellat *vetus mandatum*. Verum hoc tantum nunc velle arbitror, Haec prima esse evangelii rudimenta, sic ipsos a principio fuisse institutos: non esse cur refugiant quasi insolitum, quo pridem imbutos esse oportebat. Nam relativum causae leco poni appetat: *vetus* ergo nominat, non quod ante multa saecula traditum fuerit patribus: sed in quo edicti fuerant statim a primo religionis ingressu. Id autem plurimum ad fidem asserendam valet: quia statuere debent lectores, ab eodem Christo profectum esse, a quo evangelium habent.

Mandatum vetus est. Vetustatis nomen hoc loco longius extendi probabile est. Plenior enim est oratio, quum dicit, sermo, quem audistis a *ab initio*, est *vetus mandatum*. Ac (meo quidem iudicio) significat non debere accipi evangelium quasi doctrinam nuper natam: sed quae a Deo prodierit, sitque aeterna eius veritas. Ac si diceret, Non debetis evangelii antiquitatem metiri temporis spatio, quo vobis allatum est: si quidem illie perfecta vobis fuit aeterna Dei voluntas. Non solum ergo hanc pie vivendi regulam vobis tradidit Deus, quum vocati primum estis ad Christi fidem: sed eadem semper illi fixa probataque fuit. Et sane haec demum antiquitas censeri debet, fidemque et reverentiam meretur, quae originem habet a Deo. Nam hominum figura, quantumvis longa annorum praescriptione, non tantum autoritatis acquirent, ut obruant Dei veritatem.

8. Rursum mandatum novum. Non videntur mihi interpretes, apostoli mentem assequunti esse. Novum enim dicit, quod Deus quotidie suggestendo veluti renovat, ut se in eo tota vita exerceant fideles: quia nullum sit illis praestantius expeten-

dum. Nam quae pueri discunt rudimenta, postea locum cedunt altiori et solidiori doctrinae. Contra Iohannes negat eiusmodi esse doctrinam de fratribus diligendis, quae tempore obsolescat: sed perpotuo vigere, ut non minus sit ultima perfectio, quam tyrocinium. Porro hoc necesse fuit addi: quia, ut curiosi plus iusto sunt homines, bona pars semper novi aliiquid cupide appetit. Hinc simplicis doctrinae fastidium, quod innumera errorum portenta gignit: dum quisque novis subinde arcanis inhiat. Ubi autem hoc constitutum est, Dominum in eodem pergere tenore, ut in eo quod didicimus, tota vita nos retineat: iniectum est huiusmodi cupiditatibus fraenum. Ergo qui ad sapientiae metam pertingere cupit, quod ad vitam recte instituendam attinet, ille in caritate proficiat.

Quae est veritas. Probat ratione quod dixit: quia hoc uno caritatis mandato, quod ad institutionem vitae spectat, constat tota Christi veritas. Quae porro exspectanda est alia maior revelatio? Nam Christus certe omnium finis est ac complementum: proinde veritatis nomen hic spectat, ut subsistant quasi in meta. *Nam pro complemento vel absolutō statu accipitur.* Christum illis coniungit, ut membris caput: ac si diceret, corpus ecclesiae non aliam habere perfectionem: *vel tunc solide Christo unitos fore, si sanctus amor inter ipsos mutuo rigeat.* Alii secus exponunt, Quod est veritas in Christo, etiam in vobis est, sed non video quorsum id spectet.

Quia tenebrae transeunt. Praesens tempus loco praeteriti. Significat enim, simul ac Christus illuminat, nos habere plenum intelligentiae fulgorem. Non quod sapiat quisque fidelium primo die quantum oportet (nam et Paulus se eniti testatur ut apprehendat quod nondum assequutus est (Philip. 3, 12), sed quia Christi notitia ad discentias tenebras sola sufficit. Ergo necessarii sunt quotidiani progressus: et prius suam auroram habet cuiusque fides, quam ad meridiem perveniat. Sed quia eiusdem doctrinae tenorem continuat Deus, in qua proficere nos inbet: merito evangelii cognitio verum lumen dicitur, ubi Christus sol iustitiae affulget. Ita via praecluditur hominum audaciae, qui evangelii puritatem corrumpere snis figurantis tentant: ac tuto universam papae theologiam anathematice damnare licet, quae hoc verum lumen prorsus obscurat.

9. Qui dicit se in luce. Prosequitur suam metaphoram. Dixit caritatem unicam esse regulam ad quam exigenda sit vita: dixit hanc legem nobis in evangelio praescribi: dixit postremo illuc esse quasi meridianam lucem, quae oculos nostros intuitu sui retinere debet. Nunc ex adverso colligit, caecutire omnes ac in tenebris errare qui a caritate alieni sunt. Quod autem prius amorem Dei posuit, nunc fratrum, nihilo plus est repugnantiae quam inter

effectum et causam: deinde ita inter se connexi sunt, ut divelli nequeant. Dicit postea Iohannes capitulo tertio, falso nos iactare dilectionem Dei, nisi proximos diligimus: atque id verissimum est. Nunc vero caritatem erga proximos, tanquam testimonium sumit, quo probamus Deum a nobis diligere. In summa, quoniam caritas sic Deum respiciat, ut in Deo complectatur homines: nihil in eo absurdum, quod de caritate disputans apostolus promiscue nunc ad Deum, nunc ad fratres refert. Atque hic familiaris est scripturae usus. Saepe tota vita perfectio statuitur in amore Dei: rursum Paulus docet totam legem implere, qui proximum dilit (Rom. 13, 8): et Christus pronuntiat haec esse legis praecipua, iustitiam, iudicium, et veritatem (Matth. 23, 13). Utrumque verum est, ac optime convenient: quia et amor Dei nos ad homines diligendos instituit: et re ipsa testamur nostram in Deum pietatem, homines ex iussu eius amando. Quidquid sit, fixum hoc semper maneat, caritatem esse dirigendae vitae scopum. Quod eo diligentius notandum, quia quidvis potius omnes fere eligunt, quam unicum hoc Dei mandatum. Eodem pertinet quod sequitur, Non esse offendiculum ubi est studium caritatis. Nam qui vitam suam ita format, nunquam impinget.

11. *Fratrem suum odit.* Rursum admonet, quamlibet praeclarum virtutis speciem ostentes, nihil tamen esse non vitiosum ubi abest caritas. Conferatur hic locus cum 13. capite prioris ad Corinthios: et longa expositione non indigebit. Verum ideo obscura est mundo haec doctrina, quod bona pars in larvis nescio quibus obstupescit. Ita ficta sanctitas omnibus fere oculos perstringit: interim neglecta caritas, aut saltem in postremum angulum reicitur.

12. *Scribo vobis, filioli: quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius.* 13. *Scribo vobis, patres: quoniam novistis eum qui est ab initio.* *Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malum illum.* 14. *Scribo vobis, pueri: quoniam novistis patrem.* *Scripti vobis patres: quoniam novistis eum qui est ab initio.* *Scripti vobis, adolescentes: quia fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malum illum.*

12. *Filioli.* Haec adhuc generalis est sententia. Neque enim teneram modo aetatem compellat, sed communiter filiolos intelligit omnium aetatum homines: quemadmodum primo capite, et hoc ipso paulo post. Hoc ideo dico, quod interpres perpetram restringunt ad pueros. Atqui Iohannes quoniam de pueris loquetur, παιδία vocabit, quod nomen aetati congruet: hic autem tanquam spiritualis pater, non senes minus quam pueros τεκνία appellat.

Mox quidem speciales sententias accommodabit singulis aetatisbus. Falluntur tamen qui hinc faciunt initium. Quin potius ne superior exhortatio gratuitae peccatorum remissioni obscuritatem induceret, doctrinam hanc, quae fidei propria est, iterum inculcat: ut certe hoc fundamentum semper retinendum est, in sola Christi gratia nobis salutem esse repositam. Urgenda quidem vitae sanctitas, sedulo praecepientium de timore Dei, acriter stimulandi ad poenitentiam homines, commendanda vita novitas cum suis fructibus: semper tamen cavendum ne suffocetur fidei doctrina, quao Christum unicum salutis bonorumque omnium autorem statuit. Quin potius servanda est haec moderatio ut primas semper fides obtineat. Hanc legem nobis praescribit Iohannes, quoniam de bonis operibus sedulo concionatus, ne tamen plus illis dare videatur quam oportet, adeo sollicite nos ad Christi gratiam revocat.

Remittuntur vobis peccata. Sine hac fiducia non nisi fluxa et umbratilis erit pietatis species. Imo qui gratuita peccatorum remissione posthabita, insistunt in aliis partibus, sine fundamento aedificant. Interea Iohannes significat, nihil stimulandis ad timorem Dei hominibus aptius esse, quam dum rite edocti sunt quid illis bonorum attulerit Christus: quemadmodum Paulus (Philip. 1, 8) obsecrat per viscera misericordiae Dei. Unde apparet quam improba sit papistarum calumnia, qui frigere bene agendi studium causantur, dum ea extolitur quae sola obsequentes Deo filios reddit. Nam inde sumit hortandi materiam, quod tam benevolum nobis Deum esse novimus, ut peccata non imputet.

Propter nomen eius. Causa materialis adscribitur, ne quaeramus alia media quae nos Deo reconcilient. Neque enim satis fuerit tenere, Deum nobis ignoscere peccata, nisi recta veniamus ad Christum, et pretium illud quod in cruce nobis persolvit. Idque eo magis observandum, quod videamus Satanae astu et pravis hominum figmentis hanc viam obstructam esse: dum variis satisfactionibus placare Deum conantur stulti homines, et innumera expiationum genera excogitant ad se redimendos. Nam quot promerendae veniae media Deo ingerimus, tot abstaculis arcemur ab eius accessu. Proinde Iohannes non contentus hac simplici doctrina, quod nobis peccata Deus remittat, nominatim addit, proprium nobis esse Christi respectu, ut alias omnes rationes excludat. Nos quoque ut hoc beneficio fruamur, omnia alia nomina omittere et oblisci necesse est, solumque Christi nomen amplecti.

13. *Scribo vobis patres.* Iam ad aetatum enumerationem descendit, ut ostendat singulis convenire quod docet. Nam generalis sermo interdum minus afficit: imo, quae nostra est malignitas, pauci sunt qui putent ad se pertinere quod simul ad omnes dirigitur. Senes se ut plurimum subducunt, quasi ex-

cesserint discendi aetatem: pueri, quasi nondum maturuerint, recusant audire: mediae aetatis homines, quoniam aliis studiis occupantur, non adiiciunt buc animum. Ergo ne qui se eximant, evangelium ad singulorum usus accommodat. Designat autem tres aetates: quae magis recepta est humanae vitae partitio. Unde et celebris ille Lacedaemoniorum chorus tres ordines habebat, quorum primus canebat: Quod estis, erimus: postremus, Quod estis, fuimus: medius vero: Sumus quod alteri fuerunt, et alteri futuri sunt. In hos tres gradus Iohannes humanae vitae curriculum distribuit: ac incipit quidem a senibus, et illis congruere dicit evangelium, quia inde aeternum Dei filium discant. Nota est senum morositas: praesertim vero quia annorum multitudine metiuntur sapientiam, redduntur indociles. Praeterea hoc vitii merito in illis notavit Horatius in Arte poetica¹⁾, quod tempus pueritiae suae laudantes, respuunt quidquid fit aut dicitur. Huic vitio prudenter medetur Iohannes, quem in evangelio non antiquam modo scientiam contineri admonet, sed quae nos deducit usque ad ipsam Dei aeternitatem. Unde sequitur, nihil hic esse quod fastidiant. Quod dicit Christum fuisse ab initio, tam ad divinam eius praesentiam, in qua coaeternus est patri, quam ad virtutem refero, de qua apostolus loquitur ad Hebreos (13, 8), quum dicit fuisse heri, sicuti est hodie, ac si diceret: Si placet vetustas, habetis Christum, qui est omni vetustate superior: quare ne pudeat eius esse discipulos qui in se omnia saecula comprehendit. Interea notandum quaenam sit vere antiqua religio, nempe quae in Christo fundata est. Nam alioqui parum valebit quantumvis longa annorum series, si originem ab errore ducat.

Scribo vobis, adolescentes. Tametsi diminutivo utitur, *τενήσκοτες*: non tamen dubium est quin sermonem ad omnes dirigat qui sunt in aetatis flore et statu. Scimus porro aetatem illam sic addictam esse inanibus mundi curis, ut de regno Dei parum cogitet. Nam ingenii vigor et corporis robur illos quodammodo inebriant. Proinde apostolus eos admonet ubi situm sit verum robur: ne amplius pro more suo in carne exsultent. Vos, inquit, fortis estis, quia vici satanam. Copula enim causalem particulam valet. Et sane ea est fortitudo quam appetere decet: nempe spiritualis. Et simul non aliunde haberi indicat quam a Christo, bona enim, quae ex evangelio percipimus, commemorat. Viciesse dicit qui adhuc sunt in actu ipso bellandi: sed nostra conditio longe alia est quam eorum, qui sub hominum vexillis militant. Mars enim illis dubius, et eventus belli anceps: nos, priusquam congregiamur cum hoste, iam sumus victores: quia

nobis caput nostrum Christus, totum semel mundum vicit.

14. *Scribo vobis, pueri.* Indigent pueri aliono regime: itaque pueris optime quadrare evangelium, apostolus colligit, quia illic inveniant patrem. Nunc videmus quam diabolica sit tyrannis papae, quae minaciter ab evangelii doctrina omnes aetates arcet, quas spiritus Dei tam studiose provocat. Caeterum haec quae in species apostolus distribuit, etiam generalia sunt. Nam toti in vanitatem defluimus, nisi nitatur nostra firmitas aeterna Dei veritate. Nihil nobis magis fragile et caducum, nisi virtus Christi in nobis habitat: pupilli sumus omnes, donec in gratiam adoptionis per evangelium venimus. Quae ergo de iuvenibus praedicat, etiam senibus sunt communia: sed tamen voluit singulis aptare quod illis maxime necessarium est ut sine exceptione omnes indigere evangelii doctrina ostendat. Particula ἦτι bifariam exponi potest: sed hic sensus, quem posui, multo molior est: atque ita contextus melius cohaeret.

Scripsi vobis. Has repetitiones iudico esse supervacuas. Et probabile est, quum falso putarent imperiti lectores bis de pueris loquutum esse, temere alia duo membra supposuisse. Quamquam fieri potest ut Iohannes ipse sententiam de adolescentibus, augendi causa, secundo inseruerit: (illic enim addit, fortes esse, quod prius non dixerat) librarii autem temere numerum implere voluerint.

15. *Ne diligatis mundum, neque ea quae in mundo sunt.* Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo. 16. *Quia quidquid est in mundo (nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae) non est ex patre, sed ex mundo est.*

17. *Atqui mundus transit, et concupiscentia eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.*

15. *Ne diligatis, etc.* Antea dixerat hanc esse unicam pie vivendi regulam, Deum amare: sed quia vano mundi amore occupati, sensus omnes nostros alio avertimus, vanitatem istam prius ex nobis revelli oportet, ut in nobis regnet Dei amor. Donec mentes purgatae fuerint, centies nullo profectu iterari posset superior illa concio: non secus ac si aquam supra globum effundens, ne unam quidem guttam colliges, quia nihil est illic vacuum quo aqua retineatur. Mundi nomine intellige quidquid ad praesentem vitam spectat, ubi separatur a regno Dei et spe vitae aeterna Ita in se comprehendit omne genus corruptelas, et malorum omnium abyssum. In mundo sunt voluptates, delitiae, et illecebrae omnes quibus homo capit, ut se a Deo subducatur. Porro tam severe damnatur mundi amor: quia ubi nihil quam terram respicimus, necesse est Deum et nos ipsos obliisci. Ubi vero perversa eiusmodi

¹⁾ *Vide an respiciat v. 173 ss.*

cupiditas dominatur, et hominem ita implicitum tenet ut non cogitet de coelesti vita, illuc est boluius stupor.

Si quis diligit mundum. Argumento a contrariis probat quam necesse sit mundi amorem abiicere, si velimus placere Deo. Idque postea confirmat argumento a repugnantibus: quia quae propria sunt mundi, cum Deo prorsus dissideant. Tenendum est quod iam dixi, hic notari profanum vitae iustitum, quod nihil habet eum regno Dei commune: ubi sic degenerant homines, ut praescuti vita contenti, nihilo plus de immortali vita cogitent quam brutae pecudes. Ergo quisquis ita se terrenis cupiditatibus uancipat, non potest Dei esso.

16. *Nempe concupiscentia carnis.* Vetus interpres aliter: uam ex una sententia duas facit. Melius Graeci, qui uno contextu legunt, Non esse ex Deo quidquid est mundi: et tres concupiscentiae species interscrunt, oratione non abrupta. Nam explicationis vice interposuit Iohannes hacc quasi tria exempla, ut summatim ostenderet qualia sunt studia et quales eorum meditationes qui mundo vivunt. Porro an plena sit et integra partitio, non magnopere refert. Quamquam non reperies hominem mundanum, in quo non regnent istae cupiditates, vel saltem una earum. Restat ut videamus quid per unamquamque intelligat. Primum membrum generaliter de vitiosis omnibus concupiscentiis exponi solet: quia caro totam hominis corruptam naturam significat. Ego tametsi nolim contendere, dissimulare tamen nolo, diversum sensum mihi probari. Quum vetat Paulus Ro. 13, 14, carnis curam haberri ad concupiscentias, mihi videtur optimus esse huius loci interpres. Quid est illic caro: Nempe corpus et eius accessiones. Quid ergo est carnis cupiditas, nisi quum homines terreni molliter et delicate vivere appetentes, suis tantum commodis intenti sunt: Nota est ex Cicerone et aliis trimembribus Epicuri partitio, qua inter cupiditates discernit: quum alias facit naturales et necessarias: alias naturales, non tamen necessarias: alias nec naturales, nec necessarias. Verum Iohannes, cui nota erat cordis humani $\alpha\tau\alpha\zeta\alpha$, secure damnat cupiditatem carnis, quia semper intemperanter diffusat, nec mediocritatem servet. Postea gradatim descendit ad crassiora vitia. Cupiditas oculorum (meo iudicio) tam libidinosos adspectus comprehendit, quam vanitatem quae in pompis et inani splendore vagatur. Sequitur postremo loco fastus aut superbia, cui coniuncta est ambitio, iactantia, aliorum contemptus, caecus amor sui, praeceps confidentia. Summa est, simul ac mundus se offert, appetitus nostros, ut cor nostrum perversum est, quasi effraenes beluas, illue rapi: ita dominari varias concupiscentias, quae omnes Deo sunt adversae. Pro vita, grecce est $\beta\delta\zeta\varsigma$, hoc est vivendi genus et ratio.

Atqui mundus transit. Quia in mundo nihil est nisi caducum et quasi momentaneum, ex eo colligit quam male et inisero sibi consulant qui hic sibi felicitatem constituunt: praesertim quum ad beatum aeternao vitao gloriam nos Deus vocet: ac si dicoret: Vera felicitas, quam Deus filii suis offert, aeterna est: indignum est igitur, nos mundo implieari, qui mox cum bonis suis omnibus ovanesco. Concupiscentiam hic interpretor metonymico, quidquid concupiscitur, et hominum desideria ad se rapit. Sensus est, quidquid in mundo pretiosissimum et maxime optabile dicitur, nihil quam umbratile esse spectrum. Quum dicit, perpotuo manero qui faciunt Dei voluntatem: significat perpetuo foro beatos qui ad Deum adspirant. Si quis obiciat, neminem facere quod Deus praecepit: responsio in promptu est, non de absoluta legis observatione hic agi, sed de fidei obedientia, quae utcunque perfecta non sit, Deo nihilominus probatur. Voluntas Dei primum in lege nobis monstratur: sed quia legi nemo satisfacit, nulla illinc felicitas sperari potest. Verum desperatis occurrit Christus cum novo subsidio, qui non tantum spiritu nos suo regenerat ut obediamus Deo: sed facit etiam ut qualiscunque noster conatus plenae iustitiae laudem obtineat.

18. *Filioli, novissima hora est: et sicut audistis quod Antichristus venturus sit, etiam nunc antichristi multi coeperunt esse: unde scimus esse novissimam horam.* 19. *Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti fierent quod non erant omnes ex nobis.*

18. *Novissima hora.* Confirmat fideles adversus offendicula quibus poterant turbari. Iam exortae erant variae sectae quae et fidei unitatem scindebant, et dissipabant ecclesias. Apostolus autem non tantum fideles munit, ne titubent: sed in contrarium finem hoc totum vertit. Admonet enim eos, iam adesse tempus extremum, ideoque eos ad maiorem vigilantiamhortatur: ac si diceret, Dum emergunt errores diversi, potius experges fieri vos decet quam obrui. Inde enim colligendum est, non procul abesse Christum: ergo intenti simus in eius exspectationem, ne subito nos deprehendat. Eodem modo hodie quoque nos erigi decet, et propinquum Christi adventum fide apprehendere, dum omnia miscet Satan, turbandae ecclesiae causa. Haec enim sunt ultimi temporis signa. Verum tot saecula, quae a morte Iohannis flixerunt, videntur hoc vaticinium falsi coarguere. Respondeo, apostolum vulgari scripturae more denuntiare fidelibus, nihil iam amplius restare, nisi ut Christus in mundi redemptionem appareat. Quia vero nullu tempus praefigit, neque

actatis suae homines lactavit spe inani, nequo in posterum voluit abscindere ecclesiae cursum, et multas annorum successiones, quibus hoc usque duravit ecclesia in mundo. Et certe si regni Dei aeternitas nobis ante oculos versatur, nulla erit tam longa diuturnitas, quae non sit instar momenti. Tendum apostoli consilium est, quod ultimum tempus vocet, in quo sic complentur omnia, ut nihil super sit, praeter ultimam Christi revelationem.

Audistis quod Antichristus. Loquitur tanquam de re nota: unde colligere promptum est, edoctos et admonitos ab initio fuisse fideles de futura ecclesiae dissipationem: tum ut sollicite ipsi se continerent in fide suspecta, tum ut posteros instruerent ad cavendum. Sic enim tentari Deus voluit ecclesiam, ne quis nisi sciens ac volens falleretur, nec ulla esset ignorantiae excusatio. Atqui videmus totum fere orbem misere fuisse deceptum, ac si verbum nunquam de Antichristo factum esset. Quin etiam in papatu nihil magis celebre ac tritum est, quam futurus Antichristi adventus: interea tam sunt stupidi, ut eius tyrannidem cervicibus suis impositam non sentiant. Idem scilicet omnino illis contingit, quod Iudaeis: nam quum ii promissiones de Messia teneant, longius tamen absunt a Christo, quam si nunquam illis auditum esset nomen. Nam imaginarius Messias, quem sibi finxerunt, eos a filio Dei prorsus avertit. Et si quis ex lege et prophetis Christum illis ostendere studeat, nihil quam ludet operam. Papistae Antichristum imaginati sunt, qui per tres annos et dimidium vexaturus sit ecclesiam. Omnes notae, quibus Antichristum designat spiritus Dei, in papa clare apparent: sed ille triennalis Antichristus stultos papistas tenet occupatos, ne vidento videant. Meminerimus itaque, non modo indicatum fuisse a spiritu Dei Antichristum, sed adscriptas simul fuisse notas quibus discerni queat.

Etiam nunc multi. Videri posset hoc correctio- nis vice additum, quasi falso existiment unum fore aliquod regnum: sed non ita est. Qui unum tantum hominem putant fore, delirant illi quidem: sed Paulus quum venturae defectionis meminit (2. Thess. 2, 3), aperte testatur certum fore corpus et regnum. Initio praedicit defectionem quae per totam ecclesiam grassabitur, ut sit quasi malum universale: deinde apostasiae caput constituit adversarium Christi, qui in templo Dei sedebit, numen et divinos honores sibi usurpans. Nisi velimus sponte errare, ex ista Pauli descriptione Antichristum agnoscere dis- camus: quam suo loco exposui, nunc obiter attigisse sufficit. Sed quomodo hoc convenit cum verbis Iohannis, qui iam multos esse pronuntiat? Respondeo, Iohannem nihil velle aliud, quam speciales iam sectas emergere, quae sint futurae dissipationis praeludia. Cherinthus enim, Basilides, Marcion, Valentius, Ebion, Arius, et reliqui, eius regni

membra erant, quod diabolus postea adversus Christum crexit. Proprie loquendo, nondum Antichristus exstabat: sed arcanum suac impietatis clam moliebat. Verum Iohannes utitur hoc nomine, ut piorum studium et sollicitudinem ad repellendas fraudes magis aenat. Quod si iam tunc in excubiis stare fideles iubebat Dei spiritus, quum signa duntaxat venturi hostis procul cernerent: multo minus nunc dormiendo tempus est quando ecclesiam saeva tyrannide oppressam tenet, ac palam Christo insultat.

19. *Ex nobis egressi sunt.* Alteram obiec- tionem praevertit, quod postes illas videbatur genuisse ecclesia, et in sinu suo ad tempus foviisse. Nam certe hoc ad turbundos infirmos plus valet, si unus quispiam nobiscum veram fidem professus, deficiat, quam si mille extranei in nos conspirent. Sic ergo fatetur eos prediisse ex ecclesiae gremio, ut tamen neget fuisse unquam ex ecclesia. Porro diducendae obiec- tionis ratio est, quod semper huic malo obnoxia sit ecclesia, ut multos ferre cogatur hypocritas, qui vere Christum non habent, utecumque eius nomen ore profiteantur ad tempus. Quum dicit, egressos esse a nobis, significat locum in ecclesia prius occupasse, et habitos esse in piorum numero. Negat tamen fuisse ex nobis, qui falso nomen obtenderint fidelium: sicuti paleae, *licet* tritico in eadem area permistae sint¹⁾, non tamen in tritico censemur.

Si fuissent ex nobis. Aperte pronuntiat, nunquam fuisse ecclesiae membra qui deficiunt. At certe sigillum Dei, sub quo suos custodit, firmum manet: ut inquit Paulus (2. Tim. 2, 19). Sed hic oritur difficultas. Multos enim, qui videbantur Christum amplexi, saepe excidere contingit. Respondeo, tres eorum esse gradus qui evangelium profitentur. Sunt enim qui pietatem simulant, quum tamen mala conscientia intus eos arguat. Aliorum magis frau- dulenta hypocrisia: qui non modo fucum hominibus facere tentant, sed oculos sibi perstringunt, ut sibi videantur recte Deum colere. Tertiis vivam habent fidei radicem, ac suae adoptionis testimonium penitus fixum cordibus gerunt. Piores duo ordines nihil stabilitatis habent: de postremis loquitur Iohannes, quum impossibile esse dicit ab ecclesia alienari. Neque enim sigillum, quod Deus spiritu suo insculpsit eorum conscientiis, deleri potest. Semen incorruptibile, quod radicem egit, non potest evelli, nec aboleri. Neque enim hic de hominum, sed Dei constantia agitur, cuius electionem ratam esse oportet. Quare non immerito dicit, ubi efficax est Dei vocatio, illic certam perseverantiam fore. In summa nunquam penitus imbutos fuisse Christi notitia in- telligit, qui deficiunt: sed levem duntaxat et evan- dum habuisse gustum.

¹⁾ sunt

Ut manifesti fierent. Utile ac necessarium esse ecclesiae examen docet: unde ex adverso sequitur non esse iustum perturbationis causam. Quum sit areae similis ecclesia, ventilari palcam oportet, ut triticum purum maneat: hoc facit Deus, quum emitit hyperitas ex ecclesia: eam enim quisquiliis et sordibus purgat.

20. *Et vos unctionem habetis a sancto: et novistis omnia.* 21. *Non scripsi nobis, quia non noveritis veritatem: sed quia novistis eam, et quia omne mendacium ex veritate non est.* 22. *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum?* *Hic est antichristus, qui negat patrem et filium.* 23. *Omnis qui negat filium, neque patrem habet.*

20. *Et vos unctionem.* Modesto excusat apostolus, quod eos tamen sollicito admonet: ne putent oblique se perstringi, quasi rudes ignarosque eorum quae probe tenere debuerant. Sic Paulus (Rom. 1, 14) Romanis concedit prudentiam, ut aliis etiam monendis sint pares et idonei: simul tamen ostendit, non posse aliter se munere sibi injuncto defungi, quin eos commonefaciat. Neque tamen adulatorie sic loquuntur apostoli: sed hoc modo prudenter caevent ne ab ullo hominum genere respiciatur sua doctrina: quum non modo rudibus, sed in schola Domini eruditis congruere et utilem esse denuntiant. Usus ipse docet quam fastidiosae sint hominum aures. Tale quidem a piis debet abesse fastidium: boni tamen ac prudentis doctoris est nihil omittere, quo sibi audientiam apud omnes faciat. Certum est autem, nos minori attentione et reverentia excipere quod dicitur, si putamus eum, qui loquitur, intelligentiam, quae a Domino data est nobis, detrahere. Simul hac laude acuit apostolus lectores, quia minus excusationis habent qui dono intelligentiae sunt praediti, nisi alios profectu antecedant. Summa est, quod apostolus eos non docet tanquam rudes et elementarios, sed res iam cognitas in memoriam illis reducit: deinde quod ad excitandas spiritus scintillas eos hortatur, ut plenus in illis fulgor luceat. Ac se ipsum exponit proximis verbis, se ideo scripsisse negans quod veritatem ignorant, sed quod in ea probe siunt edocti. Nam si rudes prorsus fuissent ac novitii, capere non potuissent hanc doctrinam. Quod autem omnia dicit novisse, non universaliter capi, sed ad praesentis loci circumstantiam restringi debet. Caeterum quum dicit eos habere unctionem a sancto, non dubito quin ad veteres figuram alludat. Nam e sanctuario petebatur oleum ad ungendos sacerdotes. Daniel autem adventum Christi tempus proprium esse definit ungendo sancto sanctorum (Dan. 9, 24). Nam ideo unctus a patre fuit, ut multiplices copias ex sua in nos plenitudine diffundat. Hinc sequitur, non acumine proprii sensus

recte sapere homines, sed illuminatione spiritus: deinde non aliter quam per Christum nos fieri spiritus participes, qui et verum est sanctuarium, et unicuius noster sacerdos.

21. *Et quia omne mendacium.* Concedit illis iudicium, quo verum a falso discernant. Neque enim dialectica est ista propositio, mendacium differre a veritate (qualiter in scholis generales regulae traduntur), sed ad praxin et usum accommodatus sermo: ac si diceret, Non tantum eos tenero quid verum sit: sed etiam adversus impiorum fallacias et imposturas munitos esse, ut prudenter sibi caueant. Porro non de una aut altera mendacii specie loquitur: sed quidquid fraudis intentet Satan, aut quacunque parte eos adoriantur, lucis et tenebrarum discretionem fore in promptu dicit, quia ducem habeant spiritum.

22. *Quis est mendax.* Non asserit solos esse eos mendaces qui negant apparuisse in carne Dei filium, ne quis in solvendo hoc nodo ultra modum se torqueat: sed alios omnes superare. Quasi dicaret, nisi hoc censeatur mendacium, aliud nullum haberi posse. Quemadmodum vulgo solemus loqui, Si perfidia in Deum et homines crimen non est, quod amplius crimen vocabimus? Quod autem de pseudopropheticis in genere attigerat, nunc accommodat ad rationem sui temporis. Digo enim ostendit eos qui ecclesiam turbabant. Quod Cherinthum et Carpocratem notari veteres existimant, facile recipio. Caeterum Christi negatio late patet. Neque enim satis est uno verbo fateri Iesum esse Christum, nisi talis agnoscitur, qualis eum pater in evangelio nobis offert. Duo isti, quos nominavi, Christi titulum dabant filio Dei: sed purum fingebant hominem. Sicuti¹⁾ sunt alii, ut Arius, qui Dei nomine illum ornantes aeterna divinitate spoliabant. Marcion spectrum hominis fuisse somniabat. Sabellius nihil a patre differre commentus est. Illi omnes Dei filium negarunt: quia nemo eorum integrum Christum sincere agnoverit: sed eius veritatem, quantum in se erat, adulterantes, idolum sibi pro Christo fabricarunt. Erupit deinde Pelagius, qui certamen quidem non movebat de Christi essentia, quin verum hominem et Deum esse concederet: sed totum fere eius honorem in nos transferebat. Hoc vero est Christum in nihilum redigere, quum eius gratia et vis aboletur. Sic papistae hodie liberum arbitrium spiritus sancti gratiae opposentes, partem iustitiae et salutis locantes in operum meritis, innumeros sibi patronos imaginantes, per quos Deum propitium habeant, factitium nescio quem Christum habent: at vivam genuinamque Dei imaginem, quae lucero in Christo debebat, pravis suis commentis deformant, virtutem enervant, officium obruant et

¹⁾ Sequuti

pervertunt. Nunc videmus negari Christum, quae-
ties quae habet propria, illi detrahuntur. Quem-
admodum autem Christus legis et evangelii finis
est, ac inclusos in se thesauros omnes habet sa-
pientiae et intelligentiae: ita scopus est, in quem
collimant haeretici omnes, ut sagittas illuc suas di-
rigant. Quare non immerito apostolus impostorum
facit principes, qui Christum oppugnant: quando
plena in eo veritas nobis est exhibita.

Hic est antichristus. Non loquitur de illo de-
fectionis principe qui Dei sedem occupaturus erat:
sed quicunque Christum everttere conantur, eos in
scelerata illa cohorte ponit. Atque ut eorum cri-
men amplificet, non minus patrem ab illis quam
filium negari asserit: ae si diceret, nullam amplius
eos habere religionem, quia Deum penitus abiece-
rint. Quod ratione mox addita confirmat: quia ne-
queat pater a filio separari. Est autem haec in-
signis sententia, et quae inter prima religionis
nostrae axiomata censeri debet. Imo postquam
confessi sumus unum esse Deum, hoc secundum
caput necessario connecti debet: non alium esse
nisi qui in Christo cognoscitur. Neque hic argute
disputat apostolus de essentiae unitate. Certum qui-
dem est non posse divelli filium a patre, quia sit
έρωτος, sed aliud nunc agitur: quod scilicet
pater, qui alioqui invisibilis est, se in filio tantum
patefecerit. Unde et imago patris vocatur, quia
nobis reprezentat et exhibet quidquid de patre co-
gniti utile est. Nuda enim Dei maiestas semper
immenso suo fulgore oculos nostros perstringet:
ergo necesse est in Christum respicere. Hic acces-
sus est ad lucem, quae alioqui merito inaccessa di-
citur. Iterum dico, non hic agitari subtilem dispu-
tationem de aeterna Christi essentia quam unam
cum patre habet. Abunde quidem ad eam proban-
dam sufficit hic locus: sed Iohannes ad fidei praxin
nos vocat: nempe quia Deus se totum nobis in
Christo fruendum dedit, frustra alibi quaeri: vel
(si quis malit clarius) quoniam in Christo habitat
tota plenitudo divinitatis, extra eum nihil esse Dei.
Unde sequitur, Turcas, Iudeos, et similes, Dei loco
merum habere idolum. Nam quibuscumque insi-
gniant titulis Deum quem adorant: quia tamen eum
reieciunt sine quo ad Deum non pervenitur, et in
quo nobis se Deus in solidum manifestat: quid ha-
bent praeter suam creaturam, vel suum figmentum:
Blandiantur sibi ut volent in suis speculationibus,
qui extra Christum philosophantur de rebus divi-
nis: certum tamen est nihil quam despere, quia
non tenent caput, ut Paulus dicit (Colos. 2, 19).
Unde colligere promptum est quam necessaria sit
Christi cognitio. Multi codices habent oppositam
sententiam: Qui confitetur filium, etc. Sed quia
puto annotatam ab aliquo lectore obrepisse in
contextum, omittendo non dubitavi. Quod si placeat

ipsam inseri, sensus erit, non aliam esse legitimam
Dei confessionem, quam dum in filio agnoscitur
pater. Si obiciat quispiam, multos ex veteribus
recte sensisse de Deo, quibus tamen ignotus erat
Christus: fateor non ita semper explicatam fuisse
Christi notitiam: illud tamen semper fuisse verum
contendo: quemadmodum solis lumen radiis ad vos
usque diffunditur, ita Dei notitiam non nisi per
Christum communicatam.

24. *Ergo quod audistis ab initio, in vobis maneat.*
Si in vobis manserit quod ab initio audistis, et vos
in patre et filio manebitis. 25. *Atque haec est pro-*
missio quam ipse nobis promisit, nempe vita aeterna.
26. *Haec scripsi vobis de iis qui seducunt vos.*
27. *Et unctionis, quam accepistis ab eo, in vobis manet,*
neque opus habetis ut quis vos doceat: sed quemad-
modum unctionis docet vos de omnibus, et veritas est, et
non est mendacium. Et quemadmodum docuit vos,
manete in eo. 28. *Et nunc, filioli, manete in eo: ut*
quum apparuerit, habeamus fiduciam: neque pude-
fiamus ab eius praesentia. 29. *Si nostis quod iustus*
sit, cognoscite quod quisquis facit iustitiam, ex eo
genitus est.

24. *Ergo quod, etc.* Superiori doctrinae ex-
hortationem attexit: et quo plus efficaciae habeat
exhortatio, fructum demonstrat quem ex obedientia
percipient. Ergo ad fidei constantiam eos hortatur,
ut fixum in cordibus retineant quod didicerunt.
Porro quum dicit ab initio, sola antiquitas mi-
nime ad probandam quamlibet doctrinam sufficeret:
sed quia iam ostendit, rite in puro Christi evan-
gelio fuisse institutos: iure in eo permanendum esse
infert. Ac diligenter notandus est hic ordo. Nam
si ab eo doctrinae genere, quod semel erimus am-
plexi, nolimus discedere, qualecumque illud sit: non
constantia, sed perversa erit obstinatio. Quare de-
lectus est habendus, ut nobis fidei nostrae ratio
conset ex Dei verbo, tum sequatur inflexibilis con-
stantia. Papistae initium iactant, quia superstitiones
suas a pueritia imbiberint. Hoc praetextu apertam
veritatem contumaciter repudiare sibi permittunt.
Talis pertinacia nobis documento est, semper facien-
dum esse exordium a doctrinae certitudine.

Si in vobis manserit. Hic perseverantiae fructus
est, quod in quibus manet Dei veritas, illi in Deo
manent. Unde colligimus quid in tota pietatis doc-
trina sit quaerendum. Quare is demum optime
profecit, qui hue usque progressus est, ut Deo
penitus adhaereat. In quo autem non habitat pater
per filium, is totus est vanus et inanis, quidquid
scientiae teneat. Porro haec eximia laus sanas
doctrinæ, quod nos Deo coniungit, ac in ea reperi-
mus quidquid ad veram Dei fruitionem pertinet.
Postremo loco admonet hanc esse solidam felicitatem,

si Deus in nobis habitet. Loquutio, qua utitur, ambigua est: vel quod hacc sit promissio qua nobis promisit vitam aeternam: vel appositive, quod hacc sit promissio quam nobis dedit, nempo vita aeterna. Quia tamen utrovis modo accipias, idem manet sensus: libera sit electio. Summa est, non aliter nos victuros, quam si vita semin in animis nostris conceptum, usque ad finem alamus. Multus est Iohannes in hoc capite tradondo, in cognitione Christi non modo beatae vitae principium esse situm, sed etiam perfectionem. Verum nulla eius repetitio nimia esse potest: quando hanc semper hominibus causam fuisse exitii notum est, quod Christo non contenti, extra simplicem evangelii doctrinam evagari gestierunt.

26. *Haec scripsi vobis.* Iterum excensat apostolus, quod eos admoneat qui intelligentia et iudicio aliqui praediti erant. Hoc autem ideo facit, ut iudicium spiritus adhibeant, ne inutilis sit admonitio. Ac si dixisset: ego quidem meas ago partes: sed interea necesso est ut vos Dei spiritus in omnibus dirigat. Nam frustra vocis meae sonitu aures, vel potius acrem verberabo, nisi ille intus loquatur. Quum audimus eum de seductoribus scripsisse, semper observemus, bono et sedulo pastori non modo curam incumbere ut oves aggreget, sed etiam ut lupos abigat. Quid enim profuerit puram evangelii vocem in medium afferre, si ad manifestas Satanae imposturas connivemus? Nemo itaque fideliter ecclesiam docere poterit, nisi qui profligandis erroribus, si quos spargi a seductoribus videt, erit intentus. Quod dicit, *unctio*, quam ab eo acceptis, ego ad Christum refero.

27. *Negque opus habetis.* Ridiculus esset Iohannes, quemadmodum supra dixi, si inutilem doctrinam profunderet. Non igitur tantum illis tribuit sapientiae, ut Christi discipulos esse neget. Tantum significat illos minime esse rudes, ut docendi sint tanquam de rebus ignotis: nec se quidquam proponere quo non ultro illis suggerat Dei spiritus. Perperam itaque fanatici homines hoc testimonium arripiunt, ut ab ecclesia usum exteri ministerii excludant. Dicit fideles, spiritus magisterio eductos, iam tenere quae tradit: ut non opus habeant, quasi ignota discere. Hoc dicit quo plus autoritatis suae doctrinae conciliat: dum eius subscriptionem quisque intelligat: fides autem in aliis exigua sit, in aliis mediocris, in novine absoluta: hinc sequitur, neminem tantum scire quin prefectui adhuc sit locus. Deinde haec altera est doctrinae utilitas, quod ubi probe tenent homines quod expedit: commonesfacimus tamen eos et excitamus, ut maior inde confirmatio illis accedat. Nam quod de omnibus eos a spiritu doceri pronuntiat Iohannes, non tam generaliter accipi debet,

sed ad loci praesentis circumstantiam restringi. In summa, non alio spectat quam ad stabiliendam eorum fidem, dum eos ad spiritus examen revocat qui solus est idoneus doctrinae censor et approbator: dum eam cordibus nostris obsignat, ut certo sciamus Deum loqui. Nam quum in Deum respicere debeat fides, solus ipse sibi testis esse potest, ut cordibus nostris persuadeat, a se profectum esse quod aures nostrae percipiunt. Atque id sibi volunt haec verba, quemadmodum vos docet, veritas est: spiritum scilicet instar sigilli esse, quo nobis testata fiat Dei veritas. Quum addit non esse mendacium, hac particula alterum spiritus officium designat: nempe iudicio et discretione nos regere, ne mendacio fallamur, ne baereamus suspensi et perplexi: ne velut dubiis in rebus vacillemus.

Quemadmodum docuit, manete. Dixerat in illis manere spiritum: nunc ut in eius revelatione maneat, hortatur. Et speiem ipsam revelationis designat: Manete, inquit, in Christo, quemadmodum vos spiritus docuit. Scio aliter vulgo exponi: Manete in ea: ut unctionem referat. Sed quum repetitio, quae mox sequitur, non nisi Christo conveniat, mihi non dubium est quin de Christo hic quoque loquatur: et contextus hoc postulat. Nam in eo capite insistit apostolus, ut puram Christi notitiam retineant fideles, utque non alia via ad Deum contendant. Interea clare ostendit, non alium in finem Dei filios illuminari a spiritu, nisi ut Christum cognoscant. Quod si inde non deflexerint, perseverantiae fructum proponit: nempe quod fiduciam habituri sint, ne pudeant ab eius conspectu. Non enim fides nuda est ac frigida Christi apprehensio, sed vivus et efficax potentiae eius sensus, qui fiduciam generat. Nec vero aliter staret fides, dum tot quotidie fluctibus impetratur, nisi et in Christi adventum respiceret, et eius virtute suffulta tranquillum afferret statum conscientiis. Porro optime fiduciae natura exprimitur, quum intrepide sustineri dicit Christi praesentiam. Nam qui secure in vita sibi indulgent, obvertunt tergum Deo: neque alibi quam in Dei oblivious pacem inveniunt. Haec est carnis securitas, quae homines obstupefacit: ut a Deo adversi, neque peccatum horreant, neque mortem metuant: interea refugiant Christi tribunal: pia autem fiducia in solum Dei intuitum recumbit. Unde fit ut placide Christum exspectent pii, neque eius conspectum reformident.

29. *Si nostis quod iustus sit.* Iterum ad exhortationes transit: ut eas doctrinae subinde in tota epistola permisceat. Multis autem argumentis probat fidem necessario cum sancta et pura vita coniunctam esse. Primum est, quod spiritualiter gignimur in Christi similitudinem. Unde sequitur, neminem ex Christo genitum, nisi qui iuste vivit. Quamquam incertum est, Christum an Deum intelligat,

quum dicit ex eo esse genitos qui faciunt iustitiam. Illa certe usitata est loquendi ratio in scripturis, nos ex Deo gigni in Christo. Sed in hac quoque altera nihil absurdum est: ex Christo gigni qui eius spiritu renovantur.

CAPUT III.

1. *Videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur.* Propterea mundus non novit nos, quia non novit ipsum. 2. *Dilecti, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Scimus autem quod si apparuerit, similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est. 3. *Et omnis qui habet hanc spem in eo, purificat se ipsum: quemadmodum ille purus est.*

1. *Videte, etc.* Secundum argumentum, a vocationis nostrae dignitate et praestantia. Non vulgari honore, inquit, nos dignatus est coelestis pater, quum in filios adoptavit. Haec tanta gratia, puritatis studium accendere in nobis debet, ut simus illi conformes: nec vero fieri potest quin se purificet qui se unum ex Dei filiis agnoscit. Et quo plus vehementiae habeat exhortatio, Dei gratiam amplificat. Nam quod dicit datam esse caritatem, significat hoc merae esse liberalitatis, quod nos Deus pro filiis habet. Unde enim tanta nobis dignitas, nisi ex Dei amore? Amor porro hic gratuitus praedicatur. Est quidem impropria loquutio: sed maluit improprie loqui apostolus, quam non exprimere quod necesse cognitu erat. In summa, significat, quo amplior effusa est in nos Dei bonitas, illi nos eo magis obstrictos esse. Quemadmodum Paulus per eius misericordias Romanos obsecrat ut se illi puras hostias offerant (Rom. 12, 1). Interea docemur, gratuitam (ut dixi) esse piorum omnium adoptionem, nec ab ullo operum respectu pendere. Nam quod sophistae dicunt, adoptari quos fore dignos praevidet Deus, aperte his verbis refellitur. Neque enim hoc modo gratuitum esset donum. Hoc doctrinae caput tenere in primis operae pretium est. Nam quum unica salutis nostrae causa sit adoptio, et eam ex mero soloque Dei amore fluere testetur apostolus, nihil hic nostrae dignitati vel operum meritis fit reliquum. Cur enim sumus filii? quia scilicet nos coepit gratis amare Deus: quum odio potius digni simus quam amore. Quum autem spiritus adoptionis nostrae pignus sit: hinc sequitur, si quid est in nobis boni, Dei gratiae adeo opponi non debere, ut potius ei referendum sit acceptum. Nomen, de quo loquitur, inanis esse titulus non potest. Nam Deus est qui nos ore suo filios pronuntiat: quemadmodum Abrahæ nomen imposuit ex re ipsa.

Propterea mundus. Haec tentatio graviter fidem oppugnat, adeo non reputari nos in filiis Dei, vel ullam tantae praestantiae notam in nobis conspici, ut potius nos totus fere mundus ludibrio habeat. Ergo ex praesenti statu vix colligi potest, Deum esse nobis patrem: sicuti diabolus omnia machinatur, ut hoc beneficium obscuret. Huic scandalo medetur quum dicit, nos hodie quales sumus nondum agnoscit, quia mundus Deum non cognoscit: itaque non esse mirum, si eius filios contemnat. Cuius rei illustre speculum exstitit in Isaac et Iacob. Nam quum uterque a Deo electus esset, illum Ismael risu et sannis, hunc Esau minis et gladio persecutus. Ergo utecumque videamur oppressi in mundo, stat nibilominus salus nostra recta et incolumis.

2. *Nunc filii Dei sumus.* Nunc ad proprium cuiusque sensum descendit. Nam quamvis impii nos ad spem abiiciendam non sollicitent, praesens tamen nostra conditio a gloria filiorum Dei multum abest. Nam quantum ad corpus spectat, pulvis et umbra sumus: mors semper ante oculos versatur: interea mille aerumnis sumus obnoxii: anima vero innumeris malis subiecta: ita in nobis infernum semper repericmus. Quo magis necesse est sensus omnes nostros abstrahi a praesenti rerum adspectu, ne miseriae, quibus undique circumdati sumus et prope obruti, eius felicitatis, quae adhuc latet, fiduciam nobis excutiant. Hoc enim apostoli consilium est, perperam nos esse facturos, si ex praesenti statu aestimemus quid nobis Deus contulerit: sed indubia fide tenendum esse quod nondum appetit.

Scimus autem quod si apparuerit. Haec conditio resoluta debet in adverbium temporis Ubi, vel Quum. Porro verbum hoc, apparuerit, diverso sensu quam prius accipitur. Dicebat nuper apostolus, nondum apparuisse quod simus futuri, quod absconditus sit adoptionis nostrae fructus: quia in coelo est nostra felicitas, non autem procul inde in terra peregrinamur: quia haec caduca vita, et centum assidue mortibus subiecta, longe dissimilis est aeternae gloriae, quae Dei filios decet: quia carnis ergastulo servilem in modum inclusi, longe a libero coeli terraeque dominio distamus. Nunc vero ad Christum refert particulam istam, quum apparuerit. Idem enim docet quod Paulus ad Colossenses cap. 3, 3, ubi dicit, Vita vestra cum Christo abscondita est: ubi vero Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparetis in gloria. Neque enim aliter stare fides nostra potest, quam dum in Christi adventum respicit. Nam haec causa est cur Deus gloriae nostrae manifestationem differat, quia nondum manifestatus sit Christus cum potentia regni sui. Haec inquam una est sustinendac fidei nostrae ratio, ut patienter vitam nobis promissam exspectemus. Simul ac paululum a Christo quispiam deflexerit, necesse

erit eum deficere. Sciendi verbo, fidei certitudinem designat, ut eam discernat ab opinione. Nec simplex aut universalis scientia hic notatur: sed quam sibi privatim quisque aptare debet, ut certo statuat se Christo aliquando fore similem. Ergo utecumque pendeat gloriae nostrae exhibito usque in Christi adventum, eius tamen cogitio optime fundata est.

Similes. Non intelligit pares fore. Capitis enim et membrorum discriminem esse aliquod oportet: sed similes ei erimus, quia corpus nostrum humile conforme reddet corpori suo gloriose: ut Paulus quoque docet, ad Philippenses capite 3, 21. Nam breviter ostendere apostolus voluit, hunc ultimum esse adoptionis nostrae finem, ut quod ordine in Christi praecessit, tandem in nobis compleatur. Videtur tamen infirma esse quae subiicitur ratio, nam si Christi adspectus nos Christo similes faciet, communis nobiscum erit impiis gloria, qui eum similiter visuri sunt. Respondeo, hunc esse familiarem adspectum, quem impii ferre nequeunt quin expavescant: imo praeterquam quod fugient Dei conspectum et horrebunt, eius gloria illis oculos perstringet, ita ut confusi stupeant. Videmus enim ut Adam sibi male conscientis Dei praesentiam refromidet. Et illud generaliter Deus de hominibus pronuntiat apud Mosem (Exod. 33, 20), Nemo me videbit, et vivet. Quia fieri aliter non potest quin Dei maiestas tanquam ignis consumens, non secus ac stipulam nos consumat: quao scilicet est carnis nostrae imbecillitas. Quatenus autem renovatur in nobis Dei imago, oculos habemus ad Dei adspectum comparatos. Et nunc quidem Deus imaginem suam instaurare in nobis incipit: sed quantal ex parte? Ergo, nisi omni carnis nostrae corruptione exuti Deum facie ad faciem adspercere non poterimus. Quod etiam exprimitur particula ista, sicuti nobis est. Neque enim omnem Dei adspectum nunc adiinit: sed quemadmodum dicit Paulus (1. Cor. 13, 12), Nunc tantum per speculum cernimus in aenigmate. Hunc autem vivendi modum ab oculari intuitu alibi discernit. In summa, Deus nunc se nobis conspiciendum offert, non qualis est, sed qualem modulus noster eum capit. Ita impletur illud quod habetur apud Mosem, nos eum velut a tergo duntaxat videre: quia in eius facie nimius est fulgor (Exod. 33, 23). Notandum praeterea est rationem hanc, quam adducit apostolus, ab effectu sumptam esse, non a causa. Neque enim docet, similes ideo nos fore, quia fruemur adspectu: sed inde probat nos divinae gloriae fore participes, quia nisi spiritualis, et coelesti beataque immortalitate praedita esset natura, ad Deum nunquam tam prope accederet. Nec tamen tanta gloriae erit perfectio in nobis, ut totum Deum adspectus noster comprehendat. Longa enim tunc quoque erit inter-

nos et ipsum proportionis distantia. Sed quum dicit apostolus nos cum, qualis est, visuros, novum et ineffabilem videndi modum designat, cuius nunc sumus expertes. Quandiu enim per fidem ambulamus, Paulus nos ab eo peregrinari docet (2. Cor. 5, 6). Et quoties se visendum patribus praebuit, non in sua essentia, sed sub symbolis semper visus est. Ergo tunc demum in se videbitur quae nunc latet Dei maiestas, ubi ablatum fuerit mortalis huius et corruptibilis naturae velum. Ab aliis argutis disputationibus supersodeo. Videmus enim quantopere se in illis Augustinus torqueat: nec tamen se expedit, cum in epistolis ad Paulinam et Fortunatianum, tum libro de Civitate Dei, 22, et aliis locis. Quod tamen illic dicit, observatu dignum est, plus valere in hac inquisitione, vivendi quam loquendi modum: et cavendum esse, ne dum altercando quaerimus quomodo possit Deus videri, pacem et sanctificationem perdamus, sine qua nemo eum videbit.

3. *Omnis qui habet hanc spem.* Nunc concludit, non ideo debere sanctitatis studium frigore in nobis, quia nondum appareat nostra felicitas: spem enim sufficere. Porro scimus sperari quae sunt absecundita. Sensus ergo est, utcunque Christum nondum habeamus oculis praesentem, si tamen in ipso speramus, fieri non posse quin spes ista nos ad sectandam puritatem excitet ac stimulet: quia ad Christum recta nos dirigit, quem scimus absolutum esse puritatis exemplar.

4. *Quicunque facit peccatum, etiam iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas.* 5. *Porro nostis quod ille apparuit ut peccata nostra tolleret: et peccatum in eo non est.* 6. *Quisquis in eo manet, non peccat: quisquis peccat, non vidit eum.*

4. *Quicunque facit.* Iam supra ostendit apostolus quam ingratius simus Deo, si parvifacimus adoptionis honorem, quo nos ultra praevenit: ac non saltem mutuum illi amorem rependimus. Simul admonitionem illam interposuit, non debere affectum nostrum diminui, quia differtur promissa beatitudo. Nunc autem quia homines in malis plus aequo sibi blandiri solent, hanc perversam indulgentiam corrigit pronuntians iniquos esse, ac legis transgressores quicunque peccant. Credibile enim est tunc fuisse qui blanditiis istis extenuarent sua vitia, non mirum si peccemus, quia sumus homines: sed magnum est peccati et iniquitatis discrimen. Frivolam hanc excusationem illis exxit apostolus, quum peccatum definit esse divinae legis transgressionem. Nam illi propositum est peccati odium et horrorem inducere. Nomen ipsum peccati leve quibusdam videtur: iniquitas autem vel legis transgressio non tam facile ignosci potest. Caeterum non facit apos-

tolus aequalia peccata, quum iniquitatis damnat omnes qui peccant: sed simpliciter docere vult, ex contemptu Dei nasci peccatum, et peccando violari legis iustitiam. Quare nihil commune habet cum deliro Stoicorum paradoxo haec Iohannis doctrina. Deinde hic peccare non significat in aliquo opere delinquere: nec peccati nomen pro singulis delictis capit: sed peccatum vocat, ubi homines toto cordis affectu ad malum ruunt. Nec alios peccare intelligit, nisi qui addicti sunt peccato. Neque enim fideles, qui adhuc carnis concupiscentiis laborant, inqui censentur, quamvis a peccato non sint puri nec immunes: sed quia non regnat in ipsis peccatum, Iohannes dicit eos non peccare: ut mox fusius exponam. Summa huius sententiae est, perversam eorum vitam qui peccandi licentiam sibi indulgent, exosam esse Deo, nec posse ab eo ferri, quum ipsius legi sit adversa. Hinc non sequitur, neque potest colligi, fideles iniquos esse, quia subesse Deo cupiunt, sibique in suis vitiis displicant, idque in singulis delictis. Deinde vitam, quantum in se est, componunt ad legis obsequium. Verum ubi deliberata est peccandi voluntas vel continuus tenor, illuc est legis transgressio.

5. *Porro nostis quod ille apparuit.* Alio argumento demonstrat quantum inter se dissideant peccatum et fides. Christi enim officium est peccata tollere, et in hunc finem a patre missus est: fide autem percipimus Christi virtutem: ergo qui in Christum credit, necesse est a peccatis purgari. Caeterum quum alibi dicatur Christus peccata tollere, quoniam mortis suaे sacrificio ea expiavit, ne coram Deo nobis imputentur: hoc loco intelligit Iohannes vere et ipso actu (ut loquuntur) Christum tollere peccata, quia per ipsum crucifigitur vetus homo noster, et per poenitentiam, carnem nostram cum pravis concupiscentiis spiritus eius mortificat. Neque enim patitur contextus, de remissione exponi. Sic enim (ut dixi) ratiocinatur, eos qui peccare non desinunt, irritum facere Christi beneficium: quum ideo venerit, ut aboleret regnum peccati. Id autem ad spiritus sanctificationem refertur.

Peccatum in eo non est. Non de Christi persona hic agit, sed de toto corpore. Quocunque vim suam diffundit Christus, negat amplius locum esse peccato. Proinde statim colligit, non peccare qui in Christo manent. Nam si per fidem in nobis habitat, opus illud suum peragit, ut nos a peccatis purget. Unde apparet quid sit peccare. Neque enim suo nos spiritu perfecte uno die vel momento Christus renovat, sed renovationem ex parte coepit tam continuat tota vita. Fieri ergo non potest quin peccato obnoxii sint fideles, quamdiu in mundo agunt. Sed quatenus viget in ipsis Christi regnum, peccatum abolitum est. Interea censentur a praecipua parte: hoc est, iusti esse et iuste vivere di-

cuntur, quia sincero cordis affectu ad iustitiam adspirant. Dicuntur non peccare: quia et si carnis infirmitate labuntur, peccato tamen non consentiunt: quin potius gemendo luctantur, ut vere testari cum Paulo (Rom. 7, 19) queant se malum facere quod volunt. Manere in Christo fideles dicit, quia fide in eum inserimur, et unum efficimur cum ipso.

6. *Quisquis peccat, non vidit cum.* Oppositum membrum suo more addidit, ut sciamus falso praetexti Christi fidem et notitiam absque vitae novitatem. Nusquam enim otiosus est Christus, ubi regnat: sed spiritus sui virtutem exscrit. Proprium autem eius esse dictum est, peccatum fugare, non secus atque sol fulgore suo tenebras dispellit. Atque iterum hoc loco docemur quam viva res sit et efficax Christi cognitio: nempe quae nos in eius imaginem transformat. Ita per affectum et notitiam, nihil aliud intelligitur quam fides.

7. *Filioli, nemo vos decipiat: qui facit iustitiam iustus est, quemadmodum ille iustus est.* 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est: quia ab initio diabolus peccat.* In hoc manifestatus est filius Dei, ut solvat opera diaboli. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen eius in ipso manet.* Et non potest peccare, quia ex Deo genitus est. 10. *In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli.*

7. *Qui facit iustitiam.* Docet hic apostolus testandam esse bonis operibus vitae novitatem: nec constare illam, de qua loquuntur est, Christi cum suis membris similitudinem, nisi fructus snos proferat: ac si dicerot, quum nos esse Christo conformes deceat, huius rei veritas et testimonium in vita nostra exstet. Eadem est haec exhortatio cum illa Pauli, ad Galat. cap. 5, 25, si spiritu vivitis, spiritu et ambulate. Multi enim libenter persuaderent se babere sepultam in cordibus iustitiam, dum pedes, et manus, et linguam, et oculos palam occupat iniquitas.

8. *Qui facit peccatum.* Hoc quoque facere, ad externa opera refertur, ut sit sensus, nullam esse Dei et Christi vitam, ubi perverse et scelerate se homines gerunt: sed tales, diaboli potius esse mancipia. Qna loquutione melius exprimit quantopere a Christo dissideant. Quemadmodum enim Christum prius tanquam omnis iustitiae fontem posuit: ita nunc diabolum ex opposito statuit caput peccati. Negavit quemquam esse Christi, nisi qui iustus sit, talemque operibus se praestet: nunc alias omnes in diaboli societatem ablegat, eiusque imperio subiicit: ut sciamus nihil esse medium quin tyrannidem Satan occupet, ubi primatum non obtinet Christi iustitia. Neque tamen duo adversa principia, cum Manichaeis, fingenda sunt. Diabolum enim scimus non natura nec creationis origine, sed

defectionis suao vitio malum esse. Scimus praeterea non esse Deo aequalem, ut pari iure cum eo contendat: sed invitum constringi, ne quid nisi creatoris sui natus et arbitrio possit. Postremo Iohannes quum alias ex Deo genitos, et alias ex diabolo esse dicit, nullam fingit traduceum, qualem Manichaei somuiabant: sed priores Christi spiritu gubernari significat: alteros autem a Satana abripi: sicut hoc illi potestatis adversus incredulos Deus concedit.

Quia ab initio diabolus peccat. Sicut prius non de sola Christi persona loquobatur, quum dicebat esse iustum, sed illum statuebat fontem et causam iustitiae: ita nunc quum diabolum peccare dicit, comprehendit totum eius corpus, hoc est roprobos omnes. Ac si diceret, hoc diabolo proprium esse, ut ad peccandum impellat. Unde sequitur, eius esse membra, et ab eo regi quicunque peccato addicti sunt. Porro initium hoc cuius apostolus meminit, non est aeternitatis: quemadmodum ubi docet sermonem initio fuisse. Est enim longe diversa ratio in Deo et creaturis. Initium in Deo tempus non habet. Quare quum semper apud Deum sermo fuerit, non repieres aliquod temporis punctum, quo esse coepit: sed necesse est ad ipsam aeternitatem venias. Hic autem nihil aliud vult Iohannes, quam diabolum statim a creatione mundi fuisse apostatam, et inde nullum spargendi in homines sui veneni finem fecisse.

In hoc manifestatus est filius Dei. Idem aliis verbis repetit quod prius dixerat, venisse Christum ut tolleret peccata. Hinc duo colligenda sunt: non posse censeri in Christi membris, nec ad eius corpus ulla modo pertinere, in quibus regnat peccatum. Nam ubique vim suam exserit Christus, diabolum una cum peccato profligat. Quod etiam mox subiicit Iohannes. Proxima enim sententia, ubi dicit, non peccare qui ex Deo geniti sunt, est conclusio superiorum. Argumentum ductum est a repugnantibus, ut iam dixi: quia Christi regnum, quod iustitiam necessario secum affert, stare cum peccato nequeat. Caeterum iam supra attigi quid hic significet non peccare. Neque enim immunes prorsus ab omni vitio facit Dei filios: sed negat hoc titulo vere gloriari, nisi qui ex animo vitam suam in Dei obsequium compouere student. Pelagiani quidem et Cathari hoc testimonio olim abusi sunt: quum fideles angelica puritate fingerent in hoc mundo esse praeditos. Et hoc saeculo quidam ex Anabaptistis delirium illud renovarunt. Sed quicunque eiusmodi perfectionem somniant, satis produnt quam stupidam habeant conscientiam. Atque haec apostoli verba adeo nihil suffragantur eorum errori, ut ad eius refutationem sufficient. Dicit non peccare qui ex Deo sunt geniti. Nunc videndum est an Deus momento uno nos regeneret. Atqui constat sic inchoari in nobis regenerationem, ut ad mortem

usque veteris hominis reliquiae maneant. Quod si nondum plena est ac solida regenerationis, non nisi pro modo suo a peccati servitute nos eximit. Hinc appareat fieri non posse quin vitiis laboront filii Dei, et quotidio peccent: quatenus scilicet residuum adhuc aliquid habent veteris naturae: et manet tamen illud fixum quod apostolus contendit, hunc esse regenerationis finem, ut peccatum aboleatur: ideoque iuste et pie vivere quicunque ex Deo geniti sint, quia spiritus Dei peccandi libidinem corrigat. Idque intelligit apostolus per sermonem Dei. Sic enim format Dei spiritus piorum corda ad rectos affectus, ut non praevaleat caro cum suis concupiscentiis: sed domita quasi sub iugo cohabeatur. In summa, superiores partes apostolus in electis spiritui tribuit, qui virtuto sua peccatum reprimat, neque sinat vigere.

9. *Et non potest peccare.* Hic iam altius descendit apostolus. Nam clare pronuntiat, officaciter piorum corda gubernari a Dei spiritu, ut inflexibili affectu sequantur eius ductum. Hoc vero a papistica doctrina longe remotum est. Fatentur quidem Sorbonici, voluntatem hominis, nisi adiutam a Dei spiritu, non posse quod rectum est appetere: sed talem spiritus motum esse fingunt, qui liberam uebis relinquat boni et mali optionem. Hinc merita eliciunt: quia spiritus gratiae sponte obsequimur, quam in potestate nostra erat reiicere. Denique hanc solam spiritus gratiam esse definiunt, ut possimus bene velle, si libuerit. Iohannes hic longe aliter. Neque cuim tantum docet posse nos non peccare: sed tam officacem esse spiritus motum, ut necessario nos in constanti iustitiae obedientia retineat. Neque hic solus est scripturae locus, qui doceat sic formari voluntatem, ut non nisi recta esse possit. Testatur enim Deus se eorū novum dare filiis suis, et facturum promittit ut in praecēptis suis ambulent. Adde quod Iohannes non solum docet quam efficaciter agat semel Deus in homine: sed clare affirmat, spiritum suam gratiam in nobis ad extrellum usque persequi, ut ad vitae uovitatem inflexibilis perseverantia accedat. Quare ne imaginemur cum sophistis medium aliquem motum, quem homini liberum sit vel sequi, vel respuere: sed sciamus corda nostra regi a Dei spiritu, ut iustitiae constanter adhaereant. Porro absurdum quod obiiciunt sophistae, facile refellitur. Dieunt hoc modo voluntatem tolli ab homine: sed falso. Voluntas enim a natura est: sed quia naturae corrupto pravos tantum affectus generat, ideo necesse est ut eam spiritus Dei reformat, quo bona esse incipiat. Deinde quia statim exciderent homines a bono, necesse est ut idem spiritus, quod coepit, ad finem usque perducat. De merito facilis est responsio. Neque enim pro absurdo habendum est, si nihil homines mereantur: et tamen bona

opera censeri non desinunt, quae manant ex gratia spiritus, quia voluntaria sunt. Habent etiam mercedem, quia gratuito accepta hominibus feruntur, perinde ac si ipsorum essent. Sed hie exoritur quaestio, an simul ac regenitus est quispiam Dei spiritu, nunquam possit in eo extingui timor Dei et pietas. Hoc enim videntur sonare apostoli verba. Qui aliter sentiunt, citant Davidis exemplum, qui ad tempus sic oppressus est beluino stupore, ut nulla scintilla in eo appareat. Quin etiam psalmo 51, eum sibi restitui petit. Unde sequitur, fuisse privatum. Ego tamen non dubito quin semen illud, quo electos suos regenerat Deus, ut est incorruptibile, ita perpetuam vim retineat. Fieri quidem posse concedo ut interdum suffocetur, quemadmodum in Davide: sed tamen quo tempore videbatur extincta esse omnis in eo pietas, carbo vivus sub cineribus latebat. Conatur quidem Satan evellere quidquid Dei est in electis: sed ubi plurimum illi permittitur, manet semper occulta radix, quae deinde pullulat. Caeterum Iohannes non de uno actu (ut vocant) hic loquitur: sed de continuo vitae tenore. Fanatici quidam aeternum nescio quod semen in electis somniant, quod semper afferant ex matris utero: sed hoc plusquam importune torquent Iohannis verba. Neque enim de aeterna electione disputat, sed initium a regeneratione facit. Sunt etiam alii his furiosi, qui hoc praetextu fidelibus quidvis licere volunt, quia Iohannes posse eos peccare negat. Volunt ergo ut sine discriminē sequamur quocunque nos affectus tulerit: ita scortandi, furandi et occidendi licentiam faciunt: quia peccatum esse nequeat ubi regnat Dei spiritus. Sed longe alia est mens apostoli. Peccaro enim ideo negat fideles quia eorum cordibus legem suam Deus insculpsit, quemadmodum habetur apud prophetam (Ierem. 31, 33).

10. *In hoc manifesti sunt.* Paucis verbis concludit, frustra sibi locum et nomen arrogare inter Dei filios qui non se tales probant pia et sancta vita: quandoquidem hac nota differant a filiis diaconi. Porro non ita manifestos intelligit, ut palam dignosci a toto mundo queant: sed hoc tantum vult, fructum et effectum divinae adoptionis semper extare in vita.

Quisquis non facit iustitiam, non est ex Deo: et qui non diligit fratrem suum. 11. *Quia haec est prædicatio quam audistis ab initio, ut mutuo nos diligamus:* 12. *Non sicut Cain qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et qua de causa cum occidit? Quia opera eius mala erant, fratris autem iusta.* 13. *Ne miremini, fratres mei, si vos mundus odit.*

Qui facit iustitiam. Facere iustitiam, et facere
Calvini opera. Vol. LV.

peccatum, sunt hic inter se opposita. Itaque facere iustitiam nihil aliud est quam ex animo Deum timere, et ambulare in eius præceptis, quautum fert humana fragilitas. Quamquam enim iustitia, si exiecta aestimetur, non alia est quam plena legis observatio, a qua multum semper absunt fideles: quia tamen delicta et lapsus illis Dens non imputat, iustitia vocatur dimidium hoc obsequium quod Dōs praestant. Pronuntiat autem Iohannes, non esso ex Deo quicunque non iuste vivunt: quia quoscunque vocat Deus, eos spiritu suo regenerat. Ergo vitae novitas perpetuum est divinae adoptionis testimonium.

Et qui non diligit fratrem. Generalem doctrinam ad suum institutum accommodat. Hactenus enim ad fraternalm caritatem hortatus est fideles: nunc codem refert summam verae iustitiae. Quare hoc membrum vice expositionis additum est. Caeterum iam prius dixi qua ratione comprehendatur sub fraterna caritate tota iustitia. Piores quidem partes obtinet amor Dei: sed quia ex eo pendet fraterna inter homines caritas, saepe per synecdochē, ille sub hac includitur, et vicissim haec sub illo. Ergo ut quisque beneficiac et humanitati deditus est, ita iustum esse et censeri pronuntiat: quia caritas est legis complementum. Confirmat hanc sententiam quum dicit, ita edocetos fuisse ab initio fideles. Nam his verbis significat non debere illis novam videri definitionem quam ponit.

12. *Non sicut Cain.* Altera confirmatio ex contrario sumpta: quia in reprobis et filiis diaboli regnet odium, et quasi principatum in eorum vita teneat: cuius rei speculum proponit Cain. Interea hoc ad eorum consolationem valet: quemadmodum tandem concludit, ne miremini si vos odiat mundus. Haec exegesis diligenter notanda est: semper enim in vitae ratione hallucinantur homines: quia sanctitatem constituant in fictitiis operibus: ac dum se macerant in nugis, putant se Deo bis gratos esse. Sicuti monachi suum vivendi genus perfectionis statum superbe nominant. Nec alias in papatu censemur cultus Dei quam superstitionum colluvies. Atqui apostolus hanc demum iustitiam testatur probari Deo, si nos mutuo diligimus: rursus diabolum regnare, ubi odium, simultas, invidia, et inimicitiae grassantur. Simul tamen memoria tenendum est quod nuper attigi, fraternalm caritatem, quia ex Dei amore nascitur tanquam effectus ex causa, ideo non disiungi: quin potius hoc nomine laudari ab Iohanne, quod sit nostrae in Deum pictatis approbatio. Quum dicit, Cain ad fratris caudem hac causa fuisse impulsum, quoniam opera eius mala erant: significat quod iam monui, ubi regnat impietas, odium omnes vitae partes occupare. Iusta Abelis opera commemorat, quo patienter ferre discamus si mundus nos gratis, nullaque iniuria provocatus, odio habet.

14. *Nos scimus quod transierimus a morte in vitam, quia diligimus fratres.* Qui non diligit fratrem, manet in morte. 15. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est: et nostis quod omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem.* 16. *In hoc cognoscimus caritatem, quod ille pro nobis animam suam posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere.* 17. *Si quis habeat victimum mundi, et videat fratrem suum egentem, et claudat viscera sua ab eo, quonodo caritas Dei in ipso manet?* 18. *Filioli mei, ne diligamus sermone, neque lingua, sed opere et veritate.*

14. *Nos scimus.* Insigni elogio caritatem nobis commendat, quia testimonium sit nostri a morte in vitam transitus. Unde sequitur, si fratres diligamus, nos esse felices: miseros autem si odimus. Nemo est qui non a morte liberari et exire cupiat. Ergo plusquam stupidos esse oportet, qui odium fovendo, sponte morti suae indulgent. Porro quum dieit apostolus, ex dilectione cognosci quod transierimus in vitam: non significat hominem suum esse liberatorem, quasi fratres diligendo, a morte se eripiatur, sibique vitam comparet. Neque enim hic de salutis causa disputat: sed quum caritas praecepius sit fructus spiritus, certum quoque est regenerationis symbolum. Proinde a signo ratiocinatur apostolus, non autem a causa. Nam quia nemo sincere fratres diligit, nisi qui spiritu Dei regenitus est: hinc rite colligitur, spiritum Dei, qui vita est, in omnibus habitare qui fratres diligunt. Sed praepostere inde quispiam inferret, caritate vitam acquiri, quum sit earitas ordine posterior. Plus coloris haberet hoc argumentum, si vitae nostrae certiores facit nos caritas, salutis igitur fiduciam in opera recumbere. Sed eius quoque non difficilis est solutio. Etsi enim omnibus Dei gratiis, tamen quam adminiculis, confirmatur fides, non tamen suum in una Dei misericordia fundamentum habere desinit. Exempli gratia, quum luce fruimur, certi sumus solem lucere: si locum, in quo sumus, sol irriat, habemus clariorem quemdam adspectum: sed tamen ut non pertingant ad nos visibles radii, hoc ipso contenti sumus, quod sol splendoris sui usum ad nos diffundit. Ita postquam in Christo fundata est fides, possunt quaedam accidere quae illam iuvent: in sela tamen Christi gratia interim acquiescit.

15. *Homicida est.* Quo nos melius ad caritatem stimulet, ostendit quam detestabilis coram Deo res sit odium. Nemo est qui non homicidium horreat: imo nomen ipsum execratur omnes. Apostolus autem homicidas esse pronuntiat quicunque fratrem odio habent. Nihil dici atrocius potuit: nec tamen hoc est hyperbolicum. Nam quem edimus, vellemus perisse. Nec refert si quis manus suas a noxa

abstineat: ipsa enim nocendi cupiditas, nou aliter ac econatus, damnatur eoram Deo. Imo etiam ubi nocere non appetimus, si tamen aliunde cupimus malum fratri nostro accidere, tune quoque homicidae sumus. Ergo apostolus rem, ut est, simpliciter defuit, quum homicidi nomen tribuit odio. Unde convineit homicidii stultitia, quod quum nomen abominetur, crimen ipsum prope nihil faciunt. Unde id? Quia scilicet externa rerum facies sensus omnes nostros occupat, eoram Deo interior affectus in rationem venit. Quare ne quis amplius tam grave malum extenuet, discamus nostra iudicia ad Dei tribunal revocare.

16. *In hoc cognovimus.* Nunc quaenam sit vera caritas ostendit. Nequo enim eam laudare satis esset, nisi vis eius teneatur. Perfectam autem caritatis regulam proponit in Christi exemplo: quia propriae vitac non parcendo, testatum fecit quantopere nos diligenter. Ad hunc ergo scopum tendere inbet. Summa est, in eo probari nostram caritatem, si amorem nostri in fratres transferimus, ita ut sui quisque quodammodo oblitus, aliis consulat. Certum quidem est, nos Christo esse longe impares: sed apostolus imitationem nobis commendat, quia etsi ipsum non assequimur, procul tamen eius vestigia sequi conuenit. Sane quum apostoli consilium sit, inanem hypocritis iaetantiam excutere, qui fidem Christi, sine fraterno amore, se habere gloriantur: nisi in animis nostris vigeat hoc studium, nihil esse nobis cum Christo commune, his verbis significat. Neque tamen (ut dixi) Christi dilectionem nobis ita proponit, ut aequalem a nobis exigat. Quid enim hoc foret, quam ad unum omnes ad desperationem cogere? Sed ita vult compositos esse nostros affectus, ut vitam simul et mortem eupiamus primum Deo, tum etiam proximis impendere. Est alterum inter nos et Christum discrimen, quod non eadem mortis nostrae virtus esse potest. Neque enim sanguine nostro placatur ira Dei, nec morte vita acquiritur, nec debita aliis poena persolvitur. Sed apostolus in haec comparatione, qualis fuerit vel finis, vel effectus mortis Christi, non spectavit: sed tantum vitam nostram formari voluit ad eius exemplum.

17. *Si quis habeat victimum.* Nunc concessionatur de communibus caritatis officiis, quae ex summo illo fonte manant: ubi scilicet nos ad mortem usque proximis impendere parati sumus. Quamquam videtur a maiori ad minus argumentari. Nam qui facultatibus suis, salva et incolumi vita, fratris inopiam levare abnunt, multo minus vitam suam exponeret. Ergo caritatem in nobis esse negat, si proximos ope nostra fraudemus. Caeterum externam beneficentiam sic commendat, ut simul optime exprimat quaenam vera sit benefaciendi ratio, et qualis eam regere debeat affectus. Sit igitur haec

prima propositio, neminem vero amare fratres quin hoc re ipsa testetur, quoties usus postulat. Altera, quantum quisque facultatis habet, eatenus obstringi ad fratres iuvandos: quia Dominus hoc modo nobis suppeditat exercendae caritatis materiam. Tertia, spectandam esse cuiusque necessitatem: quia ut quisque cibo et potu indiget, aut aliis rebus quarum nobis suppetit copia, ita officium nostrum implorat. Quarta, nullam beneficentiam, nisi τὴν συμπαθείαν coniuncta, Deo placere. Multi in speciem suut liberales, qui tamen fratrum miseriis minime tanguntur. Verum apostolus praecepit aperienda esse viscera: quod fit dum induimus fere eundem sensum, ut aliorum malis non secus condolescamus ac nostris.

Caritas Dei. Hic de fratribus diligendis agitur. Quorsum ergo amorem Dei nominat? Nempe tendendum est illud principium, fieri non posse quin Dei caritas fratrum amorem in nobis generet. Atque hoc modo nostri erga se amoris experimentum capit Deus, dum sui respectu homines diligunt: quemadmodum Psalm. 16, 2, habetur: *Benevolentia tua ad te non pertinet: sed erga sanctos qui in terra sunt, voluntas tua et studium meum.*

18. *Ne diligamus sermone.* Concessio est in hoc priore membro. Neque enim lingua tantum diligere possumus: sed quia falso hoc multi iactant, eorum simulationi, rei nomen concedit apostolus, ut saepe fieri solet. *Quamquam altero membro eorum vanitatem coarguit, quam veritatem esse negat, nisi in opere.* Sic enim resolvi debent verba, non profiteamur lingua nos amare, sed opere id probemus: quia haec demum vera est amoris ratio.

19. *Et in hoc cognoscimus quod ex veritate sumus et coram ipso persuadebimus corda nostra.* 20. *Quod si accuset nos cor nostrum, certe maior est Deus corde nostro, et novit omnia.* 21. *Dilecti, si cor nostrum nos non accuset, fiduciam habemus erga Deum:* 22. *et si quid petierimus, accipimus ab eo: quia praecincta eius servamus, et quae coram eo placent facimus.*

19. *Et in hoc cognoscimus.* Nomen veritatis diverso nunc sensu accipit: sed elegans est prosonomasia. Si vere proximos diligimus, hinc nos habere testimonium quod simus ex Deo geniti, qui veritas est: vel quod Dei veritas locum in nobis habeat. Semper autem meminerimus, non habere nos ex caritate notitiam quam dicit apostolus, quasi inde petenda sit salutis certitudo. Et certe non aliunde cognoscimus nos esse Dei filios, nisi quia gratuitam suam adoptionem cordibus nostris per spiritum suum obsignat: et nos certum eius pignus in Christo oblatum fide amplectimur. Est igitur caritas accessio vel adminiculum inferius ad

fidei culturam: non fundatum quo nititur. Cur ergo dicit apostolus, *Persuadebimus coram Deo corda nostra?* Nempe his verbis admouet, non consistere fidem sine bona conscientia. Non quod inde oriatur persuasio, aut pendeat, sed quia tunc demum vere, non fallaciter, de nostra cum Deo coniunctione persuasi sumus, dum spiritus sancti efficacia in caritato nostra se profert. Sumper enim quid agat apostolus, expendere convenit. Quia enim fietam et fallacem fidei professionem damnat, non aliter coram Deo solidam persuasione nobis constare dicit, quam si eius spiritus fructum caritatis in nobis proferat. Tametsi autem disiungi a fide non potest bona conscientia, nemo tamen rite inde colliget respiciendum ad opera nostra esse, ut nobis firma sit persuasio.

20. *Quod si accuset.* Probat ex contrario, frustra nomen et speciem habere Christianorum, quos bonae conscientiae testimonium deficit. Nam si quis male sibi conscientius est, et proprio animi sensu damnatur, multo minus effugiet Dei iudicium: sequitur ergo, malae conscientiae inquietudine subverti fidem. *Deum corde nostro maiorem* vecat, respectu iudicii: quia scilicet multo acutius videat quam nos, et acerius inquirat, et severius iudicet. Qua ratione dicit Paulus, etiamsi nullius rei sibi conscientius sit, non tamen propterea iustificari (1. Cor. 4, 4). Agnoscit enim, quantumvis sollicite ad officium intentus sit, in multis tamen se errare, et sibi ignoroscere errata per incogitantiam, quae Deus animadvertisit. Hoc ergo vult apostolus, fieri non posse ut Dei iudicium effugiat, quem urget ac constringit sua ipsius conscientia. Eodem pertinet quod mox subiicit, *Deum omnia videre.* Quomodo enim laterent quae nos videre cogimur, qui praet illo sumus hebetes, adeoque caeci? Sic ergo resolute, Deus quum omnia videat, longe superior est corde nostro. Copulam enim vice causalis particulae accipi novum non est. Nunc sensus clarus est: nempe quum altius penetret Dei cognitio quam conscientiae nostrae sensus, neminem coram ipso posse consistere, nisi quem sustinet conscientiae integritas. Sed hic obiicitur quaestio: Certum est eo stuporis interdum reprobos demergi a Satana, ut mala suo amplius non sentiant, ac sine doloro et metu (quemadmodum dicit Paulus) secure ruant in suum interitum. Certum etiam est, hypocritas solebre sibi blandiri, ac superbe contemnere Dei iudicium: quia falsa iustitiae opinione ebrii, poecatis suis non tanguntur. Responsio facilis est, ideo falli hypocritas, quia lucem fugitant: ideo nihil sentiro reprobos, quia a Deo recedunt. Imo nulla est nisi in latebris malae conscientiae securitas. Sed apostolus hic de conscientiis loquitur quas Deus in luce extractas, ad tribunal suum cogit, et iudicii sui sensu exercet. *Quamquam hoc quoque gene-*

raliter verum est, nunquam nobis tranquillam constare pacem, nisi quam spiritus Dei purgatis cordibus praestat. Nam quos stupore diximus, illi tamen caecas punetiones subinde sentinnt, et in suo veterno torquentur.

21. *Si cor nostrum nos non accuset.* Iam exposui, nequo ad hypocrisin, neque ad crassum Dei contemptum hoc pertinere. Nam uteunque reprobis viae suae placeant, Dominus tamen ponderat corda, inquit Solomon (Prov. 16, 2). Haec Dei trutina suo examine efficit ne quis gloriari queat se mundum habere cor. Hunc ergo sensum habent apostoli verba, tune nos demum tranquilla fiducia veniro in conspectum Dei, quem nobis bene consci, recti et probi cordis testimonium nobiscum afferimus. Est quidem verum illud Pauli, fide, quac Christi gratia nititur, nobis additum ad Deum cum fiducia patiefieri (Ephes. 3, 12). Item, Fide nobis pacem conferri, ut tranquillae coram Deo stent nostrae conscientiae. Sed inter istas sententias nihil est dissidii. Nam Paulus causam fiduciao ostendit: Iohannes vero tantum accidens inseparabile commemorat, quod necessario cohaeret, quamvis causa non sit. Hic tamen eritur maior difficultas, quod nihil videtur relinquere fiduciae in toto mundo, quis enim reporietur, quem nulla in re eor suum arguat? Respondeo, pios ita coargui ut se pariter absolvant: nam suis quidem eos peccatis intus serio pungi necesse est, ut terror ad humilitatem, sive dispergientiam erudit: sed mox ad Cbristi sacrificium confugiunt, ubi certam pacem habent. Quamquam apostolus alio sensu eos non accusari dicit: quia uteunque se in multis deficere agnoscent, sublevantur, tamen hoc conscientiae testimonio, quod vere et ex animo Deum timeant, seque subiicere cupiant eius iustitiae. Quicunque hoc pio affectu sunt praediti, et interea sciunt sua studia, quantumvis a perfectione distent, Deo tamen placere: merito cor sedatum vel pacatum habere dicuntur, quia nulla est interior punetio quae placidam eorum hilaretatem turbet.

22. *Et si quid petierimus.* Quia res sunt inter se connexae, fiducia et Dei invocatio: quemadmodum prius malam conscientiam docuit repugnare fiduciae ita nunc non posse invocari Deum pronuntiat, nisi ab iis qui eum puro corde timent, et rite colunt. Hoc posterius ex priore sequitur. Est illud generale scripturae axioma, Nou exaudiri a Deo impios: quin potius sacrificia eorum et preces abominationi esse. Ergo ianua hic clauditur hypocritis, ne in Dei conspectum cum eius contemptu prorumpant. Interea non significat afferendam esse bonam conscientiam, quasi precibus nostris gratiam conciliet. Vae nobis si ad opera respicimus, quae nihil quam trepidationis materiam in se habent. Non aliter igitur quam Christo mediatore freti, ad Dei tribu-

nal adspirant fideles. Sed quia cum fido semper coniunctus est amor Dei, quo magis hypocrita perstringat apostolus, hoc singuli privilegio quo Deus suos filios dignatur, eos privat: ne scilicet putent aditum esse ad Deum suis precibus. Quum dicit, quia servamus eius praeepta, non intelligit fundatam esse in operibus nostris orandi fiduciam: sed in hoc tantum insistit, non posse a fido disiungi pietatem et sincerum Dei cultum. Nec absurdum videri debet quod particulam causalem usurpet, uteunque de causa non disputet: nam accidentis inseparabile, interdum causae loco ponit solet. Quemadmodum si quis dicat: Quia sol meridie supra nos lucet, plus tune esse caloris. Negue enim sequitur, ex luce oriri calorem.

23. *Et hoc est praeceptum eius, ut credamus nomini Filii eius Iesu Christi: et nos diligamus in vicem sicuti praeceptum dedit nobis.* 24. *Qui servat praecepta eius, in ipso manet, et ipse in eo: atque in hoc cognoscimus quod manet in nobis, ex spiritu quem nobis dedit.*

23. *Et hoc est praeceptum.* Rursus generalem sententiam ad suum propositum accommodat. Summa est, nobis tale esse cum Deo dissidium, ut ab eius accessu arrecamur, nisi fraterno inter nos amore simus coniuncti. Quamquam non solam bie caritatem, ut prius, commendat: sed fidei comitem et quasi pedissequam adiungit. Haec verba sophistae suis commentis depravant: quasi partim fide, partim operibus nobis comparetur orandi libertas. Quum Iohannes ad legitimam precandi rationem hoc requirat, ut servemus Dei mandata: et postea doceat fide et caritate hanc observationem constare: colligunt ilii, ex his duobus orandi fiduciam concipi debere. Ego autem iam aliquoties monui, hic minime tractari unde vel quibus modis sibi hoc comparent homines ut Deum invocare audeant. Hic enim de causa vel dignitate non agitur: tantum ostendit Iohannes, Deum colloquii sui honore et privilegio nonnisi filios suos, et quidem spiritu suo regenitos, dignari. Proinde hic est orationis contextus: Ubi non regnat timor Dei et reverentia, fieri non potest ut Deus nos exaudiat. Quod si nobis propositum est eius mandatis obedire, videndum est quid praecipiat. Atqui fidem a caritate non separat: sed utramque uno velut complexu a nobis exigit. Atque haec ratio est cur nomen mandati, singulari numero posuerit. Caeterum hic locus insignis est: quia tam perspicue, quam breviter definit in quo consistat tota sanctae vitae perfectio. Non est ergo quod difficultatem causemur, quando nos Deus minime per longas ambages circumagit: sed simpli- citer et uno verbo nobis exponit quid rectum sit, et quid sibi placeat. Adde quod nulla in hac bre-

vitate est obscuritas: quia nobis recte vivendi principium et finem clare demonstrat. Quod autem hic tantum fraternae caritatis fit mentio, praeterito Dei amore, ratio est (ut alibi diximus) quod fraterna caritas, sicuti ex solo amore Dei manat, ita certa sit et vera eius approbatio.

Nomini filii eius. Nomen ad praedicationem respicit: at quo haec relatio notanda est, quia pauci quid sit in Christum credere intelligunt. Ex hac autem loquutione colligere promptum est, haue esse demum rectam fidem quae Christum, qualis praedicatur in evangelio, amplectitur. Unde etiam conficitur, nullam esse absque doctrina fidem: quemadmodum et Paulus docet Rom. 10, 14. Simul et hoc notandum, quod fidem apostolus in Christi cognitione includit. Est enim viva patris imago, et in eo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae. Quare simulatque ab eo defleximus nihil possumus quam in errore vagari.

24. *Qui servat praecepta.* Confirmat quod iam prius dixit, ita patescere quam habemus cum Deo coniunctionem, si nos mutuo diligimus. Non quod inde incipiat coniunctio, sed quia otiosa esse nequeat et absque effectu, ubique esse coepit. Atque id probat addita ratione: quia non maneat Deus in nobis, nisi spiritus eius in nobis habitat. Atqui spiritus eius ubique sit, necesse est ut vim et efficaciam suam exserat. Unde colligere promptum est, non alios manere in Deo, ac illi unitos esse, nisi qui eius mandata servant. Quum ergo dicit, *Et in hoc cognoscimus: copula Et, quia pro causae redditione ponitur, tantum valet atque Nam aut Quia.* Caeterum expendi debet praeSENTIS causae circumstantia. Tametsi enim haec sententia verbis convenit cum illa Pauli (Rom. 8, 15), ubi spiritum dicit testari cordibus nostris nos esse Dei filios, et nos per eum clamare ad Deum, *Abba pater:* in sensu tamen est aliquid discriminis. Nam Paulus de gratuitae adoptionis certitudine loquitur, quam spiritus Dei cordibus nostris obsignat: Iohannes autem hic effectus respicit, quos profert spiritus in nobis habitans. Quemadmodum et Paulus ipse, quum dicit eos esse Dei filios, qui spiritu Dei aguntur. Nam illic quoque de mortificatione carnis, et vitae novitate disserit. Haec summa est, inde constare an filii Dei simus, si vitam nostram spiritus eius moderatur et gubernat. Interea docet Iohannes, quidquid est in nobis bonorum operum, provenire ex gratia spiritus: et hunc spiritum non acquiri nostra iustitia, sed gratuito nobis donari.

CAPUT IV.

1. *Dilecti, ne omni spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Dco sint: quia multi pseudoprophetae*

exierunt in mundum. 2. In hoc cognoscite spiritum Dei: Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: 3. et omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Dco non est. Et hic est Antichristus, de quo audistis quod venturus sit, et nunc iam in mundo sit.

Redit ad superiorem doctrinam, quam attigerat capite secundo. Plerique enim (ut in rebus novis fieri solet) Christi nomine abutebantur ad serendos suos errores. Alii dimidia ex parte profitebantur Christum: interea quum locum haberent inter domesticos, plus valebant ad nocendum. Praesertim in Christo ipso turbandae ecclesiae materiam captabat Satan. Nam hic est lapis offensionis, ad quem impingere necesse est omnes qui planam viam, ut a Deo nobis monstratur, non tenent. Porro tribus membris constat tota haec apostoli ratio. Nam primo malum ostendit unde periculum fidelibus instabat: atque hac ratione eos ad cavendum hortatur. Cavendi modum praescribit, ut dijudicent inter spiritus. Atque hoc est secundum membrum. Tandem speciem unam designat, a qua maximum erat illis periculum. Vetat igitur eos audire, qui filium Dei in carne manifestatum esse negant. Nunc singula ordine tractemus. Tametsi autem in contextu ratio ista subiicitur, quod multi pseudoprophetae in mundum exierint: tamen inde initium facere convenient. Continet autem haec sententia utillem admonitionem, quia si iam tunc multos impulerat Satan, qui sub Christi nomine suas imposturas spargerent: hodie simile exemplum constringere nos non debet. Haec enim perpetua est evangelii conditio, ut eius puritatem variis erroribus inficiere ac corrumpere moliatur Satan. Hoc nostrum saeculum horrenda quaedam sectarum portenta protulit: qua occasione multi attoniti haerent, et quorsum se vertere debeant nescientes, omnem pietatis curam abiiciunt. Neque enim melius inveniunt compendium sese extricandi ab errorum periculo. Stulte id omnino: lucem enim veritatis fugiendo, seso ultro in errorum tenebras coniiciunt. Quare hoc in animis nostris fixum haereat, ex quo publicari coepit evangelium, statim exstisss pseudoprophetas. Muniet etiam nos haec doctrina contra illud offendieulum. Plerosque errorum vetustas quasi vincos retinet, ne inde emergere audeant. Atqui Iohannes intestinum ecclesiae malum hic designat. Quod si iam tum apostolis aliquis fidis doctoribus permisi fuerunt impostores, quid mirum si, iampridem oppressa evangelii doctrina, multae corruptelae in mundo grassatae sunt? Non est igitur quod nos impedit antiquitas, quo minus libere veritatem a mendacio discernamus.

1. *Ne omni spiritui credatis.* Multi (ut dictum est) quum ecclesia dissidiis et contentionibus vexa-

tur, expavescuti, ab evangelio discedunt. Spiritus autem longe diversum remedium praescribit: non temere scilicet et absque delectu quamlibet doctrinam recipient fideles. Cavendum igitur ne opinionum varietate offensi, doctores una cum verbo Dei valere iubeamus. Sed hoc temperamentum sufficiat, non esse promiscuo omnes audiendos. Nomen spiritus, metonymice accipio pro eo, qui spiritus donec se praeditum esse iactat ad obsequendum prophetarum munus. Nam quum nemini permisum sit privato suo nomine lequi, nec fides loquentibus habenda sit, nisi quatenus spiritus sancti sunt organa: quo plus autoritatis haberont prophetae, hec elegio Deus ipso ornavit, ac si eos eximeret ex communi heminum numero. Spiritus ergo vacabantur qui lingnam tantum praebentes oraculis spiritus sancti, ministram eius personam quedammodo sustinebant: nihil proferebant ex proprio sensu, nec private suo nomine prodibant in medium. Huc autem spectabat tam honorificus titulus, ne quid ob ministri contemptum verbi Dei reverentiae decederet. Nam Deus semper verbum suum ex hominum ore non secus excipi voluit, quam si palam ipse ex celo apparuisset. Hic se medium iniecit Satan: et quum falsos doctores supponeret ad verbum Dei adulterandum, nomen quoque illis imposuit, sub quo melius fallerent. Ita pseudoprophetae superciliosae et plenis buccis semper sibi arrogare soliti sunt quidquid Deus in servos suos honoris contulerat. Videtur autem consulto apostolus hoc nomine usus esse, ne suis larvis nos decipient qui falso Dei nomen praetendunt: quemadmodum videmus hodie permultos nudo ecclesiae titulo obstupefieri, ut se in aeternum interitum papae addicere malint, quam illi quidquam vel minimum autoritatis abrogare. Notanda est igitur ista concessio. Poterat enim dicere apostolus, non esse quibusvis hominibus credendum: sed quoniam falsi doctores spiritus titulum mentiebantur, eum sic ipsis relinquunt, ut simul admoneat frivolum ac nugatorium esse, nisi re ipsa exhibeant quod profitentur: stultos vero esse qui ad solum honorifici tituli strepitum atteniti, de re inquirere non audeant.

Probate spiritus. Quia non omnes verae sunt prophetiae, apostolus hic pronuntiat revocandas esse ad examen. Alloquitur autem non modo totum ecclesiae corpus: sed etiam singulos fideles. Sed quaeritur unde nobis ista discretio. Qui respondent, verbum Dei regulam esse ad quam exigi oporteat quidquid in medium preferunt homines, neque illi nihil dicunt, neque totum. Concede probandas esse verbo Dei doctrinas: verum nisi adsit spiritus prudentiae, nihil aut parum proderit verbum Dei habere ad manum, cuius interpretatio nobis non constabit. Quemadmodum, exempli gratia, aurum igne aut lydio lapide probatur: sed ab iis qui artem

tenent. Nam imperitis, nec lapis lydius, neque ignis usni esse poterit. Ergo ut simus idonei iudices, necesse est nos discretionis spiritu donari et dirigi. Quia autem frustra hoc nobis praeciperet apostolus, nisi iudicandi facultas suppeteret, certo statuendam est, pios nunquam destitutum iri spiritu prudentiae, quoad expediet, modo eum a Domino postulent. Sed ita demum ad veram discretionem nos spiritus diriget, si omnes nostros sensus verbo subiiciimus. Est enim (ut dictum est) iustar lydii lapidis: imo longe pluris esse nobis debet: quoniam ea demum legitima est doctrina, quae inde sumpta est. Sed hie nascitur difficultis quaestio: quia si penes singulos ius et arbitrium erit iudicandi, nihil unquam certi constitui poterit: quin potius vacillabit tota religio. Respondeo, duplex esse doctrinae examen: privatum, et publicum. Privatum, quo unusquisque fidem suam stabilit, ut tute acquiescat in ea doctrina quam a Deo novit prefactam esse. Neque enim alibi quam in Deo tutam et tranquillam stationem invenient conscientiae. Publicum examen ad communem ecclesiae consensum et πολιτείαν spectat. Nam quia periculum est ne insurgant fanatici homines, qui se temere iacent spiritu Dei esse praeditos: necessarium est hoc remedium, ut simul convenient fideles, et rationem pii purique consensus quaerant. Caeterum quum vetus illud proverbium nimis verum sit, Quot sunt capita, tot esse sensus: certum est hoc esse singulare Dei opus, ut domita omni pervicacia, nos unum sentire, atque in puram fidei unitatem coalescere faciat. Quod autem hoc praetextu quaecunque unquam in conciliis decreta sunt, pro certis oraculis papistae volunt haberi, quia ecclesia semel probavit ex Deo esse: id nimis est frivolum. Nam utcunque illa sit ordinaria consensus quaerendi ratio, pium sanctumque concilium cogere, ubi controversiae ex Dei verbo definiantur: nunquam tamen Deus cuiuslibet concilii decretis nos alligavit. Nec vero simul ac in unum aliquem locum coierunt episcopi centum vel plures, protinus sequitur eos rite invocasse Deum, et ex ore eius sciscitatos quidnam verum eset. Imo nihil clarius est, quam a sincero Dei verbo saepe eos recessisse. Ergo hic queque valere debet examen quod praescribit apostolus, ut spiritus probentur.

2. *In hoc cognoscite.* Specialem notam apponit, qua melius discernere veros prophetas a falsis liceat. Quamquam hic tantum repetit quod prius habuimus, Christum scilicet, sicuti scopus est ad quem recta fides collimat, ita scopulum esse ad quem impingunt omnes haeretici. Quamdui itaque in Christo manemus, salva res est: ubi autem ab eo disceditur, periret fides, et exinanita est omnis veritas. Caeterum meminerimus quid haec confessio contineat. Nam quum dicit apostolus Christum venisse,

binc colligimus prius fuisse apud patrem: quo ostenditur aeterna eius divinitas. Quum dicit *venisse in carne, significat carnem induendo verum hominem esse factum, eiusdem nobiscum naturae, ut frater noster fieret: nisi quod ab omni vito et corruptela fuit immunis.* Postremo quum dicit venisse, notanda est adventus eius causa: neque enim frustra a patre missus est. Hinc pendet officium Christi ac virtus. Ergo quemadmodum haereticici veteres ab hac fide exciderunt, partim divinam Christi naturam, partim humanam negando, ita hodie papistae, licet Christum fatcantur Deum et hominem, minime tamen confessionem hanc retinent quam requirit apostolus, quia Christum virtute sua spoliant. Nam ubi liberum suum arbitrium, operum merita, fictitios cultus, satisfactiones, sanctorum patrocinia statuerunt, quantulum Christo residuum manet? Hoc ergo sentit apostolus, quando summam doctrinæ pietatis in se complectitur Christi notitia, semper illuc coniiciendos et figendos esse oculos, ne fallamur. Et certe Christus legis et prophetarum finis est. Nec aliud ex evangelio discimus quam eius vim et gratiam.

3. *Et hic est Antichristus.* Hoc addidit apostolus, quo magis detestabiles redderet imposturas quae nos a Christo abdueunt. Diximus euim celebrem ac tritam fuisse doctrinam de regno Antichristi: ut de futura ecclesiac dissipatione admoniti fideles sollicite sibi caverent. Merito igitur tanquam infame et ominosum horrebant istud nomen. Nunc dicit apostolus, membra esse huius regni, quicunque Christo detrahunt. Dicit autem spiritum Antichristi venturum et iam esse in mundo, diverso sensu. Tunc enim iam in mundo fuisse intelligit: quia moliebatur iniquitatis suae arcanum. Quia tamen nondum oppressa erat Dei veritas falsis et adulterinis dogmatibus, nondum corrupto Dei cultu invaliduerat supersticio, nondum mundus scelerata perfidia a Christo defecerat, nondum se palam extulerat tyrannis, Christi regno opposita: ideo venturum dicit.

4. *Vos ex Deo estis filoli, et vicistis eos: quia maior est qui est in vobis, quam qui in mundo.*
 5. *Ipsi ex mundo sunt: propterea ex mundo loquuntur, et mundus eos audit.* 6. *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris.*

4. *Vos ex Deo.* De uno Antichristo loquutus erat: nunc plures commemorat. Sed pluralis numerus ad pseudoprophetas refertur, qui iam tunc emiserant, priusquam caput exstaret. Porro apostoli consilium est, fidelibus addere animos, ut fortiter et intrepido impostoribus resistant. Multum euim alacritatis decedit, quum dubio eventu pugnatur.

Porro formidine bonis incutere poterat, quod vix dum exerto Christi regno, iam in acie staro videbant hostes ad illud opprimendum. Ergo uteunque certandum sit, dicit tamen eos viciisse: quia felicem habituri sint exitum. Ac si diceret, in media pugna iam extra periculum eos esse, quia futuri sint superiores. Atque haec doctrina longius extendi debet. Quidquid enim certaminum sustinemus adversus mundum et carnem, coniunctum est cum certa victoria. Nos quidem duri et acres conflictus manent, et alii subinde aliis succedunt: sed quia Christi virtute pugnamus, et instructi sumus Dei armis, pugnando et laborando sumus victores. Quantum ad circumstantiam huius loci pertinet, insignis est consolatio, quod quibuscumque dolis nos adoriantur Satan, tamen in Dei veritate stabimus. Sed notanda est quae mox subiicitur ratio: quia maior, hoc est fortior, sit qui in nobis est, quam qui in mundo. Nam ea est nostra infirmitas, ut antequam manus conseramus cum hoste, succumbere oporteat. Sumus enim impliciti ignorantia, ideoque expositi ad omnes fallacias: Satan autem mirus ad fallen-dum artifex. Si sustinuerimus ad diem unum, ob-repet tamen animis nostris dubitatio quid eras futurum sit: ita perpetuo erimus anxii. Admonet ergo apostolus non propria nos, sed Dei virtute esse fortes. Unde colligit, non magis nos vinci posse quam Deum ipsum, qui nos sua virtute ad finem usque mundi instruxit. Atque in tota spirituali nostra militia insidere cordibus debet haec cogitatio, actum protinus fore de nobis, si nostris viribus pugnandum esset. Caeterum quia nobis quiescentibus Deus hostes repellit, indubiam esse victoram.

5. *Ipsi ex mundo sunt.* Haec non parva est consolatio, quod qui Deum in nobis aggredi audent, tantum mundi praesidiis sunt instructi. Porro mundum intelligit apostolus, quatenus Satan est eius princeps. Simul additur altera consolatio, quum dicit mundum amplecti in pseudoprophetis quod suum agnoscit. Videmus quanta sit ad vanitatem hominum propensio. Falsae igitur doctrinæ facile statim penetrant, et longe lateque grassantur. Negat apostolus esse cur propterea turbari nos deceat: quia nihil novum sit aut insolens, si mundus, qui totus est mendax, libenter mendacium audit.

6. *Nos ex Deo sumus.* Quamquam hoc vere in omnes pios competit: proprie tamen ad fideles evangelii ministros spectat. Nam apostolus ex spiritus fiducia hic gloriatur, se ac suos collegas sincere Deo servire, et ab eo sumisset quidquid tradunt. Idem pseudoapostolos iactare contingit, ut mos illis est sub Dei larva decipere: sed ab illis multum discrepant fidi doctores, qui nihil de se verbis praedicant, quod non exhibeant re ipsa. Semper tamen memoria tenendum est quam causam hic

tractot. Exiguus erat piorum numerus, incredulitas autem omnia fero occupabat: pauci evangelio vere adhaerebant, maior pars ad erroros proelivis erat. Hinc scandalii occasio: cui ut occurrat Iohannes, contentos esse nos iubet ista fidelium paucitate: quia omnes Dei filii honorem illi deferant, ac se eius doctriae subiiciant. Nam contrarium membrum continuo post opponit, qui ex Deo non sunt, puram evangelii doctrinam non audire. Quibus verbis significat, ingentem illam turbam cui non sapit evangelium, ideo non audiro probos ac legitimos Dei servos, quia a Deo ipso aliena sit: nihil ergo ex evangelii autoritate minui, dum a multis respuitur. Sed huic doctrinae annexa est utilis admonitio, ut fidei obedientia nos esse ex Deo probemus. Nihil facilius est quam iactare nos esse Dei: ideoque nihil inter homines magis vulgare. Quemadmodum hodie papistae superbe se venditant pro Dei cultoribus: interea non minus superbe verbum Dei repudiant. Nam quamvis se Dei verbo credere simulent: ubi tamen ad rem venitur, aures habent clausas. Atqui hoc unicum est timoris Dei testimonium, eius verbum revereri. Nec locum hic habet quae a multis obtendi solet excusatio, se ideo fugere evangelii doctrinam, quum illis proponitur, quia non sint ad iudicandum idonci. Fieri enim non potest quin Deum agnoscat in verbo suo quisquis ex animo eum timet, et illi obsequitur. Si quis obiciat, multos ex electis non statim accedere ad fidem, iuso proterve initio calcitrare: respondeo, eo tempore non habendos esse (nostro quidem iudicio) in Dei filiis. Caeterum hoc reprobi hominis signum est, quum pertinaciter ab eo rejicitur veritas. Obiter etiam notandum est, illud audire, cuius meminiuit apostolus, de interiori et serio cordis auditu, qui fide constat, intelligi.

In hoc cognoscimus. Relativum in hoc, duo superiora membra complectitur: ac si diceret, inde veritatem a mendacio discerni, quia alii ex Deo, alii ex mundo loquuntur. Quod autem per spiritum veritatis et erroris, quidam, auditores notari putant: ac si diceret, eos qui se impostoribus fallendos tradunt, esse natos ad errorem, et in se babere semen mendacii: eos autem qui verbo Dei consentiunt, hoc specimine monstrari veraces: non recipio. Nam quum apostolus μετωνυμίως spiritus hic accipiat pro doctoribus vel prophetis, nihil aliud velle enim existimo quam doctrinae examen esse ad ista duo revocandum, ex Deo, an ex mundo sit. Videtur tamen ita loquendo nihil dicere. Nam omnibus excipere promptum erit, se non nisi ex Deo loqui. Sic hodie papistae sua omnia commenta, spiritus oracula esse, magistrali supercilie iactant. Nec Mahometus aliunde se hausisse praedicat sua deliria quam e coelo. Quin etiam Aegyptii sibi olim divinitus revelatas esse mentiebantur putidas

illas inceptias, quibus se et alios infatuabant. Sed respondeo, nos verbum Domini habere, quod in primis consulendum est. Ergo quum Dei nomen obtundunt spiritus fallaces, ex scripturis inquirere convenit, an res ita habeat. Modo pium a nobis studium adhibetur cum humilitate et modestia, aderit spiritus discretionis, qui se ipsum in scripturis loquentem, tanquam fidus interpres, exponat.

7. *Dilecti, diligamus nos mutuo, quia dilectio ex Deo est: et omnis qui diligit, ex Deo genitus est, et cognoscit Deum.* 8. *Qui non diligit, non novit Deum: quia Deus dilectio est.* 9. *In hoc apparuit dilectio Dei in nobis, quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* 10. *In hoc est dilectio, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod nos ipse dilexit, et misit filium propitiationem pro peccatis nostris.*

7. *Dilecti, etc.* Redit ad illam exhortationem quam tota fere epistola prosequitur. Diximus enim mistam esse fidei doctrina et exhortatione ad caritatem. In duobus capitibus ita insistit, ut ab uno ad alterum subinde transeat. Quum mutuum amorem commendat, non intelligit nos officio defunctos esse, si amicos nostros vicissim diligimus, quia nos diliguunt. Sed quia fideles in communione alloquitur, aliter non debuit loqui quam ut se mutuo diligent. Confirmat hanc sententiam ratione iam aliquoties adducta: quia scilicet nemo se filium Dei probabit, nisi qui proximos diligit: et quia vera Dei cognitio amorem Dei necessario in nobis generat. Opponit etiam contrarium membrum, suo more, quod nulla sit Dei cognitio ubi non viget caritas. Sumit autem generale principium, quod Deus sit caritas: hoc est, quod eius natura sit homines diligere. Scio multos argutius philosophari, ac praesertim veteres hoc loco abusos esse, ut spiritus divinitatem probarent. Verum simplex est apostoli sensus, quia Deus sit fons caritatis, hunc affectum ab eo fluere et diffundi, quounque pervenit eius notitia. Quemadmodum prius lucem vocavit, quia nihil sit in eo tenebrosum, sed potius omnia suo fulgore illustret. Hic ergo de essentia Dei non loquitur: sed tantum docet qualis a nobis sentiatur. Caeterum duo notanda sunt in verbis apostoli, hanc esse veram Dei notitiam quac nos regenerat et refingit, ut simus novae creaturae: deinde fieri non posse quin ipsa nos Deo conformet. Faccusat igitur stultum illud commentum de fide informi: quia si quis fidem a caritate separat, perinde facit ac si calorem a sole auferre conetur.

9. *In hoc apparuit.* Aliis etiam plurimis documentis testatum habemus Dei erga nos amorem. Nam si quaeritur cur creatus sit mundus, cur simus in eo collocati ad obtainendum terrae dominum, cur

servemur in hac vita ut fruamur bonis inumeris, cur simus in spem melioris vitae conditi, cur luce et intelligentia praediti simus: non alia omnium causa adduci poterit quam gratuitus erga nos Dei amor: sed praeципuum specimen hic deligit apostolus, et quod reliquis omnibus longe praecellit. Hic enim non immensus tantum fuit Dei amor, quod proprio filio non pepercit, ut eius morte nos in vitam restitueret: sed plusquam mirifica bonitas, quae mentes nostras in stuporem rapere debet. Ergo Christus tam illustre est ac singulare divini erga nos amoris documentum, ut quoties ipsum intuemur, hanc doctrinam plane nobis confirmet, quod Deus sit dilectio. Quod unigenitum appellat, ad auxes in valet. In eo enim clarius ostendit quam unice nos amaret, quod unicum filium exposuit nostra causa in mortem. Interea qui unus est natura filius, gratia et adoptione multos facit: quoscunque scilicet fide inserit in corpus suum. Finem exprimit, cur missus a patre fuerit Christus, ut per eum vivamus. Nam extra ipsum sumus omnes mortui. Adventu autem suo vitam nobis attulit: et nisi obstet nostra incredulitas, hunc gratiae eius effectum in nobis sentimus.

10. *In hoc est dilectio.* Amplificat alia ratione Dei amorem, quod scilicet filium suum nobis dederit, quo tempore eramus inimici: quemadmodum etiam Paulus docet ad Romanos cap. 5, 8. Sed aliis verbis utitur, quod Deus nullo hominum amore provocatus eos ultro dilexerit. Quibus verbis docere voluit, gratuitum erga nos fuisse amorem Dei. Tametsi autem apostoli consilium est Deum nobis imitandum proponere: non tamen negligenda est fidei doctrina quam simul admisceret. Gratis nos Deus amavit. Cur? quia antequam nati essemus: deinde quia in ista naturae pravitate cor habemus ab eo adversum, et ad rectos piosque affectus minime flexibile. Si locum haberet papistarum ar gutia unumquenque electum esse a Deo prout amore dignum praevidit, non staret haec doctrina, priorem nos dilexisse. Tunc enim amor erga Deum noster, priores ordine teneret, etiam si tempore esset posterior. Sed apostolus confessum scripturae axioma sumit, quod prophani isti sophistae ignorant: nos ita corruptos et pravos nasci, ut nobis quasi ingenuum sit Dei odium, ut nihil appetamus nisi quod illi displicet, ut singuli carnis nostrae affectus assiduum cum eius iustitia bellum gerant.

Et misit filium. Ergo ex mera Dei bonitate, tanquam ex fonte, fluxit nobis Christus cum suis omnibus bonis. Quemadmodum autem hoc cognitu necessarium est, nos ideo salutem habere in Christo, quia sponte nos dilexit ecclesias pater: ita ubi quaerenda est solida et plena divini in nos amoris certitudo, non alio quam in Christum respicere convenit. Quare in suum exitium insaniunt quicunque

omisso Christo, quidnam de se in arcano Dei consilio constitutum sit, inquirunt. Porro iterum causam adventus Christi, eiusque officium ostendit, quum ideo missum commemorat, ut esset propitatio pro peccatis. Ac primum quidem his verbis docemur, nos omnes per peccatum fuisse alienatos a Deo, et manere hoc dissidium, donec interveniat Christus, qui nos reconciliet. Docemur secundo, hoc esse vitao nostrae initium, quod Deus morte filii sui placatus, nos in gratiam recipit. Nam quod propitiatio dicitur, hoc proprie ad mortis sacrificium pertinet. Habemus ergo, hoc honoris competere in solum Christum, ut mundi peccata expiet, atque ita inimicitias tollat inter nos et Deum. Sed hic emergit quaedam repugnantiae species. Nam si prius amabat Deus, quam se Christus pro nobis in mortem offerret, quid nova reconciliatione opus fuit? Ita supervacua videri Christi mors posset. Respondeo, quum dicitur Christus placasse nobis patrem, hoc ad sensum nostrum referri. Nam ut sumus male nobis concisi, Deum non nisi iratum et infestum concipere possumus, donec a reatu Christus nos absolvat. Deus enim ubique apparet peccatum, iram suam et aeternae mortis iudicium vult sentiri. Hinc sequitur, nihil quam praesenti mortis adspectu terrori nos posse, donec peccatum Christus morte sua aboleat, donec sanguinis sui pretio nos a morte liberet. Rursum Dei amor iustitiam requirit: ergo ut persuasi simus nos amari ad Christum venire necesse est, in quo solo nobis constat iustitia. Nunc videmus loquendi varietatem quae in scriptura occurrit, secundum diversos respectus, aptissimam et fidei apprime utilem esse. Ideo filium suum interposuit Deus, ad se nobis reconciliandum, quia nos amabat: sed occultus erat amor ille, quia interea nos Deo eramus hostes, iram eius assidue provocando. Deinde malae conscientiae formido et terror omnem vitae gustum nobis adimebant. Ergo quoad fidei nostrae sensum, Deus nos in Christo amare incipit. Quamquam autem hic apostolus de prima reconciliatione tractat, sciamus tamen hoc perpetuum esse Christi beneficium, ut peccata expiendo, Deum nobis propitiaret. Hoc papistae quoque aliqua ex parte concedunt: sed postea extenuant hanc gratiam ac fere in nihilum redigunt, fictas satisfactiones ingerendo. Atqui si homines se redimunt operum pretio, non erit Christus unica propitiatio, quemadmodum hic vocatur.

11. *Dilecti, si ita Deus nos dilexit, nos quoque debemus invicem diligere.* 12. *Deum nemo vidit unquam.* *Si diligimus nos invicem, Deus in nobis manet:* et dilectio eius perfecta est in nobis. 13. *In hoc cognoscimus quod in ipso manemus, et ipse in nobis:* quia ex spiritu suo dedit nobis. 14. *Et nos*

vidimus, et testamur quod pater misit filium servatorem mundi. 15. Qui confessus fuerit quod Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. 16. Et nos cognovimus et credimus dilectionem quam habet Deus in nobis. Deus caritas est: et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.

11. *Dilecti, etc.* Nunc apostolus, quae nuper docuit de gratuito Dei amore, ad suum institutum acommodat: nempe ut nos Dei exemplo hortetur ad fraternalum amorem. Sicut etiam Paulus Christum nobis proponit (Ephes. 5, 2), qui se hostiam bonae fragrantiae obtulit patri, ut se quisque nostrum proximis impendat. Admonet autem Iohannes amorem nostrum non debere merecariam esse, quum proximos diligere iubet, sicuti nos Deus dilexit. Nam illud repetendum est, gratis nos fuisse dilectos. Et certo ubi commodum nostrum respicimus, vel referimus amicis pares vices, philautia est, non caritas.

12. *Deum nemo vidit.* Eadem verba habentur primo evangelii capite: sed Iohannes baptista non eundem omnino finem illuc respicit: tantum enim significat non posse aliter cognosci Deum, nisi quantum se in Christo patefacit. Eandem doctrinam apostolus hic longius extendit, Dei virtutem fide ac dilectione a nobis comprehendit, ut sciamus nos esse eius filios, et eum in nobis habitare. Prius tamen de caritate loquitur, quum dicit, in nobis manere Deum, si nos diligimus mutuo: quia perfecta est, hoc est, vere comprobata in nobis eius dilectio: ac si diceret, Deum se quasi praesentem exhibere, dum spiritu suo corda nostra in fraternalum amorem format. Eodem sensu repetit quod iam semel dixerat, Nos ex spiritu quem dedit nobis, cognoscere quod in nobis habitet. Est enim confirmatio proximae sententiae: quia caritas effectus est spiritus. Itaque haec summa est: Quum caritas sit ex Dei spiritu, non possumus vere et sincero corde fratres diligere, quin spiritus vim suam exserat. Hoc modo se in nobis habitare testatur. Porro Deus per spiritum suum in nobis habitat: ergo caritate probabimus Deum nos habere in nobis manentem. Rursum, quisquis se Deum habere iactat, nec fratres diligit: hoc uno refellitur eius vanitas, quia Deum a se ipso divellit. Quum dicit, Et caritas eius perfecta est, copulam accipit causalitatis particulae loco. Et caritas Dei hic bifurciam exponi potest: vel qua illum prosequimur, vel quam nobis inspirat. Deum nobis spiritum suum dedisse, et dedisse ex spiritu suo, idem prorsus valent. Scimus enim spiritum singulis distribui ad mensuram.

14. *Et nos vidimus.* Nunc alteram notitiae Dei partem, quam attigimus, exponit: quod scilicet in filio se nobis communicat, ac fruendum offert: unde

sequitur, fide a nobis percipi. Nam hoc tendit apostoli consilium, nos fide et caritate sic Deo uniri, ut in nobis vere habitet, et virtutis suae effectu quodammodo visibilem se praebat, qui alioque videri non potest. Quum dicit, vidimus et testamur, se et reliquos apostolos designat. Et adspectum non quemlibet intelligit, sed fidei adiunetum, quo agnoverint in Christo Dei gloriam: quemadmodum et sequitur, missum esse ut sit servator mundi. *Quae notitia ex spiritus illuminatione manat.*

15. *Qui confessus fuerit.* Repetit illud axioma, nos Deo uniri per Christum, nec posse Christo esse coniunetus, quin Deus in nobis maneat. Promiscue autem fides et confessio ponuntur eodem sensu. Nam quamvis hypoeritae mendaciter fidem iacent, apostolus tamen nullos hic in ordine confidentium agnoscit, nisi qui vero et ex animo eridunt. Praeterea quum dicit quod Jesus est filius Dei, paucis istis verbis totam fidei summam perstringit. Nihil enim est ad salutem necessarium, quod non in Christo inveniat fides. Cacterum postquam in genere dicit, sic fide inseri homines in Christum, ut Christus eos Deo coniungat, subiicit hypothesis, Quod viderint ipsi: ut generalem sententiam accommodet iis ad quos scribit. Tandem sequitur exhortatio, ut alios diligent, quemadmodum a Deo dilecti sunt. Quare haec series est, et hic contextus sermonis, fides Christi facit ut Deus in hominibus maneat: atqui nos sumus huius gratiae consortes. Porro quum Deus sit caritas, nullus in eo manere potest, quin diligit fratres suos. Ergo caritatem in nobis regnare decet, quando se Deus nobis coniunxit.

16. *Cognovimus et credimus.* Perinde est ac si diceret: Cognovimus credendo. Talis enim notitia non nisi fide percipitur. Sed hinc colligimus quantum a fide absit suspensa vel dubia opinio. Porro quum velit hic proximam sententiam accommodare ad lectores, quemadmodum iam dixi: ipsam tamem fidei substantiam varie definit. Prius dixerat: Qui credit Iesum esse filium Dei: nunc autem dicit, Fide cognoscimus amorem Dei erga nos. Unde apparet, in Christo apprehendi paternum Dei amorem, nec certi quidquam de Christo tenere, nisi qui se eius gratia Dei filios agnoscunt. Ideo enim filium suum pater quotidie nobis proponit, ut in eo nos adoptet.

Deus caritas est. Est veluti minor propositio in syllogismo: quia a fide caritatem ratiocinatur hoc modo, fide in nobis habitat Deus: atqui Deus est caritas: ergo ubiunque manet Deus, caritatem simul vigere oportet. Hinc sequitur, caritatem necessario fidei connexam esse.

17. *In hoc perfecta est caritas nobiscum, ut fi-*

duciam habeamus in die iudicii: quod sicut ille est, nos quoque sumus in hoc mundo. 18. Timor non est in caritate: sed perfecta caritas foras pellit timorem, quia timor tormentum habet: qui autem timet, non est perfectus in caritate.

18. *In hoc perfecta.* Duo huius orationis sunt membra: nos divinae adoptionis tunc esse compotes, quum Deum referimus, ut filii patrem: deinde hanc fiduciam inequabilis esse bonum, quia sine ea simus miserrimi. Priore itaque loco ostendit qua lege nos Deus complexus sit in amorem et quomodo hac demum gratia fruamur quam nobis in Christo exhibuit: ergo hic caritas Dei erga nos intelligenda est. Perfectam esse dicit, quia plena copia effusa est, ac in solidum praestita, ut veluti numeris omnibus constet. Caeterum non alios esse huius boni participes affirmat, quam qui Deo conformes eius se filios esse probant. Est igitur argumentum a coniunctis.

Ut fiduciam habeamus. Iam fructum divini erga nos amoris ostendere incipit: quamquam postea clarius a contrario ostendet. Sed tamen haec inaequabilis est felicitas, quod nos audemus intrepide coram Deo sistere. Natura enim horremus Dei conspectum, et merito: nam quum ipse iudex sit mundi, nos autem peccata nostra reatu constrictos teneant, mortem et inferos una cum Deo nobis in mentem venire necesse est. Hinc illa, quam dixi, formido, ut Deum homines, quantum in se est, fugiant. Iohannes autem fideles negat expavescere, quum illis iudicii extremi fit mentio: sed potius securos et alacres ad Dei tribunal accedere: quia de paterno cius amore certo persuasi sunt. Tantum ergo quisque in fide profecit, quam bene animo compositus est ad exspectandum iudicii diem.

Sicut ille est. His verbis (ut iam dictum est) vicissim hoc a nobis requiri significat, ut imaginem Dei referamus. Qualis ergo Deus in coelo est, tales nos in hoc mundo esse iubet, ut censemur eius filii. Nam imago Dei, quum in nobis apparet, veluti adoptionis eius est sigillum: sed ita videtur partem fiduciae statuere in operibus. Itaque cristas hic erigunt papistae, quasi neget Iohannes nos sola Dei gratia fretos, habere certam salutis fiduciam, nisi simul adiuvent opera: sed in eo falluntur, quod non expendunt apostolum hic a causa minime argumentum ducere, sed locum esse a coniunctis. Nos autem libenter fatemur neminem reconciliari Deo per Christum, quin simul reformetur ad Dei imaginem: nec posse alterum ab altero disiungi. Recte ergo apostolus, qui omnes a fiducia gratiae repellit in quibus nulla conspicitur Dei similitudo. Tales enim certum est a Dei spiritu et Christo esse prorsus alienos. Neque etiam negamus, vitae novitatem, quia divinae adoptionis est effectus, valere

ad confirmandam fiduciam: sed tanquam secundarium (ut ita loquar) adminiculum: sed interea nos in sola gratia fundatos esse oportet. Nec sane aliter sibi constaret Iohannis doctrina: nam experientia demonstrat, ut fateri etiam papistae coguntur, semper in operum respectu esse trepidandi materiam. Quare nullus ad Dei tribunal trauillio animo unquam accedet, nisi qui statuet gratuito secundum. Sed horum nihil gustare papistas, non est quod quispiam miretur, quando nullam miseri fidem noverunt, nisi dubitatione implicitam. Addo quod hypocrisis tenebras illis obducit ne serio reputent quam formidabile sit Dei iudicium, ubi non adest Christus mediator. Resurrectionem alii quasi fabulosam negligunt: nos autem ut laeti et alacres obviam Christo prodeamus, in sola eius gratia fidem nostram esse defixam oportet.

18. *Timor non est.* Iam a contrariis commendat eius boni praestantium. Nos enim assidue torqueri dicit, donec amoris in nos sui remedio, a misero illo cruciatu Deus liberet. Summa est, quum nihil sit miserius quam continua inquietudine vexari, hoc nos consequi agnita Dei erga nos caritate, ut placide extra metum quiescamus. Unde appetit quam singulare sit Dei beneficium, nos amore suo dignari. Porro ex hac doctrina mox exhortationem ducet: sed priusquam nos ad officium hortetur, donum istud Dei nobis commendat, quod metum nobis fide eximit. Scio totum hunc locum a multis secus exponi: sed ego, quid voluerit apostolus, non quid alii sentiant, respicio. Dicunt illi metum non esse in caritate: quia ubi sponte Deum amamus, non cogimur vi et motu ad eius obsequium. Ergo secundum eos servilis timor hic voluntariae reverentiae opponitur: unde etiam interservilem et filiale timorem nata est distinctio. Ego quidem verum esse illud fateor, quum liberaliter Deum amamus ut patrem, non cogi nos amplius timore poenae: sed doctrina illa nihil cum praesenti loco commune habet. Tantum enim docet apostolus, ubi perspectus est nobis, et fide cognitus Dei amor, conscientiis nostris pacem conferri, ne amplius tumultuentur. Potest tamen quaeri, quando timorem pellat perfecta caritas: quias aliquo tantum divini erga nos amoris gusto praediti, nunquam in solidum metu liberamur. Respondeo tametsi non plane excutitur timor: ubi tamen ad Deum configimus, tanquam ad tranquillum portum, et ab omni naufragii ac tempestatum periculo tutum et immunem, metum vere pelli, quia fidei locum cedit. Ergo non ita pellitur timor, quin animos nostros sollicitet: sed ita pellitur, ut non turbet, neque impediatur pacem nostram quam fide obtinemus.

Timor tormentum habet. Hic quoque apostolus gratiae, de qua loquitur, magnitudinem amplificat. Nam quum miserrima sit conditio, assiduos pati

eruciatus, nihil magis optabile est quam sedata conscientia et animo composito sese in Dei conspectum offerre. Quod alii dicunt, timero servos quia poenam et flagella sibi ante oculos proponunt, nec obire suum officium nisi coactos: nihil ad meutem apostoli, ut dictum est. Ita in proximo membro, quum exponunt, non esse perfectum in caritate, qui timet: quia non ultro se subiicit Deo quin potius libenter se emanciparet: contextui minime convenit. Potius enim admonet apostolus, hoc esse infidelitatis vitium, quum aliquis timet, hoc est, inquietum habet animum: quia amor Dei probe cognitus, animos tranquillat.

19. *Nos diligimus eum, quia prior dilexit nos.*
 20. *Si quis dicit, Deum diligo: et proximum suum odio habeat, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit, quomodo potest diligere?*
 21. *Et hoc praeceptum habemus ab ipso, ut qui Deum diligat, diligat et fratrem suum.*

19. *Nos diligimus.* Verbum ἀγαπῶμεν tam indicativo, quam hortandi modo legi potest: prior tamen sensus longe melius quadrat, Repetit enim (meo iudicio) apostolus superiorem sententiam, quia Deus nos gratuito amore antevertit, reddere nos illi debitas vices: ut mox subsumat, ipsum in hominibus esse diligendum, vel testandum erga homines quem illi amorem deferimus. Si cui tamen placet hortandi modus, eodem tendet oratio, Quia nos gratis Deus amavit, mutuo nunc eum amemus. Atqui amor ille stare nequit, quin fraternum inter nos amorem generet: ideo mentiri eos dicit, qui Deum amare iactant, quum proximos oderint. Sed videtur parum firma esse ratio quam subiicit: est enim comparatio minoris et maioris. Si proximos, inquit, quibuscum versamur, non diligimus: multo minus Deum poterimus diligere, qui est invisibilis. Duplex autem exceptio in promptu est. Nam et amor, quo Deum prosequimur, ex fide, non ex aspectu manat: quemadmodum habetur 1. Petri 1, 8. Deinde longe diversa est Dei quam hominum ratio: quia quum in amorem sui nos Deus pro immensa sua bonitate rapiat, saepe odio digni sunt homines. Respondeo, apostolum, quod proculdubio inter nos constare debet, pro confessio hic sumere, Deum se nobis in hominibus offerre, qui in sculptam gerunt eius imaginem: et officia, quibus ipse non indiget, ut illis praestemus, exigere: quemadmodum Psalmo 16, 2, legimus, Beneficentia mea ad te non pervenit, Domine. Erga sanctos, qui in terra sunt, affectus meus. Et certe eiusdem naturae societas, tot rerum usus, mutua communicatio, nisi valde ferrei essemus, ad amorem nos allicerent: sed Iohannes nihil aliud voluit, quam fallacem esse iactan-

tiam, si quis Deum se amare dicat, et eius imaginem, quae ante oculos est, negligat.

21. *Et hoc praeceptum.* Firmius argumentum, ab autoritate et doctrina Christi. Nam ipse non de nudo Dei amore praecipit: sed fratres etiam diligore iubet. Quaro sic incipiendum est a Deo, ut simul fiat transitus ad homines.

CAPUT V.

1. *Omnis qui credit quod Jesus est Christus, ex Deo genitus est: et omnis qui diligit eum qui genitus est, diligit etiam eum qui genitus est ab eo.* 2. *In hoc cognoscimus quod diligimus filios Dei, si Deum diligimus, et praecepta eius servamus.* 3. *Haec est dilectio Dei ut praecepta eius servemus.* Et praecepta eius gravia non sunt. 4. *Quoniam omne, quod ex Deo genitum est, vincit mundum.* Et haec est victoria quae vincit mundum, fides vestra. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quod Jesus est filius Dei?*

1. *Omnis qui credit.* Alia ratione confirmat res esse coniunctas, fidem et fraternum amorem. Nam quum fide nos Deus regeneret, necesse est amari a nobis ut patrem: atqui amor ille complectitur omnes eius filios: non potest igitur fides caritate disiungi. Prima sententia est, ex Deo genitos esse quicunque credunt quod Jesus sit Christus. Ubi iterum vides, unum Christum, fidei scopum proponi: quemadmodum in eo iustitiam, vitam, quidquid optari potest bonorum, et totum Deum invenit. Quare haec vera est credendi ratio, quum in ipsum mentes nostras dirigimus. Caeterum credere quod sit Christus, est ab eo sperare quaeunque de Messia promissa sunt. Neque enim inanis ei Christi titulus hic tribuitur: sed potius munus quod a patre illi iniunctum est. Quemadmodum autem in lege plena rerum omnium instauratio, iustitia et felicitas per Messiam promissa est: ita hodie hoc totum in evangelio clarius exprimitur. Ergo Jesus pro Christo recipi non potest, quin ab eo petatur salus, quando in hunc finem missus est a patre, et quotidie nobis offertur. Unde merito apostolus omnes ex Deo genitos esse pronuntiat, qui vere credunt. Est enim fides longe supra humani ingenii captum posita: ut nos trahi a patre coelesti ad Christum oporteat: quia nunquam proprio marte quisquam nostrum concenderet. Atque hoc est, quod idem apostolus, evangelii sui cap. 1, 13, docet: non ex sanguinibus, neque ex carne esse genitos qui credunt in nomen unigeniti. Et Paulus (1. Corin. 2, 12), non spiritu huius mundi, sed spiritu, qui ex Deo est, nos esse praeditos, ut sciamus quae ab eo nobis donata sunt. Quia neque oculus

vidit, nec auris audivit, nec sensus percepit, quae diligentibus Deum reposita sit merces: sed solus spiritus ad arcanum illud pervenit. Deinde quum datus sit nobis Christus in sanctificationem, et spiritum regenerationis secum simul afferat: denique quum nos inserat in corpus suum: haec quoque altera ratio est, cur fidem habere nemo possit, quin sit ex Deo genitus.

Diligit eum qui genitus est. Augustinus et alii quidam veterum ad Christum hoc traxerunt: sed falso. Nam sub numero singulari omnes fideles apostolus designat: et contextus aperte ostendit, non aliud esse illi consilium, nisi ut mutuum in fratres amorem ex fide, tanquam ex fonte, derivet. Est autem argumentum ex communi naturae ordine sumptum: sed quod in hominibus cernitur, ad Deum transfert. Notandum autem est apostolum non ideo de solis fidelibus sermonem habere praepteritis extraneis, quod illi soli amandi sint, horum autem nulla habenda sit cura vel ratio: sed nos hoc velut tyrocinio ad omnes sine exceptione amandos instituit, quum initium facere a piis iubet.

2. *In hoc cognoscimus.* His verbis breviter ostendit quaenam vera sit caritas, nempe quae ad Deum refertur. Hactenus docuit nusquam esse verum Dei amorem, nisi quum proximi etiam amantur, quia hic perpetuus sit effectus: nunc autem docet, recte et ordine amari homines, quum Deus priores obtinet. Atque haec definitio necessaria est: nam saepe fit ut homines amemus extra Deum: ut profanae et carnalae amicitiae non alio quam ad privatum commodum, vel ad alios evanidos respectus tendunt. Ergo sicuti prius effectum urgebat, ita nunc causam urget: vult enim sic mutuam coli inter nos caritatem, ut Deus preeferatur. Amori Dei coniungit legis observationem, et merito: nam quum Deum amemus ut patrem et dominum, fieri non potest quin coniuncta sit reverentia cum amore. Deinde non potest a se ipso Deus avelli: quum itaque fons sit omnis iustitiae et rectitudinis, qui eum amat, necesse est ut compositos habeat suos affectus in obedientiam iustitiae. Non est igitur otiosa res amor Dei. Verum ex hoc loco simul colligimus, quaenam vera sit legis observatio: nam si metuantur coacti Deo obsequimur in servandis eius mandatis, longe distamus a vera obedientia. Ergo hoc primum est, ut corda se Deo addicant in liberalem reverentiam: deinde vita ad legis regulam formetur. Hoc sibi vult Moses, quum in colligenda legis summa dicit, Israel, quid petit abs te Dominus Deus tuus, nisi ut ipsum diligas, et ei obedias? (Deut. 10, 12).

3. *Praecepta eius gravia non sunt.* Hoc additum est ne difficultas (ut fieri solet) studium nostrum frangat vel minuat. Nam qui alacri animo magnoque fervore piam sanctamque vitam aggrediuntur,

postea vires suas impares experti, pigrescunt: orgo Iohannes, ut conatus nostros incitet, mandata Dei gravia esse negat. Verum obieci contra potest, nos longe aliud experiti: et scriptura etiam testatur iugum legis esse importabile (Act. 15, 10). Ratio quoque manifesta est: nam quum nostri abnegatio sit quasi servanda legis praeludium, an facile homini esse dicemus, se ipsum negare? Imo quum lex spiritualis sit (quemadmodum Paulus docet [Rom. 7, 14]), nos autem nihil quam caro, ingens inter nos et Dei legem dissidium esse oportet. Respondeo, difficultatem hanc minime esse ex natura legis, sed ex carnis nostrae vitio. Quod etiam Paulus diserte exprimit: quia postquam dixit, impossibile fuisse legi conferre nobis iustitiam: mox culpam in carnem reiicit. Haec solutio Pauli et Davidis sententias, quae in speciem videntur multum pugnare, optime conciliat. Paulus legem facit mortis ministram (2. Corin. 3, 7), nihil quam iram Dei operari pronuntiat: datam esse ut peccatum augeret: vivere ut nos occidat. David contra, suavem pree melle, et pree auro desiderabilem sibi esse praedicit (Psal. 19, 11). Inter alia eius elogia, haec ponit, Quod exhilaret corda, ad Dominum convertat, et vivificet. Sed Paulus legem cum vitiosa homini natura confert: inde hostilis ille conflictus. David autem, qualiter affecti sint, quos Deus spiritu suo regenuit, docet. Hinc suavitas illa et oblectatio, cuius nullum gustum caro percipit. Nec vero Iohannes distinctionem hanc omisit: ne quis enim generaliter hoc acciperet, praeecepta Dei non esse gravia, restringit ad filios Dei: quo significat, fieri hoc spiritus virtute, ut Deo obsequi non sit nobis grave nec molestum. Nondum tamen videtur prorsus soluta quaestio. Nam fideles utcunque spiritu Dei regantur, durum tamen cum carne sua certamen sustinent: et quantumvis sudent, vix tamen dimidia ex parte ad officium se comparant: imo quasi inter sacrum (ut aiunt) et saxum constituti, fere sub onere deficiunt. Videmus ut Paulus se captivum teneri gemat, et infelicem exclamat, quia non potest libere Deo servire. Respondeo, facilem vocari legem, quatenus coelesti virtute praediti, superamus carnis concupiscentias. Nam utcunque recalcitret caro: sentiunt tamen fideles: nulla se alia re tam oblectari, quam ut Deum sequantur. Praeterea notandum est, Iohannem non loqui de nuda lege, quae nihil praeter mandata continet: sed paternam Dei indulgentiam coniungere, qua mitigatur legis rigor. Ergo quum nobis clementer ignosci a Domino scimus, si opera nostra legi non satisfaciant, id longe nos reddit ad obsequium promptiores: quemadmodum in Psalmo 130, 4, habetur: Apud te est propitiatio, ut timearis. Hinc ergo facilitas legis servanda, quod fideles venia sublevati, sicubi deficiunt, animos non des-

pondent. Interea admonet apostolus, pugnandum esse ut serviamus Domino, totus enim mundus nobis obseruit, ne pergamus quo Deus vocat. Ergo ille demum legomi sorbit, qui mundo fortiter resistet.

4. *Hacc est victoria.* Quia dixerat, omnes qui ex Deo geniti sunt, mundi vinctores esse: vincendi quoque modum exprimit. Poterat enim adhuc quicquid, unde victoria: ergo in fide constituit victoriam totius mundi. Insignis locus: quia tametsi duros et horribiles insultus assidue ingerit Satan: spiritus Dei extra periculum nos esse pronuntians, exempto metu nos ad fortiter pugnandum animat. Et plus valet praeteritum tempus quam praesens vel futurum. *Vicisse enim dicit,* ut perinde certisimus, ac si iam profligatus esset hostis. Verum quidem est tota vita durare nostram militiam, quotidianos esse conflictus: imo singulis momentis nova et diversa proelia hinc inde ab hoste nobis moveri: sed quia non armat nos Deus tantum in unum diem, et fides etiam unius diei non est, sed perpetuum spiritus sancti opus: non aliter iam victoriae sumus compotes, quam si esset dobellatum. Neque tamen fiducia haec torporem inducit, quin sollicite semper ad pugnam simus intenti. Sic enim certos esse Dominus suos iubet, ut tamen securos esse nolit: quin potius ideo vicisse ipsos pronuntiat, quo animosius et magis strenue pugnant. Mundi nomen hic late patet: comprehendit enim quidquid adversum est Dei spiritui: ita naturae nostrae pravitas pars mundi est, omnes concupiscentiae, omnes Satanae astus, quidquid denique nos a Deo abstrahit. In tam multiplici hominum copia, gravis belli moles in nos incumbit: ac iam ante congressum essemus victi, ac centies quotidie vincendi, nisi Deus victoriam nobis promitteret. Sed Deus hac lege ad pugnandum nos hortatur, ut prius victoriam promittat. Caeterum ut haec promissio nos invicta Dei virtute in perpetuum muniri, ita ex adverso in nihilum redigit hominum vires. Neque enim hic apostolus Deum suppetias tantum nobis ferre docet, ut eius subsidio adiuti, pares simus ad resistendum: sed victoriam in sola fide locat: fides autem aliunde quo vineat, accipit. Quare Deo eripiunt quod suum est, qui propriae virtuti triumphum canunt.

5. *Quis est qui vincit mundum?* Ratio superioris sententiae: ideo scilicet nos fide vincere, quia robur a Christo mutuamur: quemadmodum et Paulus dicit (Philip. 4, 13): Omnia possum in eo qui me confirmat. Is ergo demum Satana et mundo superior erit, nec carni suaee succumbet qui sibi diffidens, recumbet in solam Christi virtutem. Nam fidei nomine, vivam Christi apprehensionem inteligit, quae vim eius et officium ad nos accommodat.

6. *Hic est qui venit per aquam et sanguinem,* Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. *Et spiritus est qui testificatur:* quandoquidem spiritus est veritas. 7. *Nam tres sunt qui testificantur in ecclesia,* pater, sermo, et spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. 8. *Et tres sunt qui testificantur in terra,* spiritus, aqua, et sanguis: et hi tres in unum convenient. 9. *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei maius est:* quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo.

6. *Hic est qui, etc.* Ut tuto fides nostra in Christo quiescat, solidam umbrarum legis substantiam in eo constare dicit. Neque enim dubito quin ad veteres legis ritus alludat in vocibus aquae et sanguinis. Huc porro tendit comparatio: non tantum ut legem Mosis abolitam esse sciamus Christi adventu, sed ut in ipso quacramus eorum complementum, quae olim figurabant caeremoniae. Tametsi vero plures erant species, tamen sub his duabus totam sanctitatis et iustitiae perfectionem apostolus designat. Aqua enim abluebantur omnes sordes, ut homines nonnisi puri et mundi ad Deum accederent. In sanguine erat expiatio, et plenae enim Deo reconciliationis pignus: sed lex externis tantum symbolis adumbravit quod solido a reipsa a Messia praestandum erat. Apto igitur probat Iohannes Iesum esse Christum Domini, olim promissum, quia secum attulit quo nos omni ex parte sanctificet. Ac de sanguine quidem, quo Christus Deum placavit, nulla est dubitatio: sed quomodo per aquam venerit, quaerit potest. Nam hoc ad baptismum referri non est probabile. Ego certe existimo Iohannem hic fructum et effectum exprimeret eius rei quam in historia evangelica narrat. Nam quod illic dicit, ex Christi latere fluxisse aquam et sanguinem, haud dubie pro miraculo habendum est. Scio tale quiddam mortuis naturaliter accidere: vero certo Dei consilio factum est ut Christi latus sanguinis et aquae fons esset: ut scirent fideles veram munditiem (cuius figurae erant veteres baptismi) in eo sibi constare: ut scirent etiam completum, quod omnes sanguinis adspersiones olim promiserant. Quare haec brevis partitio plurimum habet gratiae, quia summatis ostendit quorsum praeceps tenderent caeremoniae veteres: nempe ut homines ab inquinamentis purgati, et soluti omnibus piaculis, Deum haberent propitium, et illi consecrarentur: deinde veritatem in Christo fuisse exhibitam, quia lex praeter visibles figuram nihil habebat. Qua de re plura 9 et 10 ad Hebreos capite diximus.

Spiritus est qui testificatur. Hoc membro docte quomodo vim illam Christi sentiant fideles: quia scilicet Dei spiritus eos certiores reddat: et ne vacillet eorum fides, addit plenam et solidam firmi-

tudinem constare spiritus testimonio. Vocatur enim spiritus, veritas: quia indubia sit autoritas ipsius, nobisque abunde sufficere debeat.

7. *Tres sunt in celo.* Hoc totum a quibusdam omissem fuit. Hieronymus existimat malitia potius quam errore id fuisse factum: et quidem Latinis duntaxat. Sed quum ne graeci quidem codices inter se consentiant vix quidquam asserere audeo. Quia tamen optime fluit contextus si hoc membrum addatur, et video in optimis ac probatissimae fidei codicibus haberi, ego quoque libenter amplector. Sensus autem erit, quod Deus, quo uberior nostram in Christo fidem confirmet, triplici modo testatur in eo acquiescendum esse. Nam sicuti fides nostra in una Dei essentia tres personas agnoscit, ita totidem modis ad Christum vocatur, ut se in eo sistat. Quod dicit, *tres esse unum, ad essentiam non referuntur, sed ad consensum potius.* Ac si diceret, patrem, et aeternum sermonem eius, ac spiritum, symphonia quadam Christum pariter approbare. Itaque nonnulli codices habent εἰς ἐποντα, ut est in aliis exemplaribus, non tamen dubium est quin pater, sermo et spiritus eodem sensu dicantur unum esse, quo postea sanguis et aqua et spiritus. Sed quum spiritus, qui unus est testis, bis citetur: videtur esse absurdum repetitio. Respondeo: quum varie de Christo testetur, apte duplarem illi attribui testandi locum. Nam ex coelis pater cum aeterna sua sapientia et spiritu tanquam pro imperio pronuntiat Iesum esse Christum: ergo illic sola divinitatis maiestas nobis consideranda est. Quoniam vero spiritus in cordibus nostris habitans, arrha, pignus, et sigillum est ad obsignandum illud decretum: hoc modo iterum in terra per gratiam suam loquitur. Ceterum quia non omnes forte lectionem hanc recipient, quae sequuntur, perinde exponam ac si apostolus hos solos in terra nominasset testes.

8. *Tres sunt.* Sententiam illam de aqua et sanguine nunc ad suum institutum accommodat, quod scilicet nihil excusationis habeant qui Christum respunt: quum satis firmis ac luculentis testimoniosis se illum esse probaverit, qui promissus olim fuerat: nam sanguis et aqua, quum pignora sint et effectus salutis per eum allatae, vere testantur a Deo missum esse. Accedit deinde tertius testis spiritus sanctus: qui tamen primas tenet partes, quia aliqui aqua et sanguis sine ullo profectu diffuerent. Ipse enim est qui cordibus nostris aquae et sanguinis testimonium obsignat: hic est qui efficit sua virtute ut fructus mortis Christi ad nos usque perveniat: imo ut sanguis in redemptiōnē nostram fusus penetret usque in animas nostras: vel (ut uno verbo omnia dicam) efficit ut Christus cum omnibus suis bonis sit noster. Ita Paulus ad Romanos 1, 4, postquam dixit Christum

resurrectionis suac potentia ostensem osce filium Dei, continuo post addit, per sanctificationem spiritus. Quia quaecunque in Christo resurgent divinae gloriae signa: nihilominus obscura nobis essent, et effugerent conspectum nostrum, nisi fidei oculos nobis aperiret spiritus. Nunc intelligunt lectores cur spiritum cum aqua et sanguine Iohannes testem adduxerit: quia scilicet proprium spiritus officium est, Christi sanguine mundare conscientias nostras: facero ut allata ab ipso purgatio in nobis sit efficax. Qua de re aliquid dictum est initio proximae epistolae, ubi Petrus eandem fere loquutionem usurpat: nempe quod spiritus sanctus animas nostras sanguinis Christi adepersione purget. Caeterum ex his verbis colligere licet, fidem non apprehendere nudum vel inanem Christum: sed vivificam simul eius virtutem. Quorsum enim prodesset missum in terram Christum fuisse, nisi Deum mortis suae sacrificio placasset? nisi abluendi munus a patre illi esset iniunctum? Obiici tamen poterit, supervacuum esse distinctionem quae hic ponitur, quia Christus peccata expiando, nos mundaverit: ergo rem unam apostolus bis nominat. Fateor quidem in expiatione simul ablutionem includi: itaque non statui aquae et sanguinis discrimen, quasi res sint disiunctae: verum si quisque nostrum infirmitatem suam reputet, facile agnoscat non frustra nec temere sanguinem ab aqua discerni. Deinde (ut iam dictum est) apostolus ad legis ritus alludit. At quis Deus humanae infirmitatis causa non sacrificia tantum, sed ablutiones quoque olim instituerat. Utriusque partis veritatem in Christo fuisse exhibitam, distincte exprimere apostolus voluit. Qua ratione paulo ante dixerat, non in aqua solum. Significat enim non modo partem aliquam salutis nostrae in Christo inveniri, sed omnes numeros (ut ita dicam) completos: ita ut nihil alibi sit amplius quaerendum.

9. *Si testimonium hominum.* A minori ad maius ratiocinatur quam ingrati sint homines, si Christum divinitus (ita ut retulit) approbatum repudient. Nam si in negotiis humanis, hominum dictis stamus, qui mentiri et fallere possunt: quam absurdum erit, Deum minus fidei in suo foro (ut ita loquar), ubi summus est iudex, apud nos obtinere? Sola igitur nobis pravitas obstat ne Christum recipiamus, quando suae virtuti fidem legitima probatione facit. Porro Dei testimonium vocat non modo quod spiritus cordibus nostris reddit, sed quod etiam habemus ab aqua et sanguine. Vis enim illa purgandi et expiandi, non terrena, sed coelestis fuit. Quare non vulgari hominum more aestimandus est Christi sanguis: sed consilium Dei potius respicere convenit, quo fuit ordinatus ad delenda peccata, et vim illam divinam quae inde fluxit.

Porro hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. 10. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in se ipso, qui non credit Deo, mendacem fecit eum: quia non eredit in testimonium quod testificatus est Deus de filio suo. 11. Et hoc est testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus: et haec vita in filio eius est. 12. Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet.

Hoc est testimonium. Particula 8^a, causam hic non uotat, sed tantum exegetico capitur. Postquam enim admonuit apostolus, Deum multo plus fidei mereri quam homines: nunc subiicit, nullam haberi posse fidem Deo, nisi credendo in Christum: quia Deus hunc solum nobis proponit, et in eo nos sistit. Hinc colligit, nos tuto et tranquillis animis in Christum credere, quoniam autoritate sua Deus fidem nostram asserat. Nec dicit Deum extra loqui, sed unumquemque piorum intus in se ipso eum sentire fidei suae autorem. Unde apparet quantum a fide differat fluxa opinio, quae aliunde pendet.

10. Qui non credit. Sicut hoc boni habent fidèles, quod se extra errandi periculum esse norunt, quia in Deo sunt fundati: ita impios extremae blasphemiae reos facit, quia Deum mendacii arguant. Certe nihil Deo pretiosius est quam sua veritas: quare nulla illi atrocior iniuria fieri potest, quam dum hoc honore spoliatur. Ergo ut nos ad credendum incitet, argumentum a contrario sumit. Nam si Deum facere mendacem, horribilis est et execranda impietas: quia tunc, quod illi maxime proprium est, eripitur: quis non horreat fidem evangelio derogare, in quo Deus unice verax et fidelis vult haberi? Hoc diligenter notandum est. Mirantur aliqui cur tantopere Deus fidem commendet, cur tam severe damnetur incredulitas: at qui hic vertitur summa Dei gloria. Nam quum praecipuum veritatis suae specimen in evangelio edere voluerit, nihil illi faciunt reliquum quicunque oblatum illie Christum respuunt. Quare ut quempiam in reliquis vitae partibus demus angelo esse parem: diabolica tamen est eius sanctitas, quamdiu Christum reiicit. Sicuti quosdam in papatu videmus nescio qua sanctimoniae larva multum sibi placere: quum tamen obstinatissime evangelio resistant. Ergo teneamus hoc pietatis initium esse, doctrinam illam obedienter amplecti, quam adeo sancte pro testimonio asseruit.

11. Quod vitam aeternam dedit. Nunc proposito fructu, ad credendum nos invitat. Haec quidem Deo reverentia debetur, ut quidquid nobis affirmat, protinus sit extra controversiam. Sed ubi gratuito vitam nobis offert, ingratitudo minime ferenda est, nisi prompta fide tam amabilem suavemque doctrinam excipimus. Et certe in hunc finem tendunt apostoli verba, non modo reverenter obediendum

esse evangelio, no Deo simus iniurii: sed amandum etiam illud esse, quia vitam aeternam nobis afferat. Unde etiam colligimus quid maxime in evangelio quaerendum sit: nempe gratuitum salutis donum. Nam quod illie Deus ad poenitentiam et timorem nos hortatur, non debet a Christi gratia separari. Atque ut nos prorsus in Christo retineat apostolus iterum repetit contineri in ipso vitam: ae si diceret, non alind adipiscendae vitac medium nobis a Deo patre statui. Ac tria quidem summatum hic complexus est apostolus: nos scilicet omnes morti addictos esse, donec Deus gratuita sua bonitate nos in vitam restituat. Aperte enim pronuntiat vitam a Deo donari: unde et ipsa nos destitui sequitur, nec meritis posse acquiri. Deinde hanc vitam nobis per evangelium conferri doceet, quia illie patet Dei bonitas et paternus erga nos amor. Postremo nou aliter eius vitae nos fieri compotes dicit, quam dum fide in Christum inserimur.

12. Qui non habet. Est proximae sententiae confirmatio. Sufficere quidem illud debebat, Deum non alibi quam in Christo vitam locasse ut inde petatur: verum ne quis alio deflectat, a spe vitae excludit omnes qui eam in Christo non quaerunt. Scimus quid sit habere Christum: nam fide possidetur: vita ergo privat omnes qui alieni sunt a Christi corpore. Sed videtur hoc rationi minime consentaneum: nam summos viros exstissemus, et heroicis virtutibus praeditos historiae narrant: qui tamen a Christo prorsus erant extranei. Absurdum autem videtur, tantae praestantiae nihil habere honoris. Respondeo, longe nos falli, si putamus probari Deo quidquid in oculis nostris excellit: quin potius (ut est apud Lucam 16, 15) quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum. Quia enim abscondita est nobis cordis immundities, externa specie contenti sumus: atque Deus sub hac latentes foedissimas sordes videt. Itaque non mirum si illi foeteant speciosae virtutes, quae et ab impuro corde manant, neque in rectum finem tendunt. Porro unde cordis puritas, unde rectum pietatis studium, nisi a spiritu Christi? Nihil ergo laude dignum, nisi in Christo. Quamquam alia est ratio, quae omnem dubitationem eximit. Hominum enim iustitia in remissione peccatorum sita est. Hanc si tollas, certa Dei maledictio, et mors aeterna nos omnes manet. Solus autem Christus est qui patrem nobis conciliat, sicuti eum semel mortis suae sacrificio placavit. Unde sequitur, nemini propitium esse Deum, nisi in Christo: nullam quoque nisi in ipso iustitiam esse. Si quis Cornelium obiiciat, quem Lucas acceptum fuisse Deo testatur, priusquam vocatus esset ad fidem evangelii: respondeo breviter, sic interdum agere Deum in nobis, ut semen fidei non primo statim die emergat. Non habuit Cornelius claram et dilucidam Christi notitiam: sed

quum aliquo misericordiae Dei sensu fuerit praeditus, eum simul de mediatore aliquid tenere oportuit. Verum quia occultas et mirificas agendi rationes habet Deus, omissis quae nihil prosunt speculationibus, tantum planam viam salutis, quam nobis ostendit, teneamus.

13. *Haec scripsi vobis credentibus in nomen filii Dei, ut sciatis quod vitam habetis aeternam: et ut credatis in nomen filii Dei.* 14. *Atque haec est fiducia quam habemus erga eum, quod si quid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* 15. *Si autem novimus quod audit nos, quum quid petierimus: novimus quod habemus petitiones quas postulavimus ab eo.*

13. *Haec scripsi vobis.* Quia quotidanos fidei profectus esse oportet: ideo se iis, qui iam crediderunt, scribere dicit, ut firmius ac certius credant: atque ita plena vitae aeternae fiducia fruantur. Hic ergo doctrinae usus est, non tantum ut rudes initiet in Christo, sed ut qui iam erudit sunt, magis ac magis confirmet. Ideo nos assidue incumbere oportet in studium discendi, ut fides nostra toto vitae cursu augescat. Nam et multae adhuc infidelitatis reliquiae in nobis supersunt, et adeo imbecilla est nostra fides, ut hoc ipsum quod credimus, nondum sit solide credere, nisi amplior confirmatio accedit. Perro operae pretium est notare quaenam vera sit confirmandae fidei ratio: nempe dum officium et virtus Christi explicatur. Dicit enim apostolus se haec scripsisse: nempe quod non alibi quam in Christo querenda sit vita aeterna: ut qui iam fideles sunt, credant, hoc est, proficiant credendo. Quare pii doctoris officium est, ut in fide discipulos confirmet, extollere quantum potest Christi gratiam: ut ea contenti nihil amplius appetamus. Hanc quum obscurent modis omnibus ac extenuent papistae: satis hoc uno produnt se nihil minus curare quam rectam fidei doctrinam. Imo hac causa magis fugiendae sunt eorum scholae quam omnes Scyllae vel Charybdes: quia vix ingredi quispiam eas possit sine certo fidei naufragio. Docet praeterea hoc loco apostolus, Christum esse proprium fidei scopum: et fidei, quam habemus in eius nomen, annexam esse salutis fiduciam. Hic enim credendi finis, ut Dei filii simus ac haeredes.

14. *Haec est fiducia.* Fidem, cuius meminit, a fructu commendat: vel ostendit in quo praecipue sita sit fiducia: nempe quod pii intrepido animo Deum invocare audent: sicuti et Paulus loquitur ad Ephesios cap. 3, 12, quod fide accessus nobis ad Deum patet cum fiducia. Et ad Romanos 8, 15, quod spiritus os nobis reserat, ut clamare non dubitemus, Abba, pater. Et sane si arcemur a Dei accessu, nihil nobis miserius. Rursum, modo hoc

nobis asylum pateat, in malis omnibus nihilominus erimus beati. Imo hoc unum felices reddit nostras aerumnas, quod certo statuimus Deum fore liberatorem, et paterno eius erga nos amore freti, ad ipsum confugimus. Teneamus ergo hanc apostoli sententiam, invocationem Dei, summum fidei nostrae examen esse: Deum autem non rite, neque ex fide invocari, nisi quum certo persuasi sumus non irritas fore nostras preces. Nam qui suspensi haesitant, eos fiducia praeditos esse negat apostolus. Unde apparet sepultam ac prope extinctam esse fidei doctrinam in papatu, ubi certitudo omnis tollitur. Multas quidem illie preces murmurant, et de invocando Deo multum garriunt: sed dubiis ac fluctuantibus animis orant, ac orare iubent: imo damnant hanc fiduciam, quam apostolus necessario exigit.

Secundum voluntatem. Hac particula obiter monere voluit quaenam vera sit precandi regula: nempe ubi vota sua Deo homines subiiciunt. Neque enim quum pollicitus est Dominus facturum se quidquid sui petierint, effraenem illis licentiam permisit petendi quidquid in montem subierit: sed simul legem illis praescripsit rite orandi. Et sane hoc fraeno nihil nobis utilius: quia si unicuique nostrum petere liceat quidquid libet, et Deus votis nostris indulgeat, pessime nobis consultum erit. Nam quid expediatur, nescimus: imo aestuamus pravis ac noxiis desideriis. Duplex autem remedium adhibet Deus, ne aliter oremus quam ad voluntatis suae praescriptum: quia et ex verbo suo nos docet, quidnam petere nos velit: et spiritum suum ducom ac moderatorem nobis praeficit, qui cohibeat affectus nostros, ne vagari extra metas sinat. Nam quid et qualiter oporteat orare, nescimus (inquit Paulus [Rom. 8, 26]), sed spiritus infirmitatibus nostris opem ferens excitat in nobis gemitus inenarrabiles. Interea os quoque Domini interrogandum est, ut preces nostras dirigat. Nam Deus in suis permissionibus legitimam orandi rationem (ut dictum est) nobis statuit.

15. *Si autem novimus.* Non est (ut in speciem videtur) superflua repetitio. Nam quod in genere de orationum successu pronuntiavit apostolus, nunc specialiter affirmat, nihil prius optare vel poscere a Deo, quod non impetrant. Quum autem omnia fidelium vota exaudiri dicit, de sanis modestisque votis loquitur, et quae ad obedientiac regulam sunt composita. Neque enim laxis habenis ruunt fideles, aut quidvis sibi indulgent: sed quid mandet Deus, semper in suis precibus respiciunt. Est igitur haec generalis doctrinae applicatio ad specialem et privatum eiusque usum, ne dubitent fideles Deum se in omnibus ac singulis votis propitium habere, ut sedatis animis exspectent dum praestet Dominus quae precati sunt: atque ita omni molestia et

anxietato levati curas suas in Deum exonerent. Neque tamen hanc quies et securitas preccandi ardorem restingnoro in nobis debet: ut qui certus est de felici eventu, ab invocando Deo abstineat. Fidei enim certitudo socordiam minimo generat, vel pigratiam. Sed tantum vult apostolus in suis quemque necessitatibus tranquillum esse, ubi suos gemitus in Dei sinum depositit.

16. *Si quis viderit fratrem suum peccantem peccato non ad mortem, petet, et dabit illi vitam. Peccanti dico non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut quis roget.* 17. *Omnis iniustitia peccatum est. Et est peccatum non ad mortem.* 18. *Non vimus quod quisquis ex Deo genitus est, non peccat: sed qui genitus est ex Deo, servat se ipsum, et malignus non tangit eum.*

16. *Si quis, etc.* Fructum fidei, cuius meminit apostolus, iam longius extendit: ut pro fratribus etiam valeant preces nostrae. Magnum illud erat, quod simul ac premimur, benigne nos Deus ad se invitat, nobisque opem ferre paratus est: sed quod pro aliis quoque rogantes andire sustinet, non parva inde confirmatio fidei nostrae accedit: ut certo persuasi simus nos in propria causa repulsam minime unquam passuros. Interea hortatur apostolus, ut simus alii de aliorum salute mutuo solliciti: deinde vult fratribus lapsus nobis esse ad orandum incitationa. Et certe ferrea esset ista durities, nullo misericordiae sensu tangi, quum animas Christi sanguine redemptas videmus in exitium ire. Ostendit autem in manu esse remedium, quo fratres fratribus succurrant. Vitam, inquit, pereunti restituet, qui pro eo orabit. Quamquam verbum Dabit, referri ad Deum potest: ac si dictum esset, fratris vitam Deus concedet precibus nostris. Verum idem semper erit sensus, eo usque valere fidelium preces, ut fratrem a morte eripiant. Si de homine intelligas, quod det fratri vitam, hyperbolica erit loquutio: nihil tamen continebit absurdum. Nam quod gratuita Dei bonitate nobis concessum est: imo quod in gratiam nostram aliis conceditur, dicimur aliis dare. Tanta utilitas non parum nos stimulare debet, ut peccata fratribus nostris remitti petamus. Quum autem συμπάθειαν nobis commendat apostolus, simul admonet quantopere in fratribus damnandis cavenda sit crudelitas, aut in desperanda eorum salute nimius rigor.

Peccato non ad mortem. Ne pretinus spem abieciamus de eorum salute qui peccant, Deum ostendit non tam graviter ulcisci suorum lapsus, ut propterea eos abdicet. Unde sequitur, nobis pro fratribus habendos, quando ipsos Dominus in filiorum numero retinet. Peccata vero ad mortem esse negat, non modo in quibus quotidie sancti delinquunt: sed

etiam si quando graviter iram Dei ab ipsis provocari contingat. Quamdiu enim veniae relinquitur locus, mors prorsus imperium nondum occupat. Neque tamen hic inter veniale et mortale peccatum distinguit apostolus, sicuti postea vulgo factum est. Prorsus enim insulsa est illa distinctio, quae in papatu obtinuit. Nullum fere Sorbonici mortale peccatum agnoscut, nisi in quibus tam crassa exstat turpitudo, ut manibus palpari queat. Ita in peccatis venialibus censent teterimas feoditatem, quao in animis latent. Omnes denique peccati originalis fructus, modo non erumpant in externum actum, levi adspersione aquae benedictae elui putant. Et quid mirum, quum ne blasphemias quidem de gratia Dei dubitationes, et quidquid est libidinum ac cupiditatum, modo consensus non accedat, peccata esse censeant? Si animus hominis infidelitate percellitur, si cum sollicitat impatientia ut adversus Denum fremat, quantumvis prodigiose cupiditates eum titillent: hoc totum levius est papistis, quam ut in peccato deputetur, saltem post baptismum. Non mirum igitur si ex magnis sceleribus venialia delicta faciunt: sua enim, non Dei trutina appendunt. Atqui inter fideles indubium hoc axioma esse debet, quidquid cum lege Dei pugnat, peccatum esse, et quidem mortale sua natura. Ubi enim legis transgressio, illic et peccatum et mors. Quis ergo verborum apostoli sensus erit? Peccata negat mortifera esse, quae etsi morte digna sunt, non tamen tam atrociter a Deo puniuntur. Ideo peccata in se non aestimat: sed iudicium de illis ex paterna Dei indulgentia facit, quae reatum condonat, ubi tamen culpa erat. Denique morti non addicit quos Deus erigendo restituit in vitam, quamvis per eos non steterit quominus a vita alienati essent.

Est peccatum ad mortem. Iam dixi ita vocari peccatum, cui nulla spes veniae reliqua est. Sed quacritur quale hoc sit. Valde enim atrox esse oportet, quod Deus tam severe ulciscitur. Ex contextu colligi potest, non esse partiale (ut vocant) lapsum, nec praecepti unius transgressionem: sed apostasiam, qua penitus homines a Deo se alienant. Nam postea subiicit apostolus, filios Dei non pecare: ut scilicet, relicto Deo, Satanae se in totum addicant ac maucipient. Talis defectio, non mirum est si mortal sit lapsus. Neque enim suos Deus unquam ita privat spiritus gratia, quin aliquam pietatis scintillam retineant. Reprobos ergo et exitio devotos esse oportet, qui sic deficiunt ut timore Dei abiificant. Si quis quaerat an eorum poenitentiae praeclosa sit salutis ianua: in promptu est responsio, quum in reprobum sensum traditi sint, et spiritu sancto destituti, non aliud eos posse quam obstinatis animis semper ruere in deterius, et peccata addere peccatis. Porro quum peccatum aut blasphemia in spiritum eiusmodi defectionem per-

petuo secum trahat, non dubium est quin hic notetur. Sed quaeritur iterum, quibusnam indicis cognoscere possimus letalem esse hominis casum. Nisi enim certa eius rei esset cognitio, frustra ciperet apostolus, non esse pro hoc peccati genero orandum. Licebit ergo interdum statuere, sitne deploratus qui cecidit, an adhuc locus sit remedio. *Id quidem verum esse fateor: et ex praesenti loco sine controversia evincitur.* Sed quia rarissime hoc accedit, et Deus immensas gratiae suae divitias commendans, nos suo exemplo misericordes esse iubet: non temere in quemquam ferendum est mortis aeternae iudicium: potius nos caritas ad bene sperandum flectat. Quod si desperata quorundam impietas non secus nobis appetet, ac si Dominus eam digito monstraret, non est quod certemus cum iusto Dei iudicio, vel clementiores eo esse appetamus.

17. *Omnis iniustitia.* Varie potest hic locus exponi. Nam si in adversativam resolvias, non male constabit sensus hoc modo: Tametsi omnis iniustitia peccatum est, aliquod tamen est peccatum non ad mortem. Aequo etiam congrueret diversus sensus, quia peccatum est omnis iniustitia, inde sequitur aliquod esse peccatum non ad mortem. Alii omnem iniustitiam accipiunt pro tota: ac si diceret apostolus, peccatum, de quo agit, esse iniustitiae cumulum. Ego tamen primam vel secundam expositionem libentius amplector: et quia eodem recidunt, liberum relinquo lectoribus iudicium, utra sit aptior.

18. *Novimus quod quisquis ex Deo.* Si filios Dei puros omnino et immunes a peccato esse intelligas, sicut fanatici contendunt, secum pugnabit apostolus. Nam hoc modo mutuum inter fratres precandi studium tolleret. Ergo non peccare dicit qui non prorsus a gratia Dei excidunt. Hinc autem inferre voluit, orandum pro omnibus Dei filiis esse: quia ad mortem non peccant. Additur probatio, quod quisquis ex Deo genitus est, se ipsum servat: hoc est, continet se in Dei timore: nec soita abripi patitur, ut extinctio pietatis sensu diabole et carni totum se permittat. Nam quum dicit non tangi eum a maligno, ad letale vulnus referendum est. Neque enim a Satanae vulneribus intacti manent filii Dei: sed ita fidei clypeo propulsant eius ictus, ut minime ad cor ipsum penetrant. Quare nunquam in ipsis extinguitur spiritualis vita. Hoc istud est non peccare, quum labuntur quidem fideles infirmitate carnis: sed sub onere peccati gemunt, sibi displicant, Deum timere non desinunt.

Servat se ipsum. Quod Dei proprium est, ad nos transfert. Nam si quisque nostrum salutis suae sit custos, miserum erit praesidium. Itaque patrem rogat Christus (Iohan. 17, 11) ut nos servet, hoc opis nostrae non esse significans. Patroni liberi

arbitrii vocem istam arripiunt, ut inde probent, partim Dei gratia, partim vero propria virtute nos servari a peccato. Atqui non animadvertisunt non habere a se ipsis fideles custodiam de qua loquitur apostolus. Nec sane hic eorum virtutem praedicat, quasi proprio marte se custodian: sed tantum docet, eos Satanae resistere, ut eius telis nunquam letaliter vulnerentur. Scimus autem non aliis quam Dei armis instructos pugnare. Servant ergo so a peccato fideles, quatenus a Deo servantur.

19. *Novimus quod ex Deo sumus: et mundus totus in maligno positus est.* 20. *Novimus autem quod filius Dei venit, et dedit nobis intelligentiam, ut cognoscamus illum verum: et sumus in ipso vero, in filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, et vita aeterna.* 21. *Filioli, custodite vos ab idolis. Amen.*

19. *Ex Deo sumus.* Ex superiore doctrina sumit exhortandi materiam. Nam quod in commune pronuntiavit de omnibus Dei filiis, nunc ad eos, quibus scribit, accommodat: idque ut eos stimulet ad cavendum peccatum, et ad repellendos Satanae insultus animet. Observent lectores hanc demum esse veram fidem, quae Dei gratiam nobis (ut ita dicam) applicat. Neque enim alias fideles agnoscit apostolus, nisi qui se in ordinem filiorum Dei aggregant. Nec vero probabilem conjecturam (ut loquuntur sophistae) pro fiducia ingerit. Dicit enim nos scire. Summa hoc tendit, quum ex Deo geniti simus, dandam esse operam ut a mundo segregati probemus vitae sanctitatem, non frustra ad tantum honorem nos fuisse vocatos. Haec autem admonitio valde piis omnibus necessaria est. Quo-eunque enim vertant oculos, Satan paratas habet illecebras, quibus eos a Deo abducatur. Difficile igitur illis foret rectum gradum tenere, nisi pluris sua illis esset vocatio quam omnia mundi obstacula. Ergo ut probe ad certandum muniti simus, duo haec tenenda sunt: mundum perversum esse, et a Deo esse nostram vocationem. Sub mundi nomine, non dubium est quin totum humanum genus apostolus comprehendat. Quum in maligno positum esse dicit, sub Satanae principatu eum locat. Non ergo est cur mundum fugere dubitemus, qui contempto Deo Satanae in servitutem se tradit: non est cur metuamus eius dissidium, quia a Deo alienus est. Denique, quando totam naturam occupat corruptio, abnegationi sui studere debent fideles: quando in mundo nihil praeter malitiam et pravitatem cernitur, carni et sanguini valedicant necesse est, ut Deum sequantur. Simul tamen addendum est alterum illud, Deum esse qui ipsos vocavit, ut eius praesidium omnibus mundi et Satanae machinis opponant.

20. *Novimus autem quod filius Dei venit.* Quia

undique impetuntur filii Dei, haec (ut diximus) ratione eos ad resistendi constantiam animat atque hertatur, quod sub Dei auspiciis militant, ac certo tenent eius spiritu se regi. Nunc autem unde notitia illa maxime petenda sit, admonet. Dicit igitur Deum in Christo nebis ita esse patefactum, ut iam nulla sit haesitandi ratio. Non temere in hanc partem incumbit apostolus: nisi enim solide in Deo fundata sit fides, nunquam firmi in pugna stabimus. Hoc consilio docet apostolus nos Christi beneficio consequutos esse certam veri Dei notitiam, ut non fluctuemus incerti. Verum Deum intelligit non veraeem, sed eum qui re vera Deus est: ut eum ab idolis omnibus discernat. Ita verus fictitio opponitur. Est enim ἀληθινὸς, non ἀληθῆς. Quemadmodum Iehan. 17, 3, haec est vita aeterna, ut te cognoscant verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Christo autem has partes iure tribuit, ut mentes nostras in Dei notitiam illustraret. Nam quum unica sit invisibilis Dei imago, quum unicus patris interpres, quum unus sit vitae director: imo vita, lux mundi, et veritas: simul atque ab eo dissessimus, nos in figuris nostris evanescere necesse est. Dicitur autem Christus nobis intelligentiam dedisse, non modo quia evangelii doctrina ostendit quisnam sit verus Deus, et spiritu quoque suo nos illuminat: sed quia in Christo ipso Deum habemus in carne manifestatum, ut inquit Paulus (Coloss. 2, 9), quandoquidem in eo habitat omnis plenitudo deitatis, et absconditi sunt omnes scientiae et intelligentiae thessauri. Ita fit ut conspicua quodammodo Dei facies nobis in Christo reluceat. Non quod nulla fuerit ante Christi adventum, vel dubia Dei cognitio: sed quia nunc se pleniū et quasi ad liquidum patefecit. Atque hoc est quod dicit Paulus 2. ad Corinth. 4, 6, Deum qui iussit olim ex tenebris lucem splendescere in creatione mundi, nunc illuxisse cordibus nostris per fulgorem cognitionis gloriae suae, in facie Christi. Ac notandum est, solis electis peculiare esse hoc donum. Omnibus quidem promiscue evangelii sui facem Christus accedit: sed non omnibus oculatae sunt mentes ad videntium: quin potius velum caecitatis multis obduecit Satan. Lucem ergo apostolus intelligit, quam intus accedit Christus in cordibus suorum, et quae semel accensa nunquam extinguitur, etiam si in quibusdam ad tempus suffocari interdum contingat.


Sumus in vero. Hoc verbo admonet quam efficax sit cognitio illa, cuius meminit: quia scilicet per eam inserimur in Christum, et unum efficiemus cum Deo. Vivam enim radicem habet, ac cordibus penitus infixam: qua fit ut vivat in nobis Deus, et nos in ipso. Quoniam sine copula dicit, nos in vero esse, in filio eius, videtur modum ex-

primere nostre eum Deo unitatis: ac si diceret, nos in Deo esse per Christum.

Hic est verus Deus. Tametsi hunc locum eludere Ariani conati sunt, et illis hodie subseribunt quidam: hic tamen insigne habemus divinitatis Christi elegium. Ariani transferunt hoc ad patrem: quasi apostolus eum rursus praedicet esse verum Deum. Atqui nimis frigida esset repetitio. Bis iam testatus erat verum esse Deum, qui nobis in Christo innuit: quorsum me subiiceret, hic est verus Deus? In Christum vero apposite competit. Postquam enim Christum docuit esse ducem, cuius manu ad Deum dirigimur: nunc amplificandi causa Christum esse Deum illum affirmat, ne procul quaerendum putemus. Idque confirmat epithetum vitae aeternae. De uno certe ac eodem utrumque praedicat, quod verus sit Deus, ac vita aeterna. Omitto quod relativum ὄτος ad proximam personam restringi solet. Hec dico, Christum proprie vitam aeternam vocari: et hunc loquendi morem Iohanni esse perpetuum, negari non potest. Summa est, ubi Christum habemus, nos vero et aeterno Deo frui, quia non alibi quaerendus sit: deinde nos ita vitae aeternae fieri participes, quia in patre abscondita nobis in Christo offertur. Vitae quidem origo est pater: sed fons, ex quo haurire licet, Christus est.

21. *Custodite vos ab idolis.* Tametsi distineta est sententia, est tamen velut appendix superioris doctrinae. Nam vivifica lux evangelii non tenebras modo, sed nebulas quoque omnes discutere et fugare ex piorum mentibus debet. Nec idolatriam modo damnat apostolus, sed praecepit ut a simulacris ipsis caveant. Quo significat non posse integrum ac sincerum Dei cultum retineri, simulacra simulacra appetere homines incipiunt. Sic enim nebris ingenita est superstitione, ut minima quaque occasio nos contagione sua inficiat. Non tam facile ardebit lignum aridum carbene subiecto, quam cito idolatria hominum mentes corripit et occupat, dum illis materia obicitur. Quis autem simulacra non videt scintillas esse? Quid scintillas dico? Imo potius faces quae ad totius mundi incendium sufficient. Quamquam apostolus non de statuis modo loquitur: sed aras etiam et quaevis superstitionum instrumenta comprehendit. Ridiculi porro sunt papistae qui hoc ad statuas Iovis et Mercurii et similiūm detorquent: quasi vero non generaliter doceat apostolus, pietatis esse corruptelam, ubi corporea Deo figura affingitur, vel ubi eriguntur ad cultum statuae et picturae. Meminerimus ergo in spirituali Dei cultu ita sollicite manendum esse, ut quidquid nos ad crassas et carnales superstitiones flectere potest, procul a nobis arceamus.

COMMENTARIUS
IN
IACOBI APOSTOLI EPISTOLAM.



ARGUMENTUM.

Hanc epistolam non sine certamine olim recep-
tam a multis ecclesiis fuisse, ex Hieronymi Euse-
biique testimonio notum est. Sunt etiam hodie
nonnulli qui eam autoritate dignam non censeant.
Ego tamen, quia nullam eius repudiandae satis
iustum causam video, libenter eam sine controversia
amplector. Nam quod videtur capite secundo, gra-
tuitae iustificationis doctrina convelli, facile hoc suo
loco diluemus. Quod autem parcius in praedicanda
Christi gratia videtur, quam apostolo conveniat:
certe non est ab omnibus exigendum ut idem argu-
mentum tractent. Multum a stylo Davidis distant
Solomonis scripta. Nam quum hic posterior for-
mando externo homini, et tradendis politicae vitae
praeceptis magis sit intentus: illum assidue de spi-
rituali tum Dei cultu, tum conscientiae pace, Dei-
que misericordia, et gratuita salutis promissione
concionari, notum est. Atqui non facit haec diver-
sitas ut alterum probando, alterum damnemus.
Quin etiam inter ipsos evangelistas tantum est dis-
criminis in illustranda Christi virtute, ut reliqui
tres cum Iohanne comparati, vix scintillas habeant
pleni fulgoris qui in ipso tam conspicuus appareat.
Et tamen omnes peraeque exosculamur. Quare mihi
ad epistolam hanc recipiendam satis est, quod nihil
continet Christi apostolo indignum: multiplici vero
doctrina scatet, cuius utilitas ad omnes christianaes
vitae partes late patet. Sunt enim hic insignes

sententiae de patientia, de invocatione Dei, de coe-
lestis doctrinae praestantia et fructu, de humilitate,
de sanctis exercitiis, de linguae continentia, de
colenda pace, de reprimendis cupiditatibus, de praes-
entis vitae contemptu: et similes, quas sigillatim
suis locis excutiemus. Porro de autore maior aliquanto
est dubitandi ratio. Certum quidem est,
non esse Zebedaei filium, quem Herodes paulo post
Domini resurrectionem occidit. Veteres fere con-
sentient, fuisse unum ex discipulis, cognomine Ob-
liam, et Christi consanguinem, qui ecclesiae hiero-
solymitanae praefuerit. Et eundem esse arbitrantur,
quem Paulus in epistola ad Galatas, Petro et Io-
hanni annumerat, quos dicit pro columnis habitos.
Atqui inter tres columnas numerari unum ex dis-
cipulis, et supra decem apostolus efferri, mihi non
est probabile. Potius itaque in hanc conjecturam
inclinio, illum e quo loquitur Paulus, fuisse Alphaei
filium. Quamquam non nego alium fuisse ecclesiae
hierosolymitanae praefectum: et quidem ex disci-
pulorum collegio. Nam apostolus non oportuit certo
loco alligari. Uter autem ex duobus huius
epistolae scriptor fuerit, asserere meum non est. Fuisse
certe Obliam illum maxima apud Iudeos autori-
tatis, vel inde patet, quod quum factione impii pon-
tificis crudeliter necatus esset: Iosephus urbis ex-
cidium aliqua ex parte eius morti imputare non
dubitatur.

CAPUT I.

1. *Iacobus, Dei ac Domini Iesu Christi servus, duodecim tribibus, quae in dispersione sunt, salutem.*
2. *Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis.* 3. *Scientes quod probatio fidei vestrae, patientiam operatur.* 4. *Patientia vero opus perfectum habeat, ut sitis perfecti et integrati, in nullo deficientes.*

1. *Duodecim tribibus.* Quum abductae sunt decem tribus, captivos Assyrius in diversis sedibus collocavit. Postea ut in regnorum mutationibus (quales tunc acciderunt) fieri solet: verisimile est, huc et illuc eos seorsum migrasse. Iudei vero in omnes fere mundi regiones dissipati erant. Hos igitur omnes quos alloqui coram non poterat, quia procul dissiti erant, scripto hortatur. Quod autem de Christi gratia et fide in ipsum non disserit, haec videtur esse ratio, quod orationem ad eos dirigebat, qui iam ab aliis rekte instituti erant: ut non tam doctrina, quam exhortationum stimulis opus haberent.

2. *Omne gaudium.* Prima exhortatio: ut hilari animo tentationes excipiant, quibus probatur eorum fides. Fuit autem in primis necessarium sublevari eo tempore Iudeos, tot aerumnis pene oppressos. Sic enim erat infame gentis nomen, ut odio et contemptui essent omnibus populis, quoconque venerant. Christianorum vero miserior adhuc conditio erat, quod suos gentiles habebant hostes sibi infestissimos. Quamquam non ita uni tempori haec consolatio propria fuit, quin semper utilis sit fideliibus, quorum vita assidua est militia super terram. Caeterum ut melius sciamus quid velit, tentationes pro rebus adversis accipi non dubium est: quia sunt nostrae erga Deum obedientiae experientia. His dum exercentur fideles, eos gaudere iubet: neque id dum in unam duntaxat tentationem incident, sed in plures: neque unius tantum generis, sed multiplices ac varias. Et certe quum ad mortificandam carnem nostram valeant, sicuti in nobis continenter pullulant carnis vitia: ita illas subinde repeti necesse est. Deinde sicuti diversis morbis laboramus: sic diversa remedia adhiberi illis

curandis non mirum est. Vario ergo nos Dominus affilit: quia nou eodem curari possent pharmaco, ambitio, avaritia, aemulatio, gulae intemperies, nimius mundi amor, et innumerae libidines quibus scatemus. Quum iubot existimare omne gaudium, perinde est ac si diceret, ita in lucro deputandas esse, ut non nisi gaudendi sit materia. Deinde nihil esso in afflictionibus significat, quod gaudium nostrum obturbet. Atque hoc modo, non tantum praecipit, placide et aequo animo ferre res adversas: sed causam esse docet cur gaudeant fideles, dum illis premuntur. Certe quidem est, ita comparatos esse omnes naturae nostrae sensus, ut nos dolore et tristitia afficiat quaevi tentatio. Neque vero potest quisquam nostrum naturam catenus exuere, ut non doleat ac tristetur simulac sentit aliquid mali: sed hoc non obstat quin assurgent filii Dei, directione spiritus, supra carnis dolorem. Hinc fit ut vel in media tristitia non desinant tamen laetari.

3. *Scientes quod probatio.* Nunc videmus tentationes vocaverit res adversas: nempe quia fidei nostrae examinanda serviunt. Est autem hic causae redditio, ad confirmandam proximam sententiam. Poterat enim obiici ex adverso, Qui fieri potest ut quod amarum est sensu, dulce iudicemus? Ab effectu ergo ostendit, in afflictionibus gaudendum esse, quia fructum pariant magni aestimandum: nempe patientiam. Ergo si Deus saluti nostrae consultit, gaudendi materiam nobis praebet. Eodem utitur argumento Petrus, circa initium prioris epistolae: ut probatio fidei vestrae auro pretiosior sit in laudem, etc. Nam certe ideo et morbos, et inopiam, et exilium, et carcerem, et ignominiam, et mortem horremus, quia putamus mala esse. Quum autem intelligimus, Dei beneficio verti in salutis adiumenta, ingratitudinis esset obmurmurare, ac non sponte nos offerre illi adeo paterne tractandos. Paulus ad Romanos cap. 5, 3, gloriari dicit, pro eo quod Iacobus hic gaudere. Gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam efficit. Quamquam videtur quod mox subiicit, Iacobi verbis esse contrarium. Probationem enim tertio loco ponit, quasi patientiae effectum, quae hic prior ordine statuitur, tanquam causa. Verum

prompta est solutio: quia illic activa est verbi significatio, quae hic passiva est. Iacobo dicitur probatio efficere patientiam: quia nisi nos Dominus examinaret, sed re linqueret otiosos, nulla esset patientia: quae nihil est aliud quam animi fortitudo in malis perferendis. Paulus vero intelligit, dum patiendo mala vincimus, nos experiri quid Dei auxilium in necessitate valeat. Nam tunc quasi in re praesenti, nobis ostenditur Dei veritas. Ita fit ut plus spei in posterum concipere audeamus: veritas enim Dei, usu cognita, plus apud nos fidei obtinet. Ideo Paulus docet ex tali probatione, id est divinae gratiae experimento, spem nasci non quod tunc demum spes incipiat, sed quia augescit et confirmatur. Uterque vero significat tribulationem esse patientiae materiam: caeterum non ita naturaliter compositi sunt hominum animi, ut illis patientiam secum afferat afflictio. Sed Paulus et Iacobus non tam in hominum naturam, quam in Dei prouidentiam respiciunt: quasi fit ut fideles patientiam ex aerumnis discant: tametsi impii magis inde ac magis ad insaniam provocentur: quemadmodum Pharaonis exemplum ostendit.

4. *Patientia vero opus perfectum.* Quoniam saepe in nobis se efferunt generosi spiritus, ac statim concidunt: ideo constantiam requirit. Haec, inquit, vera erit patientia, quae in finem usque durabit. Nam opus hic pro effectu capitur. Nec tantum ut simus in uno certamine superiores, sed ut perstemus tota vita. Posset etiam perfectio ista ad sincerum animi affectum referri, ut sponte se homines ac non simulate Deo subiiciant: sed quia nomen operis additur, malo de constantia expondere. Nam multi (ut diximus) qui heroicam initio magnitudinem prae se ferunt, paulo post fatigantur. Quare ad extremum perseverare iubet, qui perfecti esse volunt ac integri. His autem duobus nominibus significat quod statim exponit. Hoc est, qui non deficiunt vel fatiscunt. Nam qui victi impatientia franguntur, eos paulatim minui, et tandem prorsus deficere necesse est.

5. *Porro si quis vestrum destituitur sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus simpliciter, nec exprobrat: et dabitur ei.* 6. *Postulet autem in fide, nihil haesitans.* Nam qui haesitat, similis est fluctui maris qui vento agitur et circumfertur. 7. *Non ergo existimet homo ille quod sit quidquam accepturus a Domino.* 8. *Vir dupli animo, instabilis est in omnibus viis suis.*

5. *Si quis destituitur.* Quoniam ab eo ratio nostra, adeoque sensus omnes abhorrent ut nos credamus beatos esse in malis: ideo petendum esse a Domino praecipit, ut hac sapientia nos imbuat. Nam sapientiae nomen, ad circumstantiam praे-

sentis loci restringo: ac si diceret, si haec doctrina ingenii vestri captu altior est, petite a Domino ut vos spiritu suo illuminet. Nam ut sola illa consideratio ad mitigandam quamlibet malorum acerbitudinem sufficit, salutare esse nobis quod carni molestum est: ita nisi hoc solatii genere sustinemur, necesse est impatientia vinci. Sic videmus Dominum non ita a nobis oxigere quae sunt supra vires, quin paratus sit opitulari, modo petamus: quare simul atque aliquid praecipit, discamus ab eo petere praestandi facultatem, quamquam autem hoc loco sapere est subiicere se Deo ad mala toleranda, ubi rite expendimus sic eum omnia moderari, ut in salutem nostram cedant: potest tamen hanc sententia generaliter aptari ad omnes rectae intelligentiae partes. Verum cur dicit si quis, quasi non omnes indigeant? Respondeo, destitui quidem omnes naturaliter: sed alios spiritu prudentiae donatos esse, quo alii carent. Quoniam itaque non omnes eo progressi sunt, ut sibi iu afflictione gratalenter, sed pauci quibus hoc datum est: ideo occurrit Iacobus, ac eos admonet, quibus nondum persuasum est, cruce salutem nostram a Domino promoveri, ut se hac sapientia donari postulent. Et tamen non dubium est quin omnes admoneat necessitas, idem petere. Qui enim aliquo usque profecit, longe adhuc abest a meta. Sed aliud est, augmentum petere, quam initium: quum iubet a Domino petere, significat eum esse unum qui morbis nostris potest mederi, et inopiae subvenire.

Qui dat omnibus simpliciter. Omnes intelligit qui petunt: nam qui remedia non quaerunt suae egestati, digni sunt qui in ea tabescant. Magnam tamen vim habet universalis oratio, qua sine exceptione unumquemque nostrum invitat: quare nemo se privare debet tanto bono. Huc accedit promissio quae mox annectitur. Nam sicuti hoc mandato demonstrat quale sit cuiusque officium: ita non frustra facturos quod praecipit, affirmat: secundum illud Christi: Pulsate, et aperietur. Particula simpliciter, dandi promptitudinem denotat. Sic ad Romanos cap. 12, 8, Paulus a diaconis simplicitatem requirit. Et secundae ad Corinthios octavo et nono, quum de eleemosynis disputat, aliquoties repetit eandem vocem. Sensus ergo est, Deum ita ad dandum esse propensum ac facilem, ut neminem repudiet vel fastidiose differat: nec similem parcis ac tenacibus, qui vel maligne, quasi semiclausam manu, tenuiter erogant: vel aliquid ex eo quod erant daturi, rescindunt: vel diu secum intus alternant, daturi sint necne.

Nec exprobrat. Hoc additum est, ne quis Deum saepius adire metuat. Qui ex hominibus maxime sunt liberales, tametsi identidem quispiam iuvari se postulet, priora beneficia commemorant: atque ita excusant in posterum: quare hominem mortalem

quantumvis largum nos fatigare pudet saepius petendo. Iacobus autem nihil in Deo similo osse admonet: quoniam priora beneficia sine fine ac modo novis subinde cumulare paratus sit.

6. *Postulet autem in fide.* Primum hic docet quao legitima sit orandi ratio. Nam sicuti orare, nisi praeceunte verbo, non possumus: ita antequam oremus, credere nos oportet. Precando enim testamur gratiam, quam Deus promisit, nos ab eo sperare. Ita quisquis fidem non habet promissionibus, simulate orat. Hinc quoque discimus quae sit vera fides: nam simul ac praecepit Iacobus cum fide petero, addit explicationem, nihil haesitando. Ergo fides est quao Dei promissionibus freta, nos impetrandi quod petimus, certos reddit: unde sequitur, cum fiducia et certitudine divini in nos amoris esse couiunctam. Verbum διαχρήσθαι, quo utitur, proprie in utramque partem, disceptantium more, inquirere significat. Vult ergo sic nobis persuasum esse quod semel Deus promisit, ut in dubitationem non vocemus, exaudiendi simus necne.

Qui haesitat. Eleganter hac similitudine exprimit qualiter Deus eorum infidelitatem puniat, qui de missis suis dubitant. Sua enim ipsi inquietudine intus se ipsos excruciant: quoniam nulla usquam est animis nostris tranquillitas, nisi dum recumbunt in Dei veritatem. Tandem eonecludit indignos esse tales qui a Deo quidquam impetrent. Insignis est hic locus ad refellendum impium illud dogma quod in toto papatu pro oraculo habetur: nempe dubitanter et incerta successus opinione esse orandum. Quare principium hoc teneamus, non aliter exaudiri preces nostras a Domino, nisi quum adest impetrandi fiducia. Fieri quidem non potest in hac carnis infirmitate quin variis temptationibus agitemur, quae sunt veluti machinae ad labefactandam nostram fiduciam: ita nemo reperietur qui non sensu carnis suae vacillet ac trepidet: sed oportet eiusmodi temptationes fide tandem superari. Quemadmodum arbor, quae firmas radices iecit, petitur quidem venti impulsu, sed non revellitur: quin potius suo loco stabilis manet.

8. *Vir duplice animo.* Potest haec sententia seorsum legi, ut generaliter de hypocritis loquatur: mihi tamen magis videtur superioris doctrinae esse clausula: atque ita erit tacita antithesis inter Dei simplicitatem, cuius meminit prius, et duplificem hominis animum. Sieuti enim exorrecta manu nobis Deus largitur: ita vicissim sinum cordis nostri expansum esse decet. Incredulos ergo, qui fluxuosos recessus habent, dicit esse instabiles, quia nunquam unum et idem constitutum habent: sed nunc turgent carnis confidentia, nunc desperatione in profundum merguntur.

9. *Porro glorietur frater humilis in sublimitate*

sua: 10. *dives autem in humilitate sua, quia tanquam flos herbae praeeribit.* 11. *Nam sol exortus est cum auctu, et exarescit herba, et flos eius cecidit, et decor adspectus eius periit: sic et dives in suis viis marescet.*

9. *Frater humilis.* Quomadmodum Paulus quum servos hortatur (1. Cor. 7, 22) ad tolerandam aequo animo sortem suam, hanc illis consolationem proponit, quod liberti sint Dei, manumissi eius gratia e miserrimo Satanae servitio: ingenuos autem admonet ut se Dei servos esse meminerint: ita hic noster eodem sensu iubet humiles in eo gloriari, quod a Domino adoptati fuerint in filios: divites autem, quod ostensa mundi vanitate, in ordinem coacti fuerint. Ita priores vult esse contentos humili et abiecta sua conditione: secundos autem superbire vetat. Quum baec summa et incomparabilis sit dignatio, quod in societatem angelorum affecti simus, imo Christi consortes facti: qui tantum Dei beneficium suo pretio aestimat, reliqua omnia susque deque faciet. Ergo nec paupertas, nec contemptus, nec nuditas, nec fames, nec sitis, eius animum ita anxiū habebunt, quin se hac consolatione sustentet: quando mihi quod praecipuum erat, Dominus contulit, aliis minoribus carere aequo animo decet. En quomodo frater abiectus gloriari debeat in sua sublimitate: quia si gratus est Deo, in sola adoptione sua satis plenam habet consolationis materiam, ne minus prospero vitae statu ultra modum angatur.

10. *Dives in humilitate.* Speciem pro genere posuit. Pertinet enim haec admonitio ad omnes qui vel honore, vel nobilitate, vel aliis rebus exteris excellunt. Eos in humilitate, vel parvitate sua gloriari iubet: ut comprimat altos illos spiritus, qui ex rebus prosperis inflari solent. Porro, *humilitatem* appellat, quia regnum Dei patefactum, nos in contemptum mundi adducere debet: ut sciamus omnia quae prius in magna admiratione erant, vel nihili, vel admodum exsilia esse. Christus enim, qui non nisi parvolorum magister est, omnem carnis fastum sua doctrina retundit. Ergo ne divites abripiat inane mundi gaudium, assuescant in sue carnis excellentiae deiectione gloriari.

Tanquam flos herbae. Si quis ad verba Iesaiæ alludere Iacobum putet, non valde repugno: sed nou coneedam testimonium prophetæ ab eo citari, qui non de bonis fortunæ tautum et evanida mundi figura loquitur, sed de toto homine: nec de corpore magis quam anima. Hic autem de opum vel bonorum pompa agitur. Summa autem est, stultam esse et praeposteram gloriationem in divitiis, quae momento effluunt. Idem docent philosophi: verum surdis canitur fabula, donec apertæ sint aures a Domino, ad audiendam coelestis regni aeternitatem.

Ideo dicit frater, significans non ante locum esse huic doctrinae, quam dum asciti in ordinem filiorum Dei sumus. Tametsi recepta est lectio ἐν ταῖς πορείαις: tamen Erasmo assentior, potius legendum esse πορείας absque diphthongo, in opibus, vel cum opibus: quod posterius mihi magis placet.

12. *Beatus vir qui suffert temptationem: quoniam quem probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam promisit Deus diligentibus ipsum.* 13. *Nemo quum tentatur, dicat, a Deo tentor. Deus enim nec tentari malis potest, nec quemquam tentat.* 14. *Sed unusquisque tentatur, dum a sua concupiscentia abstrahitur et inescatur.* 15. *Postquam autem concupiscentia concepit, parit peccatum: peccatum vero perfectum, generat mortem.*

12. *Beatus vir.* Postquam adhibita consolatione, temperavit eorum dolorem qui duriter tractantur in hoc mundo, et rursum humiliavit magnorum supercilia: nunc concludit beatos esse qui aerumnas et alias tentationes magno animo perferunt, ita ut superiores emergant. Posset quidem nomen temptationis aliter accipi, nempe pro cupiditatum aculeis qui intus animum pungunt: sed existimo fortitudinem in perferendis rebus adversis hic laudari. Ut sit paradoxum, non esse beatos, ut vulgo putantur, quibus ex voto omnia proveniunt: sed qui malis non vincuntur.

Quoniam quem probatus. Rationem reddit superioris sententiae: nam corona sequitur certamen. Ergo si summa beatitudo est, in regno Dei coronari: sequitur, certamina, quibus nos Dominus exercet, adiumenta esse nostrae felicitatis. Ita argumentum est a fine, vel ab effectu: unde colligimus, ideo tot malis vexari fideles, ut manifesta fiat eorum pietas et obedientia: sive denum ad recipiendam vitae coronam praeparari. Caeterum perperam ratione inantur qui inde inferunt, nos coronam pugnando mereri. Nam quum eam gratuito nobis Deus destinaverit, tantum ad eam recipiendam nos aptat. Nam quod subiicit, promissam esse iis qui Deum diligunt: ita loquendo, non asserit dilectionem hominis esse causam (praevenit enim nos Deus suo erga nos amore), sed tantum significat, eos demum approbari Dei electos, qui ipsum diligunt. Interea admonet, victores omnium temptationum fore qui Deum amant: nec alia de causa nos animo defici quum tentamur, nisi quia praevaleret mundi amor in nobis.

13. *Nemo quum tentatur.* Hic vero non dubium est quin de alio temptationis genere disserat. Plus satis notum est, temptationes omnes externas, quarum hactenus facta est mentio, nobis a Deo immitti. Hoc sensu tentavit Deus Abram, et quotidie nos tentat: hoc est, experitnr quales simus, obiecta

patefaciendi animi nostri occasione. Sed longe aliud est, extra elicore quod in animis latebat, quam animos intus sollicitare pravis cupiditatibus. De temptationibus ergo intornis hic tractat, quae nihil aliud sunt quam inordinati appetitus qui nos ad peccandum incitant. Illorum autorem merito Deum esse negat: quoniam ex carnis nostra corruptione manant. Haec admonitio valde necessaria est, quia nihil hominibus est magis usitatum quam malorum, quae quisque perpetrat, culpam alio transscribere: tunc autem maxime videntur sibi liberari, si eam in Deum ipsum derivent. Hoc tergiversandi artificium a primo homino traditum sedulo imitamus. Hac de causa Iacobus nos ad proprii reatus confessionem vocat, ne Deum substituamus nostro loco, ac si nos ipse ad peccandum impelleret. Verum huic sententiae videtur reclamare tota scripturae doctrina, quae homines tradit excaccari a Deo, concili in sensum reprobum, prostitui in cupiditates foedas et illicitas. Respondco, hac quoque ratione fortassis inductum fuisse Iacobum ut negaret a Deo nos tentari, quia impii ad captandum colorem scripturae testimonii se armant. Verum duo sunt hic notanda. Nam quum scriptura excaecationem vel obdurationem cordis tribuit Deo, neque illi initium assignat, neque facit mali autorem, ut culpam sustinere debeat. In his autem duobus solum Iacobus insistit. Scriptura reprobos a Domino concili asserit in pravas cupiditates. An quia Dominus cor eorum depravet vel corrumpat? Minime: ideo enim subiicit pravis desideriis, quia iam corruptum et vitiosum erat. An vero quum excaecat vel indurat Deus, peccati autor est vel minister? Imo hoc modo peccata ulciscitur, iustumque mercedem impiis repedit, qui spiritu suo regi abnuerunt. Sequitur ego, neque peccati originem esse in Deo, neque illi culpam imputari posse quasi ex malis voluptatem capiat. Summa est, frustra tergiversari hominem qui vitiorum suorum culpam reiicere in Deum conatur: quia non ex alio fonte proveniat quidquid est malorum, quam ex perversa hominis concupiscentia. Atque ita sane res habet, non aliunde nos impelli, sed cuique pravum suum effectum esse ducem ac impulsorem. Deum vero neminem tentare, inde probat, quia malis non tentatur. Nam ideo nos ad peccandum diabolus sollicitat, quia insana peccandi cupiditate totus ardet: Deus autem malum non appetit: ergo neque male agendi nobis autor est.

14. *Dum a sua concupiscentia.* Quum interior sit ad malum motus et incitatio, frustra ab externo impulsu excusationis praetextum quaeret peccator. Quamquam notandi sunt hi duo concupiscentiae effectus, quod nos illecebris inescat, et quod nos abstrahit: quorum singuli ad reatum sufficiunt.

15. *Postquam concepit.* Principio concupis-

centiam hic appellat, non quemvis appetitum, sed appetitum omnium fontem. Ab eo docet concipi vitiosos foetus, qui tandem emergunt in peccata. Videtur tamen improprie, et nequaquam ex scripturae usu, ad externa opera restringere peccati vocem: quasi vero non esset ipsa concupiscentia per se peccatum: quasi etiam perversa desideria, quae intus clausa et suppressa manent, non totidem essent peccata. Verum quum multiplex sit verbi usus, nihil est absurdum si pro actuali peccato hic sumitur, quemadmodum et aliis pluribus locis. Ac imperite hoc testimonium arripiunt papistae, dum ex eo probare volunt, non esse peccata, vitiosas, imo foedas, sceleratas, et plusquam nefandas cupiditates, modo ne accedit consensus. Neque enim disputat Iacobus, quando incipiat nasci peccatum, ita ut peccatum sit, ac reputetur coram Deo: sed quando emergat. Sic enim gradatim procedit, mortis aeternae causam esse consummationem peccati: peccatum autem oriri ex illicitis desideriis: iam illuc ita desideria radicem habere in concupiscentia. Unde sequitur, homines in aeterno interitu fructum colligere, quem ipsi protulerunt. Perfectum itaque peccatum non intelligo unum aliquid opus perpetratum, sed cursum peccandi completum: tametsi enim unicuique peccato mors debetur, dicitur tamen stipendum esse impiae et sceleratae vitae. Ita resellitur eorum delirium qui ex his verbis colligunt, non esse mortale peccatum, donec in exteriorem (ut vocant) actum proruperit. Neque enim hoc tractat Iacobus: sed tantum in hoc versatur, ut radicem nostri exitii in nobis esse doceat.

16. *Ne erretis, fratres mei dilecti: 17. omnis donatio bona, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum: apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio. 18. Is sua voluntate genuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiae quaedam suarum creaturarum.*

16. *Ne erretis.* Argumentum est a repugnabilius. Nam quum Deus omnis boni autor sit, absurdum est censeri malorum autorem. Proprium, inquam, et naturale illi est benefacere, a quo bona omnia nobis proveniunt: ergo quidquam mali agere, in eius naturam non cadit. Sed quia interdum accedit ut qui praecclare alias se gerit tota vita, simul labatur aliqua in parte: huic dubitationi occurrat, dum negat Deum instar hominum esse mutabilem. Quod si in omnibus et semper sui similis est, ex hac constantia sequitur, perpetuum in eo beneficiandi tenorem esse. Haec ratiocinatio longe alia est quam Platonis, qui contendit nullas hominibus calamitates a Deo immitti, quia bonus est. Nam quia aequum est puniri a Deo hominum sceleris, eius respectu, in malis deputare non convenit

quas iuste poenas irrogat. Plato quidem imperite: at Iacobus puniendi ius et officium Deo relinquens, tantum culpam ab eo avertit. Hie locus docet, ita innumeris Dei beneficiis, quae ex eius manu quotidie percipimus, affici nos debere, ut nihil cogitemus nisi in eius gloriam: quaecunque vero aut in mentem nobis veniunt, aut ab aliis ingeruntur, minus consestanea cum eius laude, toto pectore exhorreas. Pater luminum vocatur Deus, quasi omnis et praestantiae et bene compositi ordinis. Et quum mox subiicit nullam in eo esse conversionis obumbrationem, perseverat in metaphora, ne Dei splendorum metiamur solis irradiatione quae nobis appareat.

18. *Is sua voluntate, etc.* Eius quam praedicavit divinae bonitatis praecipuum nunc specimen in medium adducit: nempe quod nos regeneravit in vitam aeternam. Hoc inaestimabile beneficium unusquisque fidelium in se sentit: ergo bonitas Dei omnibus experimento comperta tollere debet contrariam opinionem. Quum Deum volentem, aut sponte sua nos genuisse dicit, significat nulla externa causa fuisse induxit: quemadmodum saepe voluntas et consilium Dei hominum meritis opponi solent. Quid enim magni esset, si negaret Deum ad id fuisse coactum? Plus ergo quiddam exprimit, quod Deus pro suo beneplacito nos genuerit, atque ita sibi fuerit causa. Unde sequitur, naturale esse Deo benefacere. Caeterum hic locus docet, quemadmodum gratuita fuit nostra electio ante mundum conditum, ita nos mera Dei gratia illuminari in notitiam veritatis: ut vocatio electioni respondeat. Docet scriptura nos gratis adoptatos fuisse a Deo, antequam nasceremur: Iacobus autem hic plus quiddam exprimit, nos ius adoptionis consequi, quoniam gratis quoque nos vocat Deus. Praeterea hinc discimus proprium esse Dei officium, spiritualiter nos gignere. Nam quod idem adscribi interdum videtur evangelii ministris, non aliter valet nisi quia per illos agit Deus: et fit quidem per illos, ut solus nihilominus agat. Genitura nomen significat nos fieri novos homines, ut priorem naturam exuamus quum efficaciter vocamur a Deo. Addit quomodo nos regeneret Deus, nempe per sermonem veritatis: ut sciamus non alia ianua posse nos ingredi in regnum Dei.

Ut essemus primitiae quaedam. Tuvè aut Quae-dam, similitudinis est nota, ac si dixisset, nos quodammodo esse primitias. Porro id ad paucos fidelium restringi non debet, sed pertinet ad omnes communiter. Nam quum homo inter omnes creaturas excellat, Dominus fideles suos ex aliorum grege eligit ac segregat sibi in sanctam oblationem. Haec non vulgaris est nobilitas, in quam filios suos Deus extollit. Quare merito dicuntur eximi tanquam primitiae, dum in illis instauratur Dei imago.

19. *Itaque, fratres mei dilecti, sit omnis homo celer ad audiendum, tardus autem ad loquendum, tardus ad iram.* 20. *Ira enim hominis iustitiam Dei non operatur.* 21. *Quapropter deposita omni immunitate, et redundantia malitia, cum mansuetudine suscipite insitum sermonem qui potest servare animas vestras.*

19. *Sit omnis homo.* Si haec sit generalis sententia, longe petita erit illatio: sed quia de sermone illo veritatis sententiam proximae congruentem mox annectit, non dubito quin hanc exhortationem peculiarter institute suo accommodet. Ergo proposita Dei bonitate, ostendit qualiter ad recipiendum incomparabile istud beneficium quo nos afficit, comparatos esse deceat. Quae doctrina perquam utilis est. Neque enim unius momenti opus est spiritualis generatio: quando semper manent quaedam veteris heminis reliquiae, assidue nos refungi necesse est, donec aboleatur caro. Nostra autem vel ferocia, vel arrogantia, vel socordia, magnum est impedimentum Deo ne suum in nobis opus perficiat. Quare dum Iacobus nos celeres ad audiendum esse vult, promptitudinem commendat: ac si diceret: Quando se ita liberaliter vobis offert Deus, vos quoque illi dociles praebete: ne illi moram afferat vestra tarditas. Quoniam autem dum nimium sapere nobis videmur, non sustinemus placide loquenter audire Deum, sed nostra festinantia quodammodo abrumpimus eius sermonem: silentium apostolus nobis imperat. Et certo nemo unquam bonus erit Dei discipulus, nisi qui silendo eum audiet. Non imperat tamen pythagoricae scholae silentium, ne sit fas inquirere quoties discere cupimus quod est utile cognitu: sed tantum vult proterviam nostram corripere, ne, sicut fieri solet, intempestive obstrepamus Deo: et quamdiu sacrum os habet apertum, illi animos auresque nostras aperiamus, non autem occupemus ipsi loqui.

Tardus ad iram. Iram quoque damnari puto, quatenus audientiam, quam sibi Deus fieri postulat, quasi tumultuando perturbat vel impedit. Neque enim Deus, nisi sedato animo, audiri potest. Ideo addit, quamdiu ira regnum habet, non esse locum Dei iustitiae. Denique, nisi facessat contentionis fervor, nunquam Deo praestabimus illam silentii moderationem, de qua nuper loquutus est.

21. *Quapropter deposita.* Concludit iam qualiter recipiendus sit sermo vitae. Ac primum quidem rite suscipi negat nisi inseratur, vel radices agat in nobis. Nam haec loquutio suscipere insitum sermonem, in hanc aut similem resolvi debet, Ita suscipite ut vere inseratur. Alludit enim ad semen quod saepe in arida loca cadit, nec humido terrae sinu excipitur: vel ad surculos qui in terram proiecti, aut ligno mortuo superiecti marcescunt.

Praecipit igitur, ut viva fiat insitio, qua voluti cum corde nostro coalescat. Simul modum huius receptionis ostendit: nempe, in manus et unde. Quo verbo significat modestiam et facilitatem mentis ad discendum compositae: qualem Iesaias describit (57, 15), quum dicit: Super quem requiescat spiritus meus, nisi super humilem et quietum? Hinc fit ut tam pauci in Dei schola proficiant: quia vix centesimus quisque spiritus sui ferociam deponit, ut se Deo comiter subiiciat: sed omnes fere elati et refractarii accedunt. Nos vero, si cupimus esse viva Dei plantatio, subigendis in humilitatem nostris ingenii demus operam, ut tanquam agni nos a pastore nostro regi sinamus. Sed quia nunquam ita cicurantur homines, ut pacato mitique sint animo, nisi ante pravis suis affectibus repurgati fuerint: ideo iubet immunditiam et malitiae redundantiam depovere. Et quoniam ab agricultura similitudinem mutuatur Iacobus: hic ordo tenendus fuit, ut ab herbis vitiosis extirpandis inciperet. Quum autem omnes alloquatur, hinc colligendum est, ingenita naturae nostrae esse haec mala, et haerere in nobis omnibus. Imo quum apud fideles verba faciat, nunquam in hac vita nos penitus his mundari ostendit, verum subinde repullulare: ideoque assiduam eradicandi curam requirit. Primo quoniam sacra res est Dei sermo: ut ad eum recipiendum aptemur, exuere sordes, quibus inquinati sumus, convenit. Sub nomine κακίας, tam hypocrisin et contumaciam, quam perversas omnes cupiditates comprehendit. Nec contentus sedem malitiae assignare in hominis anima: adeo copiosam illic malitiam residere docet, ut extendet, vel quasi in cumulum assurgat. Et certe quisquis se bene excusserit, immensum in se reperiet malorum chaos.

Qui potest servare. Magnificum coelestis doctrinae encomium, quod certam ex ea salutem consequimur. Est autem additum, ut sermonem illum instar thesauri incomparabilis, et expetere, et amare, et magnificare discamus. Est ergo acris ad castigandam nostram ignaviam stimulus, sermonem, cui solemus tam negligenter aures praebere, salutis nostrae esse causam. Tametsi non in hunc finem, servandi vis sermoni adscribitur, quasi aut salus in externo vocis sonitu inclusa foret, aut servandi munus Deo ablatum, alio transferretur. Nam de sermone tractat Iacobus qui fide in corda hominum penetravit: et tantum indicat, Deum salutis autorem, evangelio suo eam peragere.

22. *Estote factores sermonis, et non auditores solum, fallentes vos ipsos.* 23. *Nam si quis auditor est sermonis, et non factor: hic similis est homini consideranti faciem nativitatis suae in speculo.* 24. *Consideravit enim se ipsum, et abiit, et protinus oblitus est qualis sit.* 25. *Qui vero intuitus fuerit in legem*

perfectam, quae est libertatis, et permanserit, hic non auditor oblivious, sed factor operis, beatus in opere suo erit. 26. *Si quis videtur religiosus esse inter vos, nec refracnat linguam suam, sed decipit cor suum: huius inanis est religio.* 27. *Religio pura et impoluta eoram Deo et patre, haec est: visitare pupilos et viduas in afflictione ipsorum, immaculatum servare se a mundo.*

22. *Estote factores.* Factor hic, non quemadmodum ad Romanos cap. 2, 13, eum significat, qui legi Dei satisfacit, omnique ex parte eam implet: sed qui sermonem Dei ex animo amplectitur, vitaque testatur, serio se ereditasse, iuxta hanc Christi sententiam: Beati qui audiunt sermonem Dei, et custodiunt eum (Luc. 11, 28). Nam hic a fructibus declarat quaeam sit illa insitio cuius meminit. Observandum praeterea est, fidem simul eum aliis operibus a Iacobo comprehendendi, imo eam in primis: sicuti praeceps opus est quod a nobis Deus exigit. Summa est, dandam esse operam, ut radices agat in nobis verbum Domini, quo postea fructificet.

23. *Similis est homini.* Est quidem coelestis doctrina speculum, in quo se Deus conspiciendum nobis offert: sed ita, ut in eius imaginem transfiguremur, sicut ait Paulus 2. Corinth. 3, 18. Hic autem de externo oculorum coniectu agitur, non de viva et efficaci contemplatione quae in cor ipsum penetrat. Elegans similitudo, qua breviter significat, nihil prodesse quae auditu modo, non autem interiore cordis affectu percipitur doctrina: quia mox evanescit.

25. *In legem perfectam.* Postquam de inani speculatione loquutus est, nunc ad penetrabilem illum intuitum descendit qui nos in Dei similitudinem transformat. Quia autem negotium habet cum Iudeis, nomen legis familiariter illis notum, pro universa Dei doctrina usurpat. Porro cur legem perfectam vocet, ac libertatis, non assequuti sunt interpretes: quia antithesis hic notari non animadvertebant, quae ex aliis scripturae locis colligitur. Quamdiu externa hominis voce praedicitur lex, non autem digito aut spiritu Dei inscribitur in corda, mortua litera est, ac velut corpus exanime. Mutilam ergo legem ceuseri, donec corde recipiatur, mirum non est. Eadem et servitutis ratio. Nam (quemadmodum ad Galatas cap. 4, 24, docet Paulus) a Christo separata, in servitutem generat: et quemadmodum idem ad Rom. 8, 15, tradit, nihil quam dissidentia et metu deiicere nos potest. Spiritus vero regenerationis, qui eam visceribus nostris insculpit, adoptionis gratiam similiter affert. Perinde ergo hoc valet ac si dixisset Iacobus, Ne amplius servilis sit legis institutio, sed vos potius in libertatem asserat: ne amplius sit paedagogus tantum, sed ad perfectionem adducat: eam

sineero cordis affectu a vobis recipi oportet, ut pie saneteque vivatis. Porro quum hoc esse novi testamenti beneficium, ut lex Dei nos reformat, ex Ieremias (31, 33) testimonio et compluribus aliis pateat: sequitur id non posse obtineri donec ad Christum ventum fuerit. Et certe solus ipse est legis finis ac perfectio. Ideo libertatem addit Iacobus, velut individuam comitem: quia nunquam regenerat nos Christi spiritus, quin divinae adoptionis pariter sit testis atque arrhabo, ut metu et trepidatione corda nostra liberet.

Permanserit. Hoc est, fixus perstiterit in illa Dei cognitione. Et quum addit, beatus erit in opere suo, significat in ipsa actione sitam esse beatitudinem, non in auditione frigida.

26. *Videtur religiosus.* Nunc in iis etiam qui se legis factores esse praesertim ferunt, vitium, quo laborant communiter hypocritae, reprehendit: nempe linguae proterviam ad detrahendum. Antehac de linguae continentia aliquid attigit: sed alio fine, nam tunc iubebat silentium nos praestare Deo, quo essemus ad discendum melius compositi. Iam aliud tractat, Ne maledicendo linguam exerceant fideles. Porro hoc vitium nominatim oportuit taxari quum de legis observatione sermo esset. Nam qui crassiora virtutia exuerunt, huic morbo sunt ut plurimum obnoxii. Qui neque adulter erit, neque fur, neque ebriosus, quin potius externa sanctimoniae specie fulgebit, aliorum famam lacerando, se iactabit: zeli quidem praetextu, sed obtrectandi libidine. Proinde hic veros Dei cultores discernere voluit ab hypocritis, qui pharisaico supercilioso ita turgent ut laudem captent ex aliorum omnium supplicatione.

Si quis videtur, inquit, hoc est, alioqui speciem habet sanctimoniae: interea autem maledicendo se oblectat, hinc convincitur non vere Deum colere. Nam quum dicit, Religionem eius vanam esse, non modo significat reliquas virtutes maledicentiae labore corrupti, sed colligit non sincerum esse pietatis studium quod apparent.

Sed cor suum decipit, Mihi non placet Erasmi versio: Sinit aberrare. Fontem enim petulantiae, cui addicti sunt hypocritae, designat quo immodico sui amore cacci, longe se meliores esse quam sunt, sibi persuadeant. Et certe hinc obtrectandi morbus, quia non conspicitur pendens a tergo mantica, ut est in Aesopi apolo. Bene ergo Iacobus, qui effectum corrigeret volens, hoc est, maledicendi libidinem, causam attexuit, quod scilicet hypocritae plus aequo sibi indulgent. Propensi enim ad condonandum essent, si vicissim agnoscerent se indigere aliorum venia. Blanditiae ergo quibus se fallunt, vitiis suis parcendo, tam superciliosos faciunt aliorum censores.

27. *Religio pura.* Quum ea, quae maximi in

religione sunt momenti, praetereat: non definit in universum quid sit religio: sed admonet religionem sine his minime constare. Quemadmodum si quis vino et crapulae deditus, se temperantem esse iactet: alter vero contra excipiat, temperantem esse qui vino et epulis se non ingurgiat: huius consilium non erit, totam temperantiae naturam exprimere, sed partem duntaxat unam assumet, quae praesenti cause sit accommoda. Illi enim παταρίδηρης, de quibus disputat, ut plurimum otiosi sunt ostentatores. Ideo Iacobus aliunde aestimandam esse religionem, quam ex caeremoniarum pompa docet. Esse enim seria exercitia in quibus occupare se debeant Dei cultores. Visitare in necessitate, est porrigere manum ad eos allevandos qui premuntur. Quum autem sint alii quoque complures quibus Dominus succurrere iubet: synecdochice de viduis et pupillis meminit. Quare non dubium est quin sub una ista specie, totam caritatem nobis commendet: ac si diceret, Qui vult haberi religiosus, talem se probet sui abnegatione, et misericordia in proximos ac beneficentia. Dicit autem, apud Deum, ut significet aliter quidem videri hominibus, qui externis larvis ducuntur: sed quarendum esse quid Deo placeat. Deum et patrem, sic resolve, Deum qui pater est.

CAPUT II.

1. *Fratres mei, ne in acceptioribus personarum fidem habeatis Domini nostri Iesu Christi ex opinione.* 2. *Si enim ingressus fuerit in coetum vestrum vir, aureos annulos gestans, veste induitus splendida: ingressus autem fuerit et pauper in sordida veste:* 3. *Et respexeritis in eum qui vestem fert splendidam, ac ei dixeritis: tu sede hic honeste: et pauperi dixeritis: tu sta illic: vel: sede sic sub scabello pedum meorum:* 4. *annon diiudicati estis in vobis ipsis, et facti iudices malarum cogitationum?*

Videtur primo adspectu reprehensio haec dura et absurda. Est enim hoc unum inter officia humanitatis non negligendum, honore afficere eos qui in mundo excellunt. Deinde si acceptio personarum vitiosa est, eximendi erunt servi ab omni subiectione: quia libertas et servitus in personas a Paulo deputantur. Idem et de magistratibus sentiendum erit. Sed harum quaestionum facilis erit solutio, si non separantur quae Iacobus coniungit. Neque enim simpliciter improbat quod honore prosequantur divites: sed quod id faciant cum pauperum contumelia: idque melius patebit ex sequentibus, quum omnia revocabit ad caritatis regulam. Quare meminerimus, eam damnari acceptio personarum, qua sic extollitur dives ut iniuria fiat

pauperi. Quod etiam verborum contextus clare ostendit. Et sane ambitiosus est bonus plonusque vanitatis, qui diviti exhibetur paupere contempto. Nec dubium est quin regnet ambitio et vanitas, ubi solae huius mundi larvae sunt in pretio. Tendum est illud axioma, censeri inter regni Dei haeredes, qui reprobos contemnit, honorat autem timentes Dominum. Hic ergo contrarium vitium damnatur, quum scilicet solo divitiarum respectu, etiam malos honore prosequitur quispiam, cum bonorum contumelia, ut dictum est. Quare si seorsum legas: Peccat qui diviti assurgit: absurdum erit sententia. Si autem coniunctim, Peccat qui solos divites honore dignatur, quum pauperes despiciat, imo probroso tractet: pia et vera doctrina erit.

1. *Ne fidem in acceptioribus.* Significat personarum acceptiones sic discrepare a fide Christi, ut simul iungi nequeant: idque merito. Fide enim coalescimus in unum corpus, in quo Christus primas tenet. Ergo quum supereminet mundi pompae, ut quod Christi est obruant, fidem parum vigere apparet. Quod posui, ex opinione, Erasmus in eo sequutus sum. Quamquam reprehendi non potest vetus interpres qui gloriam transtulit. Δέξα enim Graecis utrumque significat: et apte ad Christum referre potest: idque pro loci circumstantia. Tautus enim est Christi splendor, ut omnes mundi glorias facile extinguat. si quidem oculos nostros irradiet. Unde sequitur, Christum a nobis parvifieri quum tenet mundanae gloriae admiratio. Verum altera quoque expositio optime convenit. Nam dum opum vel honorum opinio nostros oculos perstringit, veritas supprimitur: quae sola valere debat. Sedere honeste dixit, pro sessione honorifica.

4. *Annon diiudicati estis.* Potest tam affirmative quam interrogative legi: sed eodem prope sensu. Culpam enim ex eo amplificat, quod sibi placeant vel indulgeant in tanta pravitate. Si interrogative legas, hic erit sensus, An non propria conscientia vos tenet convictos, ut alio iudice non sit opus? Si affirmationem malis, perinde valebit ac si dixisset, Hoc quoque mali accidit, quod non sentitis vos peccare, nec vestras cogitationes pravas esse ut sunt, agnoscitis.

5. *Audite, fratres mei dilecti: nonne Deus eligit pauperes mundi huius, divites in fide, et haeredes regni, quod promisit iis qui diligit eum?* 6. *Vos autem contemptui habuistis pauperem, nonne divites tyramnidem in vos exercent, et iidem trahunt vos ad tribunalia.* 7. *Et iidem contumelia afficiunt bonum nomen quod invocatum est super vos?*

5. *Audite, fratres.* Nunc dupli argumento probat, facere eos praepostere quum in divitum

gratiam pauperes contemnunt. Prius est, indignum est deiicere quos Deus extollit, et quos honore dignatur, probrose tractare: atqui Deus pauperes honorat: ergo pervertit Dei ordinem quisquis eos reiicit. Alterum sumptum est ab experientia communis. Nam quum utplurimum molosti sint bonis et innoxiiis divites, valde absurdum est, eorum iniuriis tale praemium rependere, ut nobis sint magis commendati quam pauperes, qui nos iuvant magis quam laedunt. Quousquo vero utrumque procedat, distinet videbimus.

Elegit pauperes. Non solos quidem: sed ab illis exordium facere voluit, ut divitum superbiam retunderet. Hoc est quod dicit Paulus (1. Cor. 1, 25), Nou multi nobiles, non multi potentes e sacculo: sed quae infirma erant, Deus elegit, ut fortia pudescerent. In summa, quum Deus gratiam suam in divites communiter et pauperes effuderit: hos tamen illis voluit praeferre, ut discent magni non sibi placere: ignobiles vero et obscuri, totum quod essent tribuerent misericordiae Dei: utrique ad modestiam et humilitatem erudirentur. Vocat autem Divites in fide, non qui fidei magnitudine abundant, sed quos Deus variis spiritus sui donis locupletavit: quae fide percipimus. Nam certe quum Dominus se liberaliter omnibus offert, unusquisque pro sua fidei mensura compos fit donorum eius. Quare si vacui sumus aut inopes, id fidei nostrae defectum arguit. Nam si modo fidei sinum extendamus, semper paratus est Deus implere. Promissum regnum iis dicit qui Deum diligunt: non quod a dilectione pendeat promissio: sed ut admoneat vocari nos a Deo in spem vitae aeternae, hac conditione et in hunc finem, ut vocati ipsum diligamus. Ergo finis, non initium hic notatur.

6. Nonne divites. Videtur instigare ad vindicatum, dum in medium adducit iniustam dominationem divitum: ut qui ab illis inique tractantur, par pari referant. Atqui ubique iubemur, inimicis, qui nobis infesti sunt, benefacere. Verum aliud est Iacobi consilium. Non tantum ostendere vult, ratione carere et iudicio qui suos carnifices ambitiose honorant: ac interea iniurii sunt hominibus sibi amicis, vel saltem a quibus nunquam laesi sunt. Nam hinc melius appetet vanitas, quod nullis beneficiis provocati, ideo tantum mirantur divites, quia divites sunt: imo quos suo damno iniustos et crudeles sentiunt, iis serviliter blandiuntur. Sunt quidem ex divitibus nonnulli aequi et modesti, et ab omni iniustitia abhorrentes: sed pauci tales reperiuntur. Quod ergo utplurimum accidere solet, et quasi quotidiano usu compertum est, refert Iacobus. Quia enim homines fere vires suas experiuntur nocendo: inde fit ut quo plus quisque potest, co sit deterior, et in proximos iniquior. Quo inten-

tius sibi divites cavere debent, ne quid ex hac contagione, quae passim grassatur in eorum ordine, contrahant.

7. Bonum nomen. Non dubito quin Dei et Christi nomen intelligat. Invocari autem dicit super fideles, non in precibus, ut aliquando scriptura loqui solet, sed ratione professionis. Quemadmodum patris nomen super sobolem invocari dicitur, Genes. 48, 16. Et mariti nomen super uxorem, Iesa 4, 1. Idem ergo ost ac si dixisset, Bonum nomen quo gloriamini, vel quo censeri vultis, honoris causa. Quod si illi Dei gloriam superbe infamant: quam indigni sunt quibus honorem impendant Christiani?

8. Si legem quidem regiam perficitis, iuxta scripturam. Diliges proximum tuum sicut te ipsum: benefacitis. 9. Sin personam respicatis, peccatum committitis, et redarguimini a lege, veluti transgressores. 10. Quisquis enim totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. 11. Nam qui dixit: Ne moecheris, dixit etiam: Ne occidas. Quod si non fueris moechatus, occideris tamen, factus es transgressor legis.

Sequitur nunc plenior declaratio. Causam enim proximae reprehensionis aperte designat, quia non ex caritate in divites officiosi essent, sed potius inani captandae gratiae studio. Est autem prolepsis, in qua adversae partis excusationem occupat. Poterant enim excipere, non esse culpandum qui se humilietur etiam indignis submittit. Concedit quidem Iacobus id verum esse: sed ab illis falso praetexi docet: quia tale obsequium non proximis, sed personis exhibeant. Priore inquam membro, recta et laude digna esse agnoscit quaecunque caritatis officia in proximos conferimus. Altero negat ambitiosam personarum acceptiōē in eo genere debere censeri: quia a legis regula multum absit. Huius autem responsionis cardo in nominibus proximi et personae vertitur: ac si diceret, Si obtenditis facto vestro caritatis speciem, facile id diluetur. Deus enim proximos iubet diligere, non eligere personas. Porro haec vox proximi, totum hominum genus comprehendit. Qui igitur pauculos suo arbitrio, aliis praeteritis, colendos sibi proponit, non Dei legem servat, sed pravo animi sui studio obsequitur. Nominatim Deus et alienos, et inimicos, et quicunque alioqui essent contemptibiles, nobis commendat. Huic doctrinae prorsus contraria est personarum acceptio. Quare merito Iacobus cum caritate pugnare προσωποληψίαν affirmat.

8. Legem regiam perficitis. Legem pro regna in principio sententiae simpliciter accipo: Perficere autem, pro sincera animi integritate et rotunde (ut aiunt) servare. Opponit autem partiali

quorundam observantiae. *R e g i a l e x* (meo iudicio) dicitur ut via regia: plana scilicet, recta et aequabilis: quae sinuosis diverticulis vel ambagibus tacite opponitur. Secundo loco, quum eos dicit *r e d a r g u i a l e g e* qui personas accipiunt, lex in proprio significacione capit. Nam quum Dei mandata iubeamur universos mortales amplecti: quisquis, paucis exceptis, alios emnes reiicit, et interim melioribus praefert maxime indignos, quum Dei vinculum abrumpat, non minus quam ordinem invertat: merito vocandus est legis transgressor.

10. *Quisquis enim totam legem.* Hoc tantum sibi vult, Deum nolle cum exceptione coli, neque ita partiri nobiscum, ut nobis liceat, si quid minus adlubescit, ex eius lege resecare. Dura primo aspectu haec sententia videtur quibusdam: quasi Stoicorum paradoxo, peccata omnis aequalia facient, subscriberet: ac peraeque puniendum esse assereret, qui una tantum in re deliquerit, ac si tota vita nequam et sceleratus fuisseisset. Sed nihil tale apostole in mentem venisse, ex contextu liquet. Semper enim cur quidque dicatur, notandum est. Proximos negat diligi, quum pars tantum aliqua ambitione eligitur, alias neglectis. Hoc probat, quia non sit erga Deum obedientia, ubi non est aequabile obsequendi studium quod Dei mandato respondeat. Ergo sicuti simplex ac integra est Dei regula: ita nos integritatem afferre convenit, ne quis nostrum, quae coniungit ille, perperam separet. Adsit ergo aequabilitas, si velimus rite obedire Deo. Exempli gratia, Si quis iudex decem furtu puniat, unum relinquat impunitum: hinc prodit obliquam animi sui pravitatem, quod hominibus magis quam sceleribus infensus fuerit. Nam quod in altero damnat, in altero absolvit. Tenemus nunc Iacobi consilium: nempe, si ex lege Dei rescindimus quod nobis minus erit commendum: etiamsi in aliis partibus nos praebamus obsequentes, nos fieri omnium reos, quia totam legem violamus in uno capite. Quamquam autem hoc dictum ad praesentis causae circumstantiam accommodat: sumptum est tamen ex generali principio, quod Deus regulam vivendi nobis praescripserit, quam a nobis lacerari fas non est. Neque enim de aliqua legis parte hoc dicitur: Haec est via: ambulate in ea: nec mercedem lex, nisi universalis obedientiae promittit. Stulte itaque Scholastici, qui partiale (ut vocant) iustitiam pro meritoria reputant. Atqui tam hic locus quam alii complures, clare demonstrant nullam esse iustitiam nisi in perfecta legis observatione.

11. *Nam qui dicit.* Probatio superioris sententiae: quia considerandus sit potius legislator quam singula seorsum praecepta. Iustitia Dei quasi individuum corpus lege continetur. Quisquis ergo caput unum legis transgreditur, Dei iustitiam, quantum in se est, labefactat. Deinde ut in una parte,

ita in singulis obedientiam nostram experiri vult Deus. Quare transgressor est legis quisquis in ullo mandato offendit: secundum illud: *Maledictus qui non impleverit omnia* (Deut. 27, 26). Videamus porro, ut transgressor legis, et omnium reus, idem Iacobus significant.

12. *Sic loquimini, et sic facite, ut per legem libertatis iudicandi.* 13. *Iudicium enim sine misericordia ei qui non praestiterit misericordiam: et gloriatur misericordia adversus iudicium.*

12. *Sic loquimini.* Quia nimium sibi blandiebantur, revocat eos ad legitimum tribunal. Nam ideo se absolvunt homines sua opinione, quia se divinae legis iudicio subtrahunt. Admonet igitur, illuc facta omnia et dieta exigenda esse, quia Deus ex lege sua iudicaturus sit mundum. Quia tamen immodicum terrorem incutere poterat talis denuntiatio, corrigit vel mitigat duritatem quum addit, *legem libertatis*. Audimus enim quid dicat Paulus (Galat. 3, 10): *Quicunque scilicet sub lege sunt, maledictioni esse obnexios.* Quare iudicium legis per se reatus erit mortis aeternae. Verum nomine *libertatis*, a legis rigore nos liberari significat. Hic sensus non male quadrat. Quamquam si quis proprius expendat quod mox sequitur, videtur Iacobus aliud quiddam velle: ac si dixisset: *Nisi legis rigorem subire vultis, ne sitis in proximos nimis rigidi.* Lex enim libertatis tantudem valet atque Dei clementia, quae nos a legis maledictione liberat. Atque its uno contextu haec legenda erunt cum sequentibus, ubi de iuvandis pauperibus disseret.

13. *Iudicium enim.* Applicatio est proximae sententiae ad praesens institutum: si modo secundam, quam attuli, expositionem sequi libet. Docet enim, quoniam sola Dei misericordia stamus, eam debere nos praestare eis, quos Dominus ipse nobis commendat. Haec vero singularis est humanitatis et beneficentiae commendatio, quod Deum nobis fore misericordem pollicetur si fratribus tales fuerimus. Non quod Dei misericordiam promereatur haec nostra qualisunque qua prosequimur homines: sed quos Deus adeptavit, ut illis sit indulgens ac facilis pater, eos vult imaginem suam in terra gestare ac referre: iuxta illud Christi: *Estote misericordes, sicut pater vester coelestis, etc.* Notandum ex adverso, quod nihil durius aut magis horrendum Dei iudicio potest denuntiare. Unde sequitur plusquam miseros esse ac perditos quicunque ad veniam asylum non configunt.

Et gloriatur. Ac si diceret: Sola est Dei misericordia quae nos a iudicio formidine liberat. *Gloria enim accepit, pro vetricem aut superiorem esse.* Iudicium enim damnationis toti mundo

incumbit, nisi misericordia subveniat. Dura et coacta est expositio eorum qui personam sub rei nomine designari volunt. Neque enim proprio gloriatur homo adversus Dei iudicium, sed ipsa Dei misericordia quodammodo triumphum agit, et sola regnum obtinet, quem cessat iudicii severitas.

14. *Quid prodest, fratres mei, si fidem dicat aliquis se habere, opera autem non habeat? numquid potest fides salvum facere ipsum?* 15. *Quod si frater aut soror nudi fuerint, et egentes quotidiano victu: 16. dicat autem aliquis vestrum illis: Abite cum pace, calescite et saturamini: non tamen dederitis illis quae sunt necessaria corpori: quac utilitas?* 17. *Sic et fides, si opera non habuerit, mortua est per sc.*

14. *Quid prodest.* Pergit in commendanda misericordia. Quoniam autem Deum fore nobis severum et simul formidabilem iudicem minatus fuerat, nisi humani et misericordes simus erga proximos: contra vero excipiebant hypocritae, sufficere nobis fidem, in qua sita est hominum salus: nunc in illam inauem iactantiam invehitur. Summa igitur est, fidem sine caritate nihil conducere, adeoque penitus esse mortuam. Sed hic oritur quaestio, an separari a caritate possit fides. Et sane versa buius loci expositio tritam apud sophistas distinctionem peperit fidei informis et formatae. Atqui, nihil tale Iacobus cogitavit: nam ipsum de falsa professione loqui, ex primis verbis constat. Neque enim sic incipit, Si fidem quis habeat: sed, si quis se habere dicat. Quo certe innuit iactare hypocritas inane fidei nomen, quod re ipsa minime in eos competit. Ergo quod ipse quoque fidem appellat, concessio est, ut rhetores vocant. Nam ubi in rem duntaxat insistimus, nihil nocet, imo expedit interdum causae, adversario verbum concedere quod postulat: quia statim re cognita, verbum quoque facile illi executitur. Iacobus ergo quia satis habebat, falsum illum praetextum, quo se tegebant hypocritae, refellere, de verbo controversiam mouere noluit. Meminerimus tamen eum non ex proprio animi sensu loqui quoties hic fidem nominat: sed potius adversus eos disputare qui fidem, qua prorsus carent, falso praetendunt.

Numquid potest fides. Hoc tantundem valet ac si dixisset: Nos frigida et nuda Dei notitia salutem minime consequi. Quod verissimum esse omnes fatentur. Ideo enim nobis salus ex fide, quia nos Deo coniungit. Hoc autem non aliter fit, quam dum inserimur in corpus Christi, ut eius spiritu viventes ab eo quoque gubernemur. Nihil tale est in hoc mortuo fidei simulacro: quare non mirum est si salutis effectum Iacobus illi adimit.

15. *Quod si frater.* Exemplum e re praesenti sumit. Hortatur enim, ut dictum est, ad caritatis

officia. Si quis contra glorietur, fide se absque operibus contentum esse: umbratilem hanc fidem orationi comparat quae hominem famelicum saturari iubet, nec tamen eibum, quo destituitur, suppeditat. Quemadmodum ergo pauperem ludibrio habet qui verbis illum amandat, nec quidquam affert opis: ita Deo illudunt qui vitam sibi singunt operibus et quovis pietatis officio vacuam.

17. *Mortua est per se.* Fidem per se mortuam dicit, quae bonis operibus vacua est. Unde colligimus ne fidem quidem esse: quia ubi mortua est, proprio nomen non retinet. *Vocabam hanc urgent sophistae, quod fides ergo per se aliqua reperiatur: sed nullo negotio refellitur tam frivola cavillatio, quam satis liqueat apostolum ab impossibili ratiocinari: sicuti Paulus angelum vocat anathema qui evangelium subvertere tentabat (Galat. 1, 8).*

18. *Quin dicet quispiam: tu fidem habes, et ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus tuis, et ego tibi ex operibus meis ostendam fidem meam.* 19. *Tu credis quod Deus unus est. Bene facis: et daemones credunt, ac contremiscunt.*

18. *Quin dicet, etc.* Quod Erasmus duos hic colloquentes inducit: quorum alter fidem operibus carentem iactet, alter opera absque fide: ac tandem ambos medio apostoli responso refelli putat: mihi videtur esse nimis coactum. Absurdum esse putat, hoc dici in persona Iacobi, tu fidem habes: qui nullam sine operibus fidem agnoscit. Sed multum in eo fallitur quod ipse εἰρωνεία in his verbis non agnoscit. Proinde ἀλλὰ accipio pro quin potius: et τις, pro quolibet: ut refellatur stulta eorum gloriatio qui fidem se habere imaginantur, quam fideles se vita prodant. Nam Iacobus dicit, promptum fore piis omnibus sancte viventibus, excutere hypocritis talem iactantiam qua inflati sunt.

Ostende mihi. Tametsi magis recepta apud Graecos lectio est, ex operibus: melius tamen vetus latina convenit, quae in nonnullis graecis exemplaribus legitur. Itaque eam praeferre non dubitavi. Ergo quod fidem sine operibus ostendere iubet, ab impossibili argumentatur, ut nullam esse probet. Ita loquutio est εἰρωνεία. Quod si quis tamen diversam lectionem sequi malit, eodem recidet: Ostende mibi ex operibus fidem. Quia quum res otiosa non sit, operibus comprobari necesse est. Sensus ergo est, nisi fructus proferas tuae fidei, nego te ullam habere. Verum quaeri potest, an externa vitae probitas certa sit fidei demonstratio. Dicit enim Iacobus:

Ostendam tibi ex operibus. Respondeo, infideles quoque interdum excellere speciosis virtutibus, vel honestam vitam procul omni crimen degere: ideoque opera in speciem praeclara a fide posse separari.

Neque vero Iacobus contendit, quisquis probus appareat, fidem protinus habere. Hoc tantum vult, fidem sine bonorum operum testimonio frustra praedicari, quia ex viva radice bonae arboris semper prodeant fructus.

19. *Credis quod Deus est.* Ex hoc uno verbo abunde constat, totam hanc disputationem de fide non haberi, sed de vulgari Dei notitia quae hominem Deo nihilo plus coniungit, quam solis adspectus evehit in coelum. Fide autem nos Deo appropinquare certum est. Praeterea ridiculum erit, si quis diabulos habere fidem dicat. Atqui eos hac in parte Iacobus hypocritis praefert. Contremiscit diabolus, inquit, ad Dei mentionem: quia iudicem suum quum agnoscat, timore eius afficitur. Ergo qui Deum agnitus contemnit, aliquanto deterior est. Benefacis hic positum est, extenuandi causa: ac si dixisset, hoc scilicet magnum est, infra diabulos subsidere.

20. *Vis autem scire, o homo inanis, quod fides absque operibus mortua sit?* 21. *Abraham pater noster nomine ex operibus iustificatus est, quum obtulit filium suum Isaac super altare?* 22. *Vides quod fides cooperata fuerit eius operibus, et ex operibus fides perfecta fuerit?* 23. *Atque impleta fuerit scriptura quae dicit: Credidit Abraham Deo, et imputatum illi fuit in iustitiam, et amicus Dei vocatus est?* 24. *Videtis igitur quod ex operibus iustificatur homo, et non ex fide solum.* 25. *Similiter et Rahab mere-trix, nonne ex operibus iustificata est, quum excepti nuntios, et alia via eiecit?* 26. *Quemadmodum enim corpus sine anima mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*

20. *Vis autem scire.* Tenendus est hic quaestione status. Neque enim hic disceptatio est de iustificationis causa: sed tantum quid valeat, et quo loco habenda sit fidei professio sine operibus. Perperam igitur faciunt qui hoc testimonio probare contendunt, operibus iustificari hominem: quia nihil tale voluit Iacobus. Nam probationes, quas subiicit, ad hanc sententiam referendas sunt, quod nulla sit, vel saltem mortua, absque operibus fides. Nemo enim unquam intelliget quid dicatur, nec prudenter de verbis iudicabit, nisi qui perspectum habebit scriptoris consilium.

21. *Nonne Abraham.* Arripiunt sophistae vocem iustificandi: deinde quasi victores clamitant, partem iustitiae in operibus esse positam. Atqui sana interpretatio ex circumstantia praesentis loci petenda erat. Diximus autem Iacobum hic non tractare unde aut quomodo iustitiam homines consequantur: et hoc cuivis planum est: sed hoc tantum intendere, bona opera cum fide perpetuo esse coniuncta. Ideoque quum pronuntiat Abraham fide

iustificatum, de approbatione iustitiae loquitur. Ergo quum sophistae Iacobum Paulo opponunt, hallucinantur in ambigua significazione nominis: quia Paulus quum fido iustificari nos tradit, nihil aliud significat quam nos obtinere ut iusti coram Deo censeamur. Iacobus autem longe alio spectat, nempe ut qui fidelem se profitetur, fidei suae veritatem operibus demonstret. Certe Iacobus hic docere non voluit ubi quiescere debeat salutis fiducia: in quo uno insistit Paulus. Ergo ne in paralogismum incidamus, qui sophistas fecerit, notanda est haec amphibologia: Iustificandi verbum, Paulo esse gratuitam iustitiae imputationem apud Dei tribunal: Iacobus autem esse demonstrationem iustitiae ab effectis, idque apud homines: quemadmodum ex superioribus verbis colligere licet: Ostende mihi fidem tuam, etc. Hoc sensu fatemur sine controversia iustificari hominem operibus. Quemadmodum si quis hominem magni et pretiosi fundi emptione ditatum esse dicat, quia eius divitiae, quae prius occultae in arca clausa latebant, innotuerint. Quum fidei dicit cooperatam fuisse operibus, et ex illis perfectam: iterum ostendit, non esse hic quaestionem de salutis nostrae causa, sed utrum opera necessario fidem comitentur. Nam hoc sensu dicitur cooperata fuisse operibus, quia otiosa non fuit. Dicitur ex operibus fuisse perfecta, non quod inde suam perfectionem accipiat, sed quod vera esse inde comprobetur. Nam quod ex his verbis sophistae putidam suam distinctionem fidei formatae et informis eliciunt, longa refutatione non indiget. Formata enim adeoque expolita erat Abrahæ fides ante filii immolationem. Opus autem illud non fuit quasi extrema manus: quoniam multa deinde sequuta sunt quibus fidei suae incrementa monstravit Abraham. Quare neque fuit illa fidei eius perfectio, neque tunc primum formam induit. Nihil itaque aliud intelligit Iacobus, quam eius integritatem inde constitisse quod præclararum illum obedientiae fructum edidit.

23. *Impleta fuit scriptura.* Qui opera Abrahæ in iustitiam fuisse imputata Iacobi testimonio probare volunt, scripturam ab eo male torqueri fateantur necesse est. Nam quocunque se vertant, nunquam efficient ut prior sit effectus sua causa. Citatur locus Mosis ex Genesios cap. 15, 6. Imputatio iustitiae, cuius Moses illic meminit, plus triginta annis praecessit opus illud quo Abraham iustificatum esse voluit. Certe quum annis quindecim ante natum Isaac fides imputata esset Abrahæ in iustitiam, non potuit hoc fieri per illius immolationem. *Nodo insolubili constrictos teneo quicunque iustitiam Abrahæ coram Deo imputatam fingunt quia immolavit filium Isaac, qui nondum natus erat quia spiritus sanctus pronuntiat iustum fuisse Abraham.* Itaque necessario restat ut aliquid posterius notari:

dicamus. Quomodo igitur Iacobus id fuisse impletum dicit? Nempe ostendere vult, qualis illa fuerit fides quao iustificavit Abraham: non otiosa scilicet aut evauidu, sed quao illum Deo reddidit obseqnentem: sicut etiam ad Hebraeos cap. 11, 8, habetur. Conclusio quao mox additur, quia inde pendet, non alium habet sensum. Non iustificatur homo sola fide, hoc est, nuda et inani cognitione Dei. Iustificatur operibus, hoc est, ex fructibus cognoscitur et approbatur eius iustitia.

25. *Similiter et Rahab.* Videtur absurde facere qui tam dispare simul copulat. Cur non ex magno potius insignium patrum numero aliquos delegit quos Abrahae adiungeret? Cur illis omnibus prae-tulit meretricem? Consulto duas personas tam di-versas inter se commisit, quo evidentius monstraret, nullum unquam, cuiuscunque esset vel conditionis, vel gentis, vel ordinis, fuisse absque bonis operibus inter iustos ac fideles habitum. Patriarcham nomi-navit longe omnium excellentissimum: nunc sub meretricis persona comprehendit omnes, qui quum alieni essent ab ecclesia, inseruntur. Quisquis ergo iustus censeri cupit, etiam ut inter infimos locum aliquem habeat, bonis operibus se talem ostendat. Quod Iacobus (suo more) Rahab operibus fuisse iustificatam praedicat: inde colligunt sophistae, nos operum meritis iustitiam consequi. Nos autem negamus, hic de modo consequendae iustitiae esse certamen. Fatemur quidem requiri ad iustitiam bona opera: tantum illis vim conferendae iustitiae detrahimus: quia stare coram Dei tribunali ne-quount.

CAPUT III.

1. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei: scien-tes quod maius iudicium sumpturi simus.* 2. *In multis enim labimur omnes. Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est vir, ut qui possit fraeno moderari totum etiam corpus.* 3. *Ecce equis fraena in ora iniicimus, ut obedient nobis: et totum illorum corpus circumagimus.* 4. *Ecce etiam naves quum tantae sint, et a saevis ventis pulsantur, circumagun-tur a minimo gubernaculo, quounque affectus diri-gentis voluerit.* 5. *Ita et lingua pusillum membrum est, et magna iactat.*

2. *Plures magistri.* Communis et fere recepta huius loci interpretatio est, quod deterreat a mu-nere docendi appetendo: idque ea ratione quia per-iculosum sit, et gravi Dei iudicio obnoxium, si quis in eo delinquit. Putant autem dixisse, ne multi, vel plures sitis: quia aliquos esse oportet. Ego vero magistros intelligo, non qui pub-lico munere funguntur in ecclesia: sed qui sibi ius-

censorum in alios usurpant. Tales enim reprehē-sores, quasi magistri morum haberī volunt. Atque haec loquutio tam Graecis quam Latinis est usi-tata, magistros vocare qui superciliosē in alios animadvertisunt. Quod autem multos fieri vetat, ideo est, quia se passim multi ingerunt. Est enim hic quasi iugenitus humano ingenio morbus, ex aliorum reprehensione famam captare. Duplex autem in hac parte vitium regnat, quod quum pauci dexteritate polleant, omnes promiscuo in ma-gisterium irrumpunt. Deinde pauci recto studio duecuntur: potius enim hypocrisis et ambitio eos quam cura fraternae salutis incitat. Notandum est enim Iacobum hic non dehortari a fratribus me-nitionibus, quas spiritus toties et tantopere nobis commendat: sed immodicam illam cupiditatem dam-nare quae ex ambitione nascitur ac superbia, dum se quisque adversus proximos effert, dum obloquitur, carpit, mordet, et maligne inquirit quod in sinis-tram partem rapiat. Fieri enim solet ut imper-tuni eiusmodi censores in sectandis aliorum vitiis se insolenter iacent. Ab hac intemperie et arro-gantia Iacobus nos revocat. Addit rationem, Quia gravius iudicium subituri sint qui in alios ita sunt severi. Duram enim sibi legem imponit qui om-nium dicta et facta ad summum rigorem exigit: nec veniam meretur qui nemini parcere sustinet. Sententia diligenter notanda, Dei severitatem in se provocare qui in fratres nimium sunt rigidi.

2. *In multis enim labimur.* Potest hoc accipi per concessionem dictum: ac si ita dixisset, Esto, tu in fratribus invenis quod culpes: nemo enim immunis est a vitiis: imo singuli pluribus vitiis laborant. Sed putasne te perfectum esse cum male-dica et virulenta lingua? Mihi tamen potius videtur Iacobus hoc argumento nos hortari ad man-suetudinem: quia simus ipsi quoque multis infir-mitatibus circumdati. Inique enim facit qui veniam, qua opus habet, aliis negat. Sic etiam Paulus, quum lapsos corrigi iubet clementer et in spiritu lenitatis, statim addit (Galat. 6, 1): Considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Nihil enim est quod magis ad temperandum nimium rigorem valeat quam infirmitatis nostrae agnitio.

Si quis in sermone. Postquam neminem esse dixit qui non variis modis peccet: iam ostendit morbum obloquendi praे aliis peccatis odiosum esse. Nam quod dicit perfectum esse qui lingua non labitur: significat continentiam linguae virtutem esse eximiam, unamque ex praecipuis. Quare nimis perverse faciunt qui minima quaque vita curiose executientes, in tam crasso sibi indulgent. Proinde eleganter hic perstringit censorum hypocrisin: quin in suo examine, quod praecipuum erat, maximique momenti, omittunt, maledicentiam scilicet. Nam qui alios castigant, zelum prae se ferunt perfectae

sanctitatis. Atqui a lingua incipere debebant, si vellent perfecti esse. Quum autem nullam fraenanda linguae rationem habeant, quin potius alios mordendo et lacerando venditent fietam sanctimoniam: hinc patet maxime omnium esse reprehensibles quia primam virtutem negligant. Haec conexio mentem apostoli nobis planam reddit.

3. *Ecce equis.* Duobus istis similibus probat magnum verae perfectionis momentum esse in lingua: eamque (ut nuper dixit) in tota vita regnum obtainere. Primum linguam fraeno comparat: deinde navis gubernaculo. Si equus tam ferox animal ad sessoris arbitrium circumagit, quia fraenatus est, non minus in homine regendo poterit lingua. Ita et de navis gubernaculo habendum est, quod totam eius molem una cum ventorum impetu superat. Lingua igitur, tametsi pusillum sit membrum, plurimum tamen in vita hominis moderanda pollet. Μεγαλαυχεῖν Graecis iactare se ac venditare significat: sed Iacobus hoc loco non tam ostentationem taxare voluit quam dicere, linguam esse magnarum rerum effectricem. Postremum enim hoc membrum priores similitudines accommodat praesenti instituto. Fraeno autem et gubernaculo non conveniret inanis iactantia. Significat ergo linguam magna vi pollere. Affectum dirigentis verti, ubi Erasmus impetum transtulit: ὅρμη appetitum significat. Fateor quidem hac voce notari apud Graecos cupiditates, quae rationi non obtemperant: sed hic Iacobus simpliciter de arbitrio naucleri agit.

Ecce exiguus ignis quantam silvam incendit:
6. *et lingua ignis est, et mundus iniquitatis.* Sic inquam lingua constituta est in membris nostris, inquinans totum corpus, et inflammandis rotam nativitatis, et inflammatur a gehenna.

Nunc exponit incommoda quae ex linguae in temperantia proveniunt: ut sciamus linguam multum in utramque partem valere. Ideo si modesta sit ac bene composita, esse totius vitae fraenum: si vero petulans et improba, quasi uno incendio omnia corripere. Exiguum ignem ponit, ut significet non obstare linguae suam parvitatem quomodo vis eius longe lateque pateat ad nocendum. Quum addit mundum esse iniquitatis, perinde est ac si vocaret mare vel abyssum. Et eleganter linguae parvitatem cum immensa mundi magnitudine coniungit, hoc sensu: Exilis carunculae portio totum iniquitatis mundum in se continet.

6. *Sic inquam lingua.* Exponit quid sibi voluerit per Mundi nomen: quia scilicet in omnes vitae partes diffunditur illius contagio. Vel potius ostendit quid per incendiis metaphoram intellexerit: nempe quod inquiet totum hominem. Mox tamenredit ad illud incendium, quum dieit, Accendi a

lingua rotam nativitatis nostrae. Ac humanae quidem vitae cursum rotar comparat. Féccv, quemadmodum prius, pro natura accipit. Sensus autem est: Quum alia vitia vel aetate vel temporis successu corriganter, vel saltem non occupent totum hominem, vitium linguae spargi ac grassari per omnes vitae partes. Nisi forte inflammationem pro violento impulsu accipere quis malit: quia Fervidum vocamus, quod rapitur cum violentia. Et sic de rotis loquuntur est Horatius: fervidas enim in certamine curuli appellat ob rapidam celeritatem¹⁾). Ita sensus esset, linguam similem esse equis indomitis: quia hominem, sicuti illi currum, praecipitem sua proturia rapiat. Quum a gehenna dicit inflammari, perinde est ac si diceret, linguae intemperantiam esse flammatum ignis inferni. Quemadmodum enim profani poetae fingunt sceleratos afflari furiarum facibus: ita verum est, Satanam temptationum flabellis, malorum omnium ignem in mundo accendere: sed Iacobus significat ignem a Satana immissum, a lingua facillime concipi, ut protinus ardeat. Breviter idoneam esse recipiendo, fovendo, et augendo gehenae igni materiam.

7. *Omnis enim natura ferarum et volucrum et serpentum et marinorum a natura humana domatur, et domita est:* 8. *linguam vero nullus hominum domare potest, incoercibile malum, plena veneno mortifero.* 9. *Per ipsam benedicimus Deum et patrem: et per ipsam exsecramur homines ad similitudinem eius factos.* 10. *Ex eodem ore procedit benedictio et maledictio.* Non convenit, fratres mei, haec ita fieri. 11. *An fons et eodem foramine eiicit dulce et amarum?* 12. *Non potest, fratres mei, fucus oleas preferre, aut vitis ficus: sic nullus fons salsam et dulcem gignere aquam.*

7. *Omnis enim.* Confirmatio est proximi membra. Nam in lingua Satanam mira quadam efficacia regnare ex eo probat, quod nullis modis in ordinem cogi potest: idque adductis comparationibus amplificat. Nullum enim tam saevum aut violentum animal esse dicit quod non dometur hominum industria. Pisces, qui alium quodammodo orbem incolunt: aves, quae tam mobiles sunt ac vagae: adeoque serpentes generis humani inimicos, interdum cicurari. Ergo quum lingua cohiberi nequeat, arcum quendam gehennae ignem illic subesse ac latere oportet. Quod de feris beluis, serpentibus, aliisque tradit, non est de omnibus intelligendum: satis est quod ex ferocissimis bestiis quasdam hominum ars subget in obsequium: similiter quod serpentes interdum cicurantur. Ideo utroque tem-

¹⁾ Od. 1. libri I.

poro usus est, praesenti et praeterito. Praesens quidem potentiam significat et facultatem: praeteritum vero, usum vel experientiam, merito hinc concludit, plenam esse linguam mortifero veneno. *Etsi autem hanc omnia primo loco ad circumstantiam praesentis loci referre convenit, quod nimis praeponere in alios magisterium sibi usurpent qui laborant deterrimo vito: tenenda tamen est simul doctrina universalis, Si vitam recte componere volumus, corrigendae linguae summam operam esse dandam: quia nulla pars hominis est nocentior.*

9. *Per ipsam benedicimus.* Hoc mortiferi veneni luculentum est specimen, quod prodigiosa levitate se ita transfigurat. Nam quum simulet Deo se bonedicere, protinus illum in imagine sua exsecratur, nempe dum homines maledicunt. Nam si benedicendum est Deus in universis operibus suis, id praesertim valere in hominibus debet: in quibus peculiariter reluet imago eius et gloria. Hypocrisia igitur non ferenda est, quum eandem linguam vertit homo in Dei laudem et exsecrationem hominum. Proinde nulla potest esse Dei invocatio, et laudes eius cessare necesse est, ubi regnat maledicentia. Haec enim impia est nominis Dei profanatio, quum lingua in fratres virulenta ipsum sub laudis specie usurpat. Quare ut rite illum laudemus corrigendum est in primis maledicentiae adversus proximos vitium. *Interim tenenda quoque est particularis doctrina, virulentiam suam detegere austeros istos censores, qui postquam suaviter Deum laudarunt, subito evomunt adversus fratres quidquid fingi potest maledictionum.* Si quis obiciat, deletam Adae peccato fuisse Dei imaginem in humana natura fatendum quidem est fuisse misere deformatam, sed ita ut lieuamenta adhuc quaedam apparent. Iustitia et rectitudo, bonique appetendi libertas sublata est: sed manent paeclarae multae dotes quibus bestias praecellimus. Ergo qui Deum vere colit atque honorat, in hominem contumeliosus esse verebitur.

11. *An fons.* Similitudines istas adducit, ut ostendat linguam maledicam portentum quoddam esse, alienum a tota natura, et quod ordinem a Deo ubique positum evertit. Nam quae contraria sunt, Deus sic distinxit, ut res inanimatae nos a confusa permixtione, qualis est in lingua dupli, absterrere debeant.

13. *Quis sapiens et intelligens inter vos?* ostendat ex honesta conversatione opera sua in mansuetudine sapientiae. 14. *Si vero aemulationem amaram habetis, et contentionem in corde vestro, ne gloriemini, et mentiamini adversus veritatem.* 15. *Non est haec sapientia de sursum veniens: sed terrestris, animalis, daemoniaca.* 16. *Ubi enim aemulatio et contentio, ibi perturbatio, et omne pravum opus.* 17. *Quae autem*

e sursum est sapientia, primum pura est, deinde pacata, aqua, comis, plena misericordiac et bonorum operum: sinc disquisitione, sine simulatione. 18. *Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.*

13. *Quis sapiens.* Quoniam maledicendi libido ex superbia fere nascitur: superbiam autem ut plurimum generat falsa persuasio sapientiae: ideo de sapientia hic loquitur. Solenne est hypocritis effero so ac iactare, omnes criminando. Qualiter multi olim ex philosophis gloriam ex amarulenta ordinum omnium insectatione captabant. Talem fastum, quo turgent et excaecati sunt maledici homines, retundit Iacobus, quum sapientiae opinionem, qua sibi placent, quidquam divinum habere negat: sed potius esse ex diabolo contendit. Sensus est igitur: Superciliosi isti censores, qui sibi large indulgent, praeterea nemini pareunt, videntur sibi pree aliis sapere: sed multum falluntur. Nam aliter prorsus suos instituit Dominus: nempe ut mansueti sint et humani erga alios. Soli igitur vere coram Deo sapiunt qui hanc mansuetudinem coniungunt cum honesta conversatione: nam qui truces sunt ac inexorabiles, etiamsi alias multis virtutibus polleant, non tenent iustum iustum sapiendi rationem.

14. *Si aemulationem amaram.* Notat fructus qui ex nimia austernitate nascuntur, quae mansuetudini est contraria. Necesse est enim ut immodus rigor pravas aemulationes gignat, quae in contentionem mox erumpunt. Impropius quidem loquitur, dum in corde contentiones locat: sed hoc ad sensum nihil aut parum refert. Nam fontem istorum malorum indicare voluit, pravum cordis affectum. A emulat ionem dixit a m a r a m , quia non regnat, nisi dum animi veneno malignitatis infecti sunt, ut omnia in amarulentiam convertant. Ergo ut vere gloriemur nos esse Dei filios, iubet nos placide et modeste agere cum fratribus: aliqui mentiri nos pronuntiat dum christianum nomen iactamus. Caeterum non abs re aemulationi sociam addidit contentio nem: quia ex malignitate et invidia, certamina et rixae semper ebulliunt.

15. *Non est haec sapientia.* Quia difficulter cedunt hypocritae: fastum eorum acriter retundit, negans veram esse sapientiam qua turgent, dum in excutiendis aliorum vitiis nimis sunt morosi. Nomen tamen sapientiae illis concedens, epithetis demonstrat qualis sit, nempe terrestris, animalis, daemoniaca: quum veram oporteat esse coelestem, spiritualem, divinam. Quae tria illis prioribus directe sunt opposita. Sumit enim pro confessio Iacobus, non aliter nos sapere quam si coelitus a Deo per spiritum simus illuminati. Ergo quaqua versum se extendat mens hominis, tota eius perspicacia erit vanitas: neque id modo, sed tandem

Satanae praestigiis implicita, pessime delirabit. **A n i m a** hic spiritui opponitur, sicuti primae ad Corinthios cap. 2, 14, quum dicit Paulus, animalem hominem non capere, quae sunt Dei. Nec magis deiici poterat hominis superbia, quam dum ita damnatur quidquid sapientiae habet ex sua ipsius anima, sine Dei spiritu: imo dum ab eius anima fit transitus ad daemonem. Perinde enim hoc valet ac si diceretur, Homines dum sequuntur proprium sensum, mox delabi ad Satanae imposturas.

16. *Ubi enim aemulatio*. Argumentum est a repugnantibus: nam aemulatio, qua incitantur hypocritae, contrarios sapientia effectus parit. Sapientia enim requirit statum mentis bene compositum: aemulatio autem eum perturbat, ut secum ipsa quodammodo tumultuetur, et sine modo in alios effervereat. Alii ἀχαταστασίαν vertunt inconstantiam: et interdum hoc significat. Sed quum sit etiam seditio et tumultus, nomen perturbationis aptius praesenti loco visum est. Gravius enim quiddam exprimere Iacobus voluit, quam levitatem: nempe quod malignus et obtrectator, quasi extra se ipsum esset, confuse et perperam agit omnia. Ideo addit omne opus primum.

17. *Quae autem e sursum est*. Nunc effectus coelestis sapientiae prioribus contrarios enumerat. Primo dicit esse puram: quo epitheto excluditur hypocrisis et ambitio. Secundo vocat pacatum: ut significet alienam esse a contentionibus. Tertio vocat aequam vel humanam: ut sciamus procul distare ab immodica austeritate, quae nihil in fratribus tolerat. Vocat comem ac tractabilem: quo significat abhorre a superbia et malignitate. Postremo plena esse misericordia docet, quum hypocritae inhumani sint et inexorabiles. Per fructus bonos generaliter omnia officia designat quae benevoli homines fratribus impendunt: ac si uno verbo dixisset, plenam beneficentiae. Hinc sequitur mentiri eos qui tetrica austeritate gloriantur. Tametsi autem quum puram vel sinceram dixerat, satis damnaverat hypocrisin: clarius tamen iterum in fine repetit. Unde admonemur, non alia de causa esse nos ultra modum morosos, nisi quia nimium nobis parcimus, et connivemus ad propria vitia. Sed hoc absurdum videri posset, quod vult esse sine diudicatione. Neque enim spiritus Dei, boni et mali tollit discrimen: neque ita nos reddit socordes, ut iudicio destituti vitium pro virtute laudemus. Respondeo, Iacobum hic diudicationis verbo nimis anxiā ac scrupulosam inquisitionem notare, qualem fere in hypocritis cernere licet, qui dum nimis exacte inquirunt in fratrum dicta et facta, nihil non in sinistram partem rapiunt.

18. *Fructus autem iustitiae*. Duplex esse sensus potest, vel quod pacificis seminatur fructus,

quem postea colligant: vel quod ipsi etiamsi multa in proximis modeste tolerent, non tamen dosinunt iustitiam serere. Est autem anticipatio. Nam qui obrectandi libiduo ad maledicendum feruntur, habent semper hunc praetextum, Quid? ergone malum nostra facilitate fovebimus? Dicit itaque Iacobus: Qui vere ex Deo sapiunt, ita esse aequos, modestos, placidos, misericordes, ut non tamen dissimulent vitia, neque illis faveant: sed potius corriger studeant, modo in pace, hoc est, tali moderatione adhibita, ut unitas salva maneat. Atque hoc modo testatur, minime huc spectare quae hactenus dixit, ut e medio tollantur placidae reprehensiones: sed ne carnifices sint qui vitiorum medici haberi volunt. Proinde, facientibus pacem, est septimus casus, ut vocant grammatici: ac sic resolvi debet oratio, Qui pacis studiosi sunt, curam nihilominus habent serendae iustitiae: neque in promovendis et urgendis bonis operibus ignavi sunt aut inutiles, sed zelum suum temperant pacis condimento: quum hypocritae caeco et rabioso impetu omnia perturbent.

CAPUT IV.

- Unde bella et pugnae inter vos? nonne hinc, ex voluptatibus vestris quae militant in membris vestris?*
- Concupiseitis, et non habetis: invidetis, et aemulamini, et non potestis obtainere: pugnatis et belligeramini. Non habetis, propterea quod non petitis.*
- Petitis, et non accipitis: quia male petitis, ut in voluptates vestras insumatis.*

1. *Unde bella, etc.* Quia de pace tractaverat, et monnerat sic exterminanda esse vitia ut pax foveatur: hac occasione descendit ad contentiones, quibus se mutuo vexabant: ac ostendit, eas ex inordinatis potius cupiditatibus emergere quam ex studio recti. Nam si modum sibi quisque impuneret, non incitarent alii alios. Ergo ex eo quod impune grassantur libidines, effervent conflictus. Unde apparet, maiorem inter nos pacem futuram, si ab iniuria singuli abstinerent. Sed vitia, quae in nobis regnant, sunt quasi armati satellites, ad pugnas concitandas. Membra vocat omnes nostri partes. Voluptates accipit pro illicitis et libidinosis desideriis, quae nisi cum aliorum iniuria satiari nequeunt.

2. *Concupiscitis, et non habetis.* Videtur significare, inexplibilem esse hominis animum, ubi improbis cupiditatibus indulget. Ac sane ita est: nam qui suos appetitus licenter grassari sinit, nullum unquam habebit concupiscendi medium. Quin etiam si mundus illi daretur, cuperet novos sibi creari mundos. Ita fit, ut sibi homines tormenta accer-

sant quae superent omnium carnificum saevitiam. Nam illud vere ab Horatio¹⁾ dictum est: Invidia Siculi non invenero tyranni maius tormentum. Ubi quidam codices habent φοεύεται, non dubito quin legendum sit φθοεῖται, quemadmodum transluli. Occidendi enim verbum nullo modo aptari potest ad contextum.

Pugnatis. Non intelligit bella et pugnas, quibus inter se exsertis gladiis configlunt homines: sed quamlibet certaminibus contentionem, dum quisque aliis oppressis emergere studet. Quod nihil eiusmodi certaminibus proficiunt, in eo pravitatis suae poenas dare affirmat. Merito enim frustratur eos Deus, quem non agnoscent bonorum autorem. Nam dum ita illicitis modis contendunt, potius Satanae auspicis ditari appetunt quam Dei beneficio. Hic fraude, illo violentia, alias calumniis, omnes malis et sceleratis artibus ad felicitatem nituntur. Felices ergo esse appetunt: sed non ex Deo. Quare non mirum si retro aguntur in suis studiis, quando non nisi a sola Dei benedictione expectandi sunt prosperi successus.

3. Petitis, et non accipitis. Ultra progreditur, etiamsi petant, repulsa tamen esse dignos: quia Deum cuperent suarum libidinum ministrum facere. Neque enim votis suis, quale praecipit ille, temperamentum statuunt: sed effraeni licentia se proiiciunt ad ea postulanda quorum maxime puderet hominem ullum conscientium habere. Ridet alicubi Plinius hanc impudentiam, et merito: quod homines, Dei auribus tam improbe abutantur. Quo minus toleranda est in Christianis, quibus a coelesti magistro tradita est orandi regula. Et certe nullam apud nos Dei reverentiam, nullum timorem, nullam denique existimationem esse constat, quum ab eo petere audemus quae nobis vel conscientia nostra negaret. In summa, hoc vult Iacobus, fraenandas esse nostras cupiditates. Hic porro est fraenandi modus, si Deo subjectae sint. Deinde quae moderate cupimus, a Deo ipso petenda esse docet. Quod si fiet, a pravis contentionibus, a fraude, a violentia, omnique iniuria inter nos abstinebimus.

4. Adulteri et adulterae, an nescitis quod amicitia mundi inimicitia Dei est? qui ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur. 5. An putatis quod frustra dicat scriptura? an ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? 6. Quin maiorem dat gratiam.

4. Adulteri. Hanc sententiam coniungo cum superioribus. Adulteros enim (meo iudicio) metaphorice appellat, qui huius mundi vanitatibus corrupti a Deo se alienant: ac si degeneres vocaret,

aut alio nomine. Scimus quam frequens sit in scriptura sacri coniugii mentio quod nobiscum Deus contraxit. Nos itaque vult similes esse castae virginis: quemadmodum Paulus dicit (2. Corin. 11, 2). Hanc castitatem violent ac corrumpunt impuri omnes mundi affectus. Quare non sino causa Iacobus adulterio comparat amorem mundi. Qui sine translatione eius verba accipiunt, non satis observant contextum. Pergit enim adhuc invehi in hominum libidines, quae eos mundo implicitos a Deo abducunt, quemadmodum sequitur.

Amicitia mundi. Amicitiam mundi nominat quum se homines mundi corruptelis addicunt et mancipant. Tale enim tantumque est mundi cum Deo dissidium, ut quantum quisque in mundum inclinat, tantundem a Deo alienetur. Ideo toties scriptura renuntiare iubet mundo, si velimus Deo servire.

5. An putatis. Videtur proxime sequentem sententiam tanquam ex scriptura adducere. Multum itaque se torquent interpres: quia nusquam inventur in scriptura tale, aut saltem a fine testimonium. Verum nihil obstat quominus ad id referatur quod iam dictum est, mundi scilicet amicitiam adversari Deo. Porro iam dictum est doctrinam esse quae passim occurrit in scripturis. Quod autem pronomen omisit, quod orationem magis perspicuum reddere poterat, nihil mirum: est enim ubique valde concisus, ut appareat.

An spiritus. Quidam de hominis anima istud dici putant. Ideo affirmative legunt in hunc sensum: quod hominis spiritus, ut malignus est, ita infectus sit invidia, snosque affectus semper invidiae permisceat. Rectius tamen sentiunt qui referunt ad Dei spiritum. Ille enim est qui nobis datus est ut habitat in nobis. Ego et de spiritu Dei accipio, et interrogative lego hanc sententiam. Probare enim vult ex quo invident, non regi eos Dei spiritu: quoniam ipse aliter fideles instituat: idque confirmat proximo membro, quum addit, maiorem potius dare gratiam. Est enim argumentum a contrariis. Invidia malignitatis signum est: spiritus autem Dei donorum affluentia se liberalem esse ostendit. Ergo nihil magis repugnat eius naturae quam invidia. In summa, negat Iacobus regnare Dei spiritum ubi vigent pravae cupiditates quae nos ad mutuam contentionem irritent: quia proprium spiritus est magis ac magis homines novis subinde donis locupletare. Aliis interpretationibus refutandis non immoror. Exponunt quidam, spiritum adversus invidiam concupiscere. Id nimis durum est et coactum. Exponunt dare maiorem gratiam quae domentur concupiscentiae, et cogantur in ordinem. Verum sensus quem adduxi magis genuinus est, quod scilicet sua beneficentia nos a maligna aemu-

¹⁾ Epp. I. I. Ep. 2, 58.

latione revocet. Continuativa particula δὲ, adversativam valet ἀλλὰ, vel ἀλλά γε. Itaque verti quin.

7. *Subiecti igitur estote Deo. Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* 8. *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Mundate manus, peccatores: purificate corda, duplici animo.* 9. *Affligimini, lugete, et plorate: risus vester in luctum vertatur, et gaudium in moerorem.* 10. *Humiliamini coram Deo, et eriget vos.*

7. *Subiecti igitur.* Subiectio ista, quam commendat, humilitatis est. Neque enim generaliter hortatur ut pareamus Deo, sed requirit submissiōnem: quia spiritus Domini super humiles et quietos requiescit. Ideo utitur illativa particula. Nam quia Dei spiritum in gratiis augendis liberalēm praedicatorerat, ex eo colligit, debere igitur nos aemulatione posita subiici Deo. Multi codices interpositam hanc sententiam habent, Quapropter dicit, Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam. Sed quum in aliis non legatur: suspicatur Erasmus, a studio quoipiam annotatam in margine, postea in contextum obrepisse. Atqui fieri potest: quamquam non male quadraret orationis contextui. Nam quod absurdum esse quidam putant, citari tanquam ex scriptura, quod non nisi apud Petrum exstat, facile diluitur. Quin potius conilio, ex communi scripturae doctrina, hanc quasi proverbialem sententiam tunc fuisse tritam inter Iudeos. Et sane nihil continent, nisi quod Psalmo 18, 28, habetur: Populum humilem servabis Domine, et oculos superborum deieicies: et aliis compluribus locis.

Resistite diabolo. Ostendit quorsum conferre deceat nostram contentionem: quemadmodum Paulus certamen nobis cum carne et sanguine esse negat, sed nos ad spiritualem pugnam acuit (Ephes. 6, 12). Ergo ubi modestiam erga homines, erga Deum submissionem docuit, Satanam proponit hostem, in quem insurgere deceat. Promissio tamen quam addit de fuga Satanae videtur quotidiana experientia refutari. Certum enim est, quo quisque fortius repugnat, eo aerius urgeri. Ludit enim quodammodo Satan ubi non repellitur serio conflictu: sed adversus renitentes quidquid habet roboris explicat. Deinde pugnando nunquam fatigatur: sed uno proelio victus, aliud subinde renovat. Respondeo, fugam loco profligationis accipi. Et sane quamvis continuos insultus repeatat, semper tamen exclusus discedit.

8. *Appropinquate Deo.* Iterum admonet, non defuturum nobis Dei auxilium, modo locum illidemus. Nam quum appropinquare Deo iubet, ut illum propinquum sentiamus, significat nos eius gratia destitui, quia nos subducimus. Deo autem a partibus nostris stante, non est cur succumbere metuamus. Caeterum si quis ex hoc loco inferat

prioros in nobis partes sitas esse, Dei gratiam postea subsequi: nihil tale voluit apostolus. Neque enim si hoc facero debemus, protinus sequitur etiam nos posse. Et spiritus Dei quum nos ad officium hortatur, sibi aut suae virtuti nihil derogat quin hoc ipsum quod iubet, impleat idem quoque in nobis. In summa, nihil aliud voluit Iacobus hoc loco, quam nobis Deum nunquam decessc, nisi quia nos ab ipso alienamus: quemadmodum si quis famelicos ad monsam, et ad fontem sitientes abduceret. Hoc interest quod gressus nostros a Domino et regi et sustineri oportet: quia nos pedes deficiunt. Porro quod cavillantur, secundariam et quasi pendequam esse Dei gratiam nostrae praeparationi, quia Deum appropinquare posteriore loco Iacobus dicat: frivolum est. Scimus enim non esse novum ut priores suas gratias novis augeat: hocque modo locupletet magis ac magis, quibus iam multum dederat.

Mundate manus. Compellat hic omnes a Deo alienatos. Neque vero duo hominum genera designat: sed eosdem vocat peccatores, et duplices animo. Neque quosvis peccatores intelligit: sed sceleratos et vitae corruptioris. Quemadmodum Iohan. cap. 9, 3, Deus peccatores non exaudit. Quo sensu mulier peccatrix a Luca dicitur (7, 37): ab eodem et reliquis evangelistis: Hic cum peccatoribus edit ac bibit. Quare non omnes promiscue ad poenitentiae speciem, cuius hic fit mentio, invitati: sed qui corde sunt pravo et corrupto, vita autem turpi et flagitiosa, vel certe scelerata, ab his exigit cordis puritatem et munditiem operum. Unde colligimus, quae vera sit poenitentiae ratio ac natura: ubi scilicet non tantum corrigitur vita exterior, sed initium fit ab animi repurgatione: sicuti econverso necesse est ut interioris resipiscentiae fructus in operum integritate appareant.

9. *Affligimini, lugete.* Moerorem Christus denuntiat iis qui rident, pro maledictione. Et Iacobus paulo post in eandem sententiam divitibus luctum minabitur. Verum hic agit de salutari tristitia quae nos ad poenitentiam adducit. Eos alloquitur qui mente inebriasi Dei iudicium non sentiunt: ita fit ut sibi in vitiis placeant. Mortiferum hunc torporem ut illis executiat, admonet ut lugere discant, conscientiae scilicet dolore tacti: ac sibi adulari et plaudere in propinquu exitio desinant. *Risus ergo pro delitiis capit,* quas sibi faciunt impii, dum infatuati scelerum dulcedine, Dei iudicium obliviscuntur.

10. *Humiliamini.* Conclusio est superiorum: tunc expositam nobis fore Dei gratiam ad nos erigendos, ubi altos illos spiritus deposuisse nos viderit. Ideo aemulamur et invidemus, quia cupimus eminere. Hacc praepostera est ratio. Dei enim pro-

prium est erigere abiecos, ac praesertim qui sponte se deiiciunt. Quisquis ergo firmam altitudinem appetit, proprio infirmitatis sensu deicetus, nihil do se nisi humile cogitet. Bene alicubi Augustinus: sicuti arborom, ut sursum crescat, profundas subtus radices agero oportet, ita quisquis in humilitatis radice fixum animum non habet, in ruinam suam extollitur.

11. *Nc detrahatis invicem: fratres qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, et iudicat legem: si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.* 12. *Unus est legislator, qui potest servare et perdere, tu quis es qui iudicas alterum?*

11. *Ne detrahatis.* Videmus quantum operae insumat Iacobus in corrigenda obloquendi libidine. Semper enim superba est hypocrisis: atque a natura sumus hypocritae, non sine aliorum contumelia cupide nos efferentes. Alter etiam humano ingenio ingenitus est morbus, ut velit quisque suo arbitrio alios omnes vivere. Hanc temeritatem proprie castigat Iacobus hoc loco, quod vivendi legem fratribus nostris audemus imponere. Detractionem ergo accipit pro calumniis omnibus, sinistisque sermonibus qui ex maligno et perverso iudicio manant. Late patet obloquendi malum. Sed hic in una illa specie, quam dixi, proprie insistit: nempe dum superciliosae statuimus de aliorum factis ac dictis, ac si nostra morositas illis pro lege esset: dum secure damnamus quidquid nobis non arridet. Talem confidentiam hic perstringi, ex ratione mox addita patet.

Qui detrahit fratri. Significat tandem derogari legi, quantum sibi quisque in fratres usurpat. Detractio igitur adversus legem reverentiae opponitur, quam illi deferri a nobis decebat. Idem fere argumentum tractat Paulus ad Romanos capite 14: tametsi alia occasione inductus. Nam quum superstitione in ciborum delectu quosdam teneret: quod sibi non putabant esse licitum, in aliis quoque damnabant. Illic ergo admonet, unum esse Dominum cuius arbitrio stamus ac cadimus omnes et ad cuius tribunal sumus omnes sistendi. Unde concludit, eum, qui fratres iudicat ex suo sensu, quod Dei proprium est sibi arrogare. Iacobus autem reprehendit eos qui dammandis fratribus famam sanctitatis captant. Ideoque suam morositatem statuunt divinae legis loco. Eadem tamen ratione pugnat qua Paulus, nempe temere nos facere, si nobis imperium in fratum vitam arripimus, quum lex Dei nos omnes sinc exceptione in eundem cogat ordinem. Docemur ergo, non esse nisi ex lege Dei iudicandum.

Non es factor legis, sed iudex. Sic resolvi debet oratio, Quum censoriam tibi potestatem vindices

supra legem Dei, iam eximis te a legis subiectione. Ergo qui fratrem temere indicat, excudit Dei iugum: quia communis vivendi regulae se non submittit. Est igitur argumentum a contrariis: quia legis observatio multum ab hac arrogantia dissident, quum homines stultae suae opinioni legis vim ac autoritatem tribuunt. Undo sequitur, tunc nos legem observare quum toti a sola eius doctrina pendemus, nec aliunde discernimus inter bonum et malum, sicuti etiam omnia hominum facta et dicta exigi debent. Si quis obiciat, sanctos tamen fore mundi iudices: facilis est responsio, non competere in eos eiusmodi honorem proprio iure: sed quatenus sunt Christi membra. Quod autem nunc iudicant secundum legem, in eo non sunt existimandi iudices: quia Deo tantum suo et omnium iudici obedienter subscribunt. Quantum ad Deum spectat, legis factor censeri non debet: quoniam eius iustitia lege est superior. Fluit enim lex ex aeterna immensa que Dei iustitia, tanquam ex fonte rivulus.

12. *Unus legislator.* Quum servandi perdenique potestatem cum legislatoris officio coniungit, significat, totam Dei maiestatem ad se rapere eos qui sibi ius ferandae legis vindicant. Atqui tales sunt qui suum nutum alii ingerunt pro lege. Meminerimus autem non de externa politia hic agi, in qua locum habent magistratum edicta aut leges: sed de spirituali animae regimine, in quo solum Dei verbum dominari convenit. Unus ergo Deus est qui suis legibus conscientiae iure subiectas habet: quemadmodum solus animae salutem vel interitum habet in manu sua. Hinc constat quid de humanis praecceptis sentiendum sit, quae conscientiis laqueum necessitatis iniiciunt. Modestiam in nobis quidam desiderant quum papam vocamus Antichristum, qui tyrannidem in animas exercet, se legislatorem faciens Deo aequalem. Atqui ex hoc loco longe plus colligimus: Antichristi scilicet membra esse qui tales laqueos sponte induunt: et Christo eatenus renuntiare dum illi non hominem tantum mortalem, sed qui se adversus eum extollit, asso-
ciant. Est inquam praevaricatrix obedientia, et quae diabolo exhibetur, dum alium admittimus ad regendas animas legislatorem quam Deum.

Tu quis es. Putant quidam admoneri hic suorum vitiorum reprobatores, ut inchoent a se ipsis examen: ac dum reputant se nihilo esse aliis puriores, tam severi esse desinant. Ego simpliciter suam hominibus conditionem obici puto, ut cogitent quantum absint ab eo gradu in quem se eveniunt. Quemadmodum etiam Paulus loquitur: Tu quis es qui alienum servum iudicas (Rom. 14, 4)?

13. *Age nunc, qui dicitis, Hodie et cras eamus in civitatem, et transigamus illic annum unum, et mercemur, et lucremur:* 14. *qui nescitis quid cras futurum sit,*

quae enim est vita vestra? vapor est scilicet ad exiguum tempus apparet, deinde evanescens: 15. quum dicere debeatis, Si Dominus voluerit, et vixerimus, faciemus hoc vel illud. 16. Nunc autem gloriarni in superbiis vestris, omnis gloriatio talis mala est. 17. Qui ergo novit facere bonum, nec facit, peccati reus est.

13. *Age nunc, etc.* Aliud superbiae genus hic damnat: nempe quod plerique quum pendere ex Dei providentia deberent, confidenter statuunt quid facturi sint: suaque consilia in longum tempus disponunt: ac si multam annorum seriem in manu haberent, quum ne de uno quidem momento certi sint. Stolidam eiusmodi iactantiam Solomo quoque lepide ridet (Prov. 16, 1), quum dicit, homines constitutre animo vias suas: interea Dominum gubernare lingua. Est autem valde insanum, quod ne lingua quidem effari possumus, exsequendum nobis sumere. Non invehitur Iacobus in loquendi formam, sed in socordiam animi potius, quod homines propriae infirmitatis obliiti sic insolescunt. Nam fieri interdum potest ut pii qui de se modeste sentiunt, et gressus suos Dei nutu regi agnoscent, se tamen hoc vel illud facturos dicant sine exceptione. Est quidem rectum et utile, quum in futurum tempus aliquid promittimus, assuescere ad has formulas, Si Domino visum fuerit: aut, si Dominus permittet. Verum non iniicienda est religio, quasi omittere sit nefas. Nam passim in scripturis legimus sanctos Dei servos absque conditione loquutos esse de rebus futuris: quum tamen fixum in memoria haberent nihil se posse nisi Dei permissu. Ergo quod ad hanc loquendi consuetudinem spectat, Si Dominus volet, aut dabit: sedulo ab omnibus pii colenda est. Sed Iacobus eorum stuporem excitat, qui posthabito divinae providentiae respectu, totum anni cursum sibi subiiciunt, quum momentum in potestate non habeant: lucrum, quod procul abeat, sibi prominunt, quum minime teneant quod ante pedes est.

14. *Quae est enim vita vestra?* Aliis multis rationibus fraenare poterat stultam hanc deliberandi licentiam. Nam videmus ut Dominus quotidie superbos istos frustretur, qui magnifice quidvis se facturos promittunt. Hoc tamen uno argumento contentus fuit, Quis tibi in crastinum vitam pollicitus est? Faciesne mortuus, quod tam secure status? Nam cui vitae brevitas in mentem venit, eius facile comprimitur audacia, ne suas deliberationes nimis in longum protendat. Imo non alia ratione tantopere sibi indulgent profani homines, nisi quia se homines esse obliviscuntur. Similitudine vaporis, eleganter indicat plusquam evanida esse consilia, quae in sola vitae umbra subsistunt.

15. *Si dominus voluerit.* Duplex ponitur conditio: Si tamdiu erimus superstites. Deinde: Si

Dominus concedet: quoniam multa intervenire possunt quae evertunt quidquid apud nos statutum erat. Caeci enim nobis sunt futuri temporis eventus. Voluntatem intelligit non quae in lege exprimitur, sed consilium quo moderatur omnia.

16. *Nunc autem gloriarni.* Ex his verbis colligere licet, Iacobum plus quiddam reprehendere quam lubricum sermonem. Gloriarni, inquit, in vestris iactantiis: nempe quod quum abrogarent Deo suum imperium, sibi nihilominus placebant. Non quod se palam Deo praferant qui vel maxime inflati sunt sui fiducia: sed quia inebriati sensus sui vanitate, nihil minus quam Deum respiciunt. Et quia eiusmodi monitiones a profanis hominibus contemptim solent excipi: imo statim auditur responsum illud, sibi notiue esse quidquid affertur, quam ut moneri opus habeant: cognitionem, qua gloriari poterant, in eos retorquet, eo gravius peccare eos pronuntians, quod ignorantia non peccant, sed contemptu.

CAPUT V.

1. *Agedum nunc, divites, plorate, ululantes super miseriis vestris quae advenient vobis.* 2. *Divitiae vestrae putrefactae sunt, vestimenta vestra a tineis exesa sunt.* 3. *Aurum et argentum vestrum aerugine corruptum est: et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et exedet carnes vestras sicut ignis: thesaurum concessistis in extremis diebus.* 4. *Ecce merces operiorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraude aversa est a vobis, clamat: et clamores eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.* 5. *In delitiis vixistis super terram: lascivitis, enutristis corda vestra, sicut in die mactationis.* 6. *Condemnasti et occidisti iustum, et non resistit vobis.*

1. *Agedum nunc.* Falluntur (meo iudicio) qui Iacobum hic exhortari ad poenitentiam divites putant. Mihi simplex magis denuntiatio iudicij Dei videtur, qua eos terrere voluit absque spe veniae: nam quaeunque dicit, nonnisi ad desperationem spectant. Quare non ipsos alloquitur ut ad resipiscentiam invitet: sed fideles potius respicit, ut audientes infelicem exitum divitum, non invideant eorum fortunae. Deinde ut iniuriarum, quas perferunt, Deum scientes fore ultorem, aequo et placido animo eas tolerent. Divites autem non quosvis compellat, sed qui delitiis immersi, et inflati superbia, nihil nisi mundum cogitant: qui, tanquam inexhausti gurgites, devorant omnia: qui tyrannice alios vexant: quemadmodum ex contextu patebit.

Plorate ululantes. Est quidem et suus poenitentiae luctus: sed qui mistus consolatione, non ad ululatum usque procedit. Significat ergo Iacobus,

tam horrendam ac diram fore maledictionis divinac gravitatem in divites, ut erumpero in ululatum cogantur: ac si uno verbo diceret: Vao vobis. Sed et prophetica est loquendi forma, dum impii, propositis in medium poenis quae eos manent, quasi in rem prouosentem iam trahuntur. Quum ergo nunc sibi blandiantur, ac fortunam, in qua se beatos putant, sibi polliceant aeternam fore, pronuntiat instaro illis gravissimas aerumnas.

2. *Divitiae restraec.* Potest esso duplex sensus, vel ut stultam eorum fiduciam rideat, quia divitiae, in quibus felicitatem suam repenunt, sint plusquam cadueae, imo quod uno Dei flatu in nihilum redigendae sint: vel ut inexplicabilem eorum avaritiam reprehendat, quia in hoc tantum opes congerant, ut pereant sine aliquo usu. Hic posterior sensus melius congruit. Est quidem illud verum, insanos esse divites qui in rebus tam evanidis, ut sunt vestes, aurum, et argentum, et similia, gloriantur: quandoquidem hoc nihil aliud est quam suam gloriam aerugini ac tineis subiicere. Deinde notum est illud, male parta, male statim dilabi: quia Dei maledictio omnia absunit. Neque enim aequum est, improbos vel eorum haeredes opibus frui, quas violenter quasi e manu Dei rapuerunt. Sed quia Iacobus hic vitia enumerat, quibus divites calamitatem, de qua meminit, sibi accersunt: contextus hoc postulat (meo iudicio) ut dicamus hic immensam divitium rapacitatem perstringi: dum suppri- munt quidquid undecunque possunt ad se trahere, ut inutiliter in arca computrescat. Ita enim fit ut quae Deus creaverat in hominum usus, ipsi perdant, quasi humanae naturae hostes. Notandum autem est: quae hic recenset vitia, non competere in singulos. Nam alii divitium laute sibi indulgent: alii in pompas et ostentationem multa dilapidant: alii genium fraudantes, misere in suis sordibus vietitant. Sciamus ergo alia aliis vitia hic exprobrari: generaliter tamen damnantur omnes qui vel iniuste sibi divitias accumulant, vel illis perperam abutuntur. Caeterum quod nunc Iacobus dicit, non solum extremae tenacitatis divitibus convenit (qualis est Plautinus Euclo¹), sed quibusdam etiam alioqui splendidis et lautis, qui malunt apud se corrumpi opum acervos, quam in necessarios usus erogare. Tanta est enim quorundam malignitas ut communem aliis solem et aarem esse aegre ferant.

3. *In testimonium vobis erit.* Hoc expositionem, quam prius attuli, confirmat. Neque enim Deus aurum destinavit aerugini, neque vestes tineis: quin potius haec voluit esse humanae vitae subsidia. Quare ipsa sine usu consumptio, testis ipsorum inhumanitatis erit. Auri et argenti putredo, quasi

materia erit inflammatae irae Domini, ut instar ignis eos consunat.

Thesaurum concessistis. Potest haec quoque particula bifariam exponi: vel quod divites, quasi semper victuri essent, nunquam satiantur, sed congerero satagunt quod usque ad finem mundi satis sit: vel quod iram ae maledictionem Dei coaccervant in extreum diem. Hoc secundum magis amplectore.

4. *Ecce merces.* Iam in crudelitatem invehitur, quao individua est avaritiae comes. Speciem vero unam attingit, quae merito praec aliis odiosa esse debet. Nam si vir humanus et aequus curram habet iumenti sui (ut inquit Solomon (Prov. 12, 10), haec prodigiosa saevitia est, quum homo erga hominem, cuius sudores in suum commodum exsugit, nulla misericordia tangitur. Ideo Dominus severe in lege vetat no apud nos dormiat merees operarii (Deut. 24, 15). Adde quod Iacobus non quosvis operarios nominat: sed amplificandi causa, agricultas et messores. Quid enim est indignius quam eos, qui panem ex suo labore nobis suppeditant, inedia et fame conficere? Et tamen vulgare est hoc portentum. Sunt enim permulti ingenio tyraanico, qui sibi solis humanum genus putant vivere. Dicit autem mercedem clamare, quia quidquid alienum, fraude vel per iniuriam apud se retinent homines, vindictam quasi alto clamore exposcit. Notandum est quod subiicit, et amores inopum pervenire ad aures Dei: ut sciamus non impunitas fore iniurias. Quare aequo animo sustineant qui ab iniquis premuntur, quia Deum habituri sint vindicem. Abstineant, quibus est potestas nocendi, ab iniuria, ne Deum in se provocent, qui pauperum tutor est ac patronus. Qua ratione etiam Dominum s a b a o t h vocat, potentiam ac vires eius notans, quo magis formidabile reddat eius iudicium.

5. *In delitiis.* Descendit nunc ad aliud vitium, nempe luxum et delitias. Nam qui ultra mediocritatem abundant, raro sibi temperant quin sua abundantia ad immedicas lautitas abutantur. Sunt quidem (ut dixi) nonnulli divites qui in sua copia esuriunt. Neque enim sine causa Tantulum finixerunt poetae in mensa bene referta famelicum. Semper tales fuerunt in mundo Tantali: sed Iacobus (ut dictum est) non de singulis loquitur. Satis est quod vitium hoc videmus communiter regnare inter divites, quod sint in gulae suea delitias nimium sumptuosi ac superflui. Tametsi autem illis Dominus permittit liberaliter de suo vivere: semper tamen cavenda est profusio, et colenda frugalitas. Neque enim frustra tam aspere exagitat Dominus per prophetas eos qui dormiunt in lectis eburneis, qui pretioso unguento sunt delibuti, qui suaviter potando se oblectant ad cantum citharae, qui sunt veluti vaccae pingues in uberibus pascui. Haec

¹⁾ In Aulularia

enim omnia eo dicuntur, ut sciamus modum in delitiis tenendum esse, ac displicere Deo intemperantiam. *E nutrire corda*, significat sibi indulgere, non modo ad naturae satietatem, sed quantum fert cupiditas. Addit similitudinem, sicut in die mactationis, quia solebant in sacrificiis solennibus liberalius vesci quam pro quotidiano more. Dicit ergo divites tota vita continuare diem festum: quia in continua voluptatibus sint demersi.

6. *Condemnatis.* Sequitur alia inhumanitatis species: quod divites sua potentia opprimunt atque evertunt infirmos. Metaphorice dicit, iustos ab illis occidi et damnari: nam uteunque manu sua non iugulent, nec fungantur iudicium munere: dum tamen autoritatem, qua pollut, convertunt ad nocendum, dum corruptum iudicia, dum varias artes excogitant ad perdendos innocentes, hoc est, vere occidere ac damnare. Quum addit, *Iustum non resistere*, significat crescere divitibus audaciam: quia omni praesidio destituantur quos praeverunt. Interea tamen admonet eo magis paratam promptaque fore vindictam Dei, quum nulla est pauperi ab hominibus defensio. Tametsi autem ideo non resistit iustus, quia patienter ferre debet iniurias: ego tamen simul imbecillitatem notari puto: quod scilicet non resistat, quia inermis est ac desertus hominum auxilio.

7. *Patienter ergo agite, fratres, usque in adventum Domini.* Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter se gerens erga eum, donec recipiat pluviam matutinam et vespertinam. 8. *Patienter ergo agite et vos: confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini propinquus est.* 9. *Ne ingemiscatis alii in alios, fratres, ne condemnemini.* Ecce index stat pro foribus.

7. *Patienter ergo.* Ex hac illatione constat, quae hactenus dicta sunt in divites, pertinere ad eorum consolationem qui ad tempus impune videntur eorum iniuriis expositi. Postquam enim calamitatum, quae divitibus imminent, causas recensuit, et unam hanc posuit inter alias, quod superbe et crudeliter dominati sint in pauperes, protinus subiicit, nos qui iniuste affligimur, babere patientiae materiam, qui Deus futurus sit iudex. Hoc enim sibi vult, quum dicit, *Usque in adventum Domini: non fore scilicet perpetuam rerum confusionem quae hodie in mundo cernitur, quia Dominus adventu suo mundum in ordinem revocaturus sit: ideoque animos in bonam spem colligendos.* Neque enim abs re nobis promittitur illo die rerum omnium instauratio. Tametsi autem passim in scripturis dies Domini vocatur quaelibet iudicii et gratiae eius manifestatio, quum suis succurrit, et

impios castigat: hunc tamen locum de postrema liberatione interpretari malo.

Ecce agricola. Eandem similitudinem breviter attingit Paulus in secunda ad Timoth. cap. 2, 6. quum dicit, laborare agricolam oportere, priusquam fructus colligat: sed expressior est Iacobi oratio. Diuturnam enim agricultae patientiam commemorat: qui postquam semen terrae mandavit, secure vel saltem patienter exspectat, dum adveniat tempus messis: nec moleste fert quod non statim terra maturum fructum reddat. Unde colligit, non debere nos ultra modum anxious esse, si nunc laborandum sit ac serendum, donec appareat, tanquam messis, dies Domini. *Fructum pretiosum* vocari interpretor, quoniam alimonia est, ac vitae sustinendae ratio. Significat autem Iacobus, quum agriculta vitam suam, quae illi tam pretiosa est, in terrae gremio depositam latere diu sinat, votumque fructus colligendi placide suspendat: nos esse nimis praecepites ac importunos, nisi aequis animis redemptionis nostrae dicem exspectemus. Alias similitudinis partes non opus est sigillatim persequi.

Pluviam matutinam. Duobus istis epithetis duo tempora notantur: prius, quod paulo post sementem sequitur: alterum, dum maturescunt segetes. Sic loquuntur prophetae, quum pluviae opportunitatem exprimere volunt, quam promisit Moses Deuter. 28, 12, Ioel. 2, 23, et Osee 6, 3. Utramque autem commemorat, ut melius exprimat, non frangи longi temporis taedio agricultas, quin sustineant moram.

3. *Confirmate corda vestra.* Ne quis obiiceret, nimium differri liberationis tempus, occurrit, dicens prope instare Dominum, vel (quod idem est) eius adventum appropinquasse. Interea iubet corriger animi molitatem, quae nos debilitat ne sperando perseveremus. Et certe longum ideo appetit tempus, quia nos teneri nimis ac delicati sumus. Ergo colligendum est robur ad durandum: colligi autem melius non potest quam ex spe et quasi intuitu propinquui adventus Domini.

9. *Ne ingemiscatis.* Quia audiuntur multorum querimoniae, se durius tractari quam alios, locus hie a quibusdam ita exponitur, quasi iubeat Iacobus unumquemque sorte sua contentum, non invidere aliis, neque indigne ferre si tolerabilius sit aliorum conditio. Sed ego aliter interpretor. Postquam enim de infausto eorum exitu disseruit, qui bonis et quietis hominibus molesti sunt sua tyrannide: iam fideles hortatur ut inter se aequi sint, et in condonandis offensis faciles. Hunc esse genuinum sensum, ex ratione addita colligi potest. Nolite, inquit, alii in alios queruli esse, ne omnes condemnemini. Ingemiscere quidem licet, quoties aliquid nos mali angit: sed gemitum accusatorum intelliget, ubi alii de aliis apud Dominum expostulant. Futurum autem hoc modo denuntiat

ut damnentur omnes: quia nemo est qui non fratres suos offendat, et materiam praebeat ingemiscondi. Iam si conquerantur singuli, omnes so mutuo accusabunt: nemo enim tam innocens, qui non aliquos laeserit: Deus communis erit omnium iudex. Quid ergo futurum est, nisi ut quod quisque iudicium in alios ferri cupit, in eo ipsum admittat: atque ita exaudiantur omnes in mutuam perniciem? Nemo itaque vindictam de aliis exposcat, nisi qui in caput suum volet accersere. Ac ne temere ad ciusmodi querelas prosilient, iudicem denuntiat stare pro foribus. *Nam, quae nostra est propensio ad profanandum Dei nomen, in levissimis quibusque offensis provocamus ad eius iudicium.* Nullum autem aptius fraenum est cohibenda nostrae temeritati, quam si reputemus non in aerem evanescere nostras imprecations, quia *Dei iudicium propinquum sit.*

10. *Exemplum accipite afflictionis, fratres mei, et tolerantiae prophetas qui loquuti sunt nomine Domini. 11. Ecce beatos esse ducimus eos qui sustinent. Patientiam Iob auditis, et finem Domini vidistis, quod multum sit misericors et commiserans.*

10. *Exemplum accipite.* Solatum, quod affert, non illud est quod vulgari proverbio dicunt, miseros expetere ut qualescumque habeant malorum socios. Sed eos proponit socios, quorum numero aggregari optabile sit: et quibuscum si communis sit nobis conditio, non potest misera esse. Nam sicuti necesse est extremo moerore nos affici, si quid nobis mali accidat, quod nunquam experti sint filii Dei: ita haec singularis est consolatio, quum scimus nos nihil pati ab illis diversum: imo ad idem ingum cum ipsis sustinendum nos aptari cognoscimus. Quum audiret Iob a suis amicis: Convertere ad sanctos: an aliquem reperies qui tibi sit similis (Iob. 5, 1)? erat haec vox Satanae, qua praecipitare in desperationem ipsum volebat. Ex adverso dum spiritus per os Iacobi nos vult in bonam spem erigere, sanctos omnes praeceuntes nobis ostendit, qui nobis veluti manum porrigant, suoque exemplo nos invitent ad subeundas et vincendas afflictiones. Promiscue quidem aerumnis et rebus adversis subiecta est hominum vita: sed Iacobus non quosvis adducit in exemplum, quia nihil iuvaret cum multitudine perire: verum prophetas eligit quorum felix est societas. Nihil est aliud quod nos frangat ac exanimet quam miseriae sensus. Proinde haec vera consolatio est, quae mala vulgo putantur, sentire nobis esse salutis adjumenta. Hoc quidem ab intelligentia carnis valde est alienum: sic tamen statuere debent fideles, se beatos esse quum variis aerumnis probantur a Domino. Hoc ut persuadeat Iacobus, finem afflictionum in prophetis considerandum esse admonet: nam quia in propriis malis,

dolor, tristitia, aut quovis alio immoderato affectu praeoccupati, iudicio caremus, et quasi tempestate iactati, sub turbido coelo et inter medias procellas nihil cernimus: ideo necesse alio conicere oculos, ubi coelum quodammodo serenum et liquidum est. Quum nobis sanctorum narrantur afflictiones, nemo est qui miseros, ae non potius beatos fuisse fateatur. Recte ergo Iacobus, qui exemplar illud ponit ante oculos, ut eo nos referre discamus quoties tentamur impatience aut desperatione. Sumit autem principium illud, beatos censeri in suis afflictionibus prophetas, quia constanter eas sustineant. Quum ita sit, idem fieri iudicium debere colligit, dum nos affligimur. Dicit autem, prophetas qui loquuti sunt nomine Domini, quo significat illos Deo gratos et probatos fuisse. Ergo si utile illis fuisse eximi a miseriis, proculdubio praestitisset ipsos Deus immunes. Atqui non fecit: sequitur ergo salutares esse afflictiones fidelibus. Hoc sensu iubet illos assumi exemplar afflictionum: sed oportet patientiam simul accedere, quae verum est obedientiae nostrae testimonium: ideo utramque coniunxit.

11. *Patientiam Iob.* De prophetis generaliter loquitur est: nunc insigne pree aliis exemplum eligit. Nemo enim (quantum ex historiis colligi potest) tam duris ac tam variis aerumnis unquam fuit obrutus: emersit tamen ex tam profunda abyso. Quisquis ergo imitabitur eius patientiam, non dubium est quin manum Dei similiter sensurus sit, quae tandem eum liberet. Videmus in quem finem scriptae sint historiae. Deus servum suum Iob, quia patienter afflictiones suas sustinuit, non passus est opprimi: ergo nullius patientiam frustrabitur. Quaeritur tamen cur patientiam Iob tantopere commendet apostolus, quum tamen eaeco impetu abruptus, multa impatientiae signa edat. Respondeo: etiamsi vel interdum carnis infirmitate labascat, vel secum tumultuetur: semper tamen huc redire ut se totum Deo permittat, seque ipsi fraenandum ac regendum offerat. Quare utcunque desit aliquid eius patientiae, non immerito tamen laudatur.

Finem Domini. Hoc verbo significat, a fine semper aestimandas esse afflictiones. Initio enim videtur procul abesse Deus: interea licentiose grassetur Satan in hac perturbatione: suggestit nobis caro, nos desertos a Deo esse ac proditos: longius ergo extendere intuitum nostrum oportet, quia prope nihil lucis appetet. Porro finem Domini dixit: quia eius est, prosperum successum rebus adversis dare: si nos officium nostrum praestemus obedienter sustinendo, ipse partibus suis vicissim minime deerit. Tantum nos in finem spes dirigat, Deus ipse vicissim se plusquam misericordem illic ostendet, quantumvis rigidus et austerus videatur quamdiu affigit.

12. *Ante omnia vero, fratres mei, ne iuretis neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodvis iusiurandum: sit autem vestrum est, est: non, non: ne in iudicium incidatis.* 13. *Affigitur quis inter vos? oret. Hilari est animo? psallat.*

12. *Ante omnia, etc.* Fuit hoc commune vitium omnibus fere saeculis, leviter et inconsiderate iurare: nam, quae nostra est malignitas, non reputamus quam atrox sit crimen, abuti Dei nomine. Verum quia Dominus interim severe nominis sui reverentiam nobis commendat: varia subterfugia excogitant homines, ut iurare impune liceat. Fingunt igitur nihil mali esse, modo non palam interpositum sit Dei nomen: atque hoc vetus commentum fuit. Ita Iudei quum per coelum et terram iurarent, non putabant se Dei nomine abuti quod subticebant. Atqui dum ingeniosi esse homines volunt ut fucum faciant Deo, nihil quam frivolis cavillationibus se ipsos deludunt. In eiusmodi vanitatem invectus fuerat Christus, ut habetur Matth. 5, 34. Nunc Iacobus magistri sui decreto subscribens, ab obliquis istis formulis abstinere praecipit: quia Dei nomine abutitur quisquis frusta et ob rem nihil iurat, qualencunque colorem obtendat suis verbis. Summa ergo est, nihilo magis esse licitum, per coelum aut terram iurare, quam palam per Dei nomen. Ratio a Christo exprimitur: quia ubique insculpta sit Dei gloria, et ubique resulgeat. Imo non alio sensu vel consilio coeli aut terrae voces in iuramentis homines usurpant, quam si Deum ipsum nominarent: quia sic loquendo, tantum opificem designant a suis operibus. Dicit autem ante omnia: quia non leve delictum est nominis Dei profanatio. Quod Anabaptistae huius loci praetextu iuramenta omnia damnant, imperite faciunt. Neque enim Iacobus in universum de iuramentis disputat: quemadmodum nec Christus eo quem citavi loco: sed uterque cavillationem illam refellit quae in fraudem legis inventa fuerat, dum captant homines iurandi licentiam, non expresso Dei nomine. Licentiam dico quae legis prohibitioni repugnat. Atque hoc clare sonant verba, neque per coelum, neque per terram: nam si de substantia esset quaestio, quorsum attinebat formulas istas notare? Constat itaque tam a Christo quam a Iacobo puerilem eorum astutiam reprehendi, qui impune iurare se putabant, modo circumirent per ambages. Ergo ut teneamus Iacobi mentem, primo loco tenendum est legis praeceptum, non accipies nomen Dei tui frusta: unde constat iustum ac legitimam esse aliquam nominis Dei usurpationem. Nunc Iacobus eos damnat qui directe quidem non audent Dei nomine abuti: sed verborum circuitu effugere conantur abusum quem lex damnat.

Si autem vestrum, est. Optimum vitio, quod

reprehendit, corrigendo remedium afferit: ut voritati et constantiae in omnibus suis dictis assuescant. Unde enim pravus mos iurandi, nisi quia tanta est hominum vanitas, ut simpliciter loquentibus non credatur? Nam si fidem in verbis suis, ut decet, colerent, non opus esset tot superfluis iuramentis. Quia igitur hominum perfidia vel levitas fons est, unde iurandi corruptela oritur: ut posterius vitium tollat Iacobus, tollendum esse prius docet. Nam sanandi ratio a causa incipere debet. Nonnulli codices habent, sit sermo vester, est, est: non, non. Genuina tamen lectio est ea quam reddidi, atque etiam magis recepta. Quid autem significet, iam exposui: ut scilicet veraces simus, firmique in omnibus dictis. Eodem sensu testatur Paulus 2. ad Corinth. 1, 18, non fuisse deprehensum in praedicatione sua Est et non: sed eodem tenore se prosequutum esse quo cooperat.

Ne in iudicium. Varia est lectio propter vocum affinitatem ἀπόκρισιν καὶ ὑπόκρισιν. Si legas, in iudicium, vel in condemnationem, sensus erit clarus, Dei scilicet nomen non impune sumptum iri frustra: sed non male quadrabit, in simulationem: quia (sicuti iam dictum est) ubi simplicitas inter nos viget, praecisa est ansa supervacuis iuramentis. Ergo si dictis nostris omnibus constet fides, sublata erit simulatio quae nos ad temere iurandum provocat.

13. *Affigitur quis.* Significat nullum esse tempus quo non ad se Deus nos invitet. Nam afflictiones ad precandum stimulare nos debent: res prosperae laudandi Dei materiam suppeditant. Atqui ea est hominum pravitas, ut laetari nequeant quin Dei obliscantur: afficti vero deiiciant animos, et desperatione opprimantur. Tenenda igitur haec moderatio, ut laetitia, quae Dei oblivionem inducere solet, nos ad praedicandam Dei bonitatem incitat: tristitia autem nos ad precandum erudit. Nam psallendi verbum profano vel effraeni gaudio opposuit, quo exsultant qui rebus prosperis ad Deum ut par erat, non ducuntur.

14. *Infirmatur quis inter vos? advocet presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:* 15. *Et oratio fidei servabit aegrotum, et excitabit eum Dominus: et si peccata admiserit, remittentur illi.*

14. *Infirmatur quis.* Quoniam tunc adhuc vigebat donum sanationis, praecipit ut aegroti confugiant ad hoc remedium. Certum quidem est non omnes fuisse sanatos, sed Dominum huic gratiae locum dedisse, quoties et quatenus expedire noverat: nec verisimile est promiscue adhibitum fuisse oleum, sed tantum ubi certa spes erat profectus. Una enim cum virtute dabatur etiam ministris discretio,

ne symbolum abusu profanarent. Non aliud Iacobi consilium fuit quam Dei gratiam, qua tunc frui poterant fideles, commendare, non contemptu aut negligentia periret eius utilitas. In hunc finem iubet accersi presbyteros. Unctionis vero usus non effectum spiritus sancti rostringi debet. Hunc locum magnifice iactant papistae, dum extremam suam unctionem venditare volunt. Quantum autem distet eorum corruptela a veteri instituto, cuius meminit Iacobus, in praesentia exponere superscedeo. Hanc partem lectores ex Institutione discant. Hoe tantum dico, male et inscite torqueri hunc locum, ut extrema unctione sit et vocetur sacramentum eius in ecclesia perpetuo usus manere debeat. Fateor equidem pro sacramento usurpatam fuisse a Christi discipulis (neque enim illis assentior qui medicamentum fuisse putant), sed quemadmodum veritas huius signi nonnisi ad tempus duravit, symbolum dico similiter fuisse temporale. Atque hoc planum est: nihil enim absurdius quam sacramentum vocare quod inane sit, nec rem signatam vere nobis offerat. Donum sanationis fuisse temporale, fateri omnes coguntur, et res ipsa demonstrat: ergo signum eius perpetuum esse non oportuit. Unde sequitur non veros esse imitatores, sed simias esse apostolorum, qui unctionem inter sacramenta hodie reponunt, nisi effectum simul restituant, quem ante annos mille et quadringentos Deus mundo abstulit. Ita nobis certamen non est an unctione fuerit aliquando sacramentum: sed an nobis data fuerit ut hodie quoque apud nos sit in usu. Hoc posterius negamus, quia constat rem signatam pridem desiisse.

Presbyteros ecclesiae. Ego generaliter omnes comprehendo qui regendae ecclesiae praerant. Neque enim soli pastores presbyteri vocabantur, sed qui deligebantur ex plebe quasi censores ad tuendam disciplinam. Unaquaeque enim ecclesia suum quasi senatum habebat, ex gravibus et probatae integritatis viris delectum. Quoniam autem eos potissimum eligere moris erat qui praediti erant excellentioribus donis: ideo accersere presbyteros iubet, utpote in quibus maxime vis et gratia spiritus sancti se exserebat.

Orent super eum. Huc spectat ritus orandi super aliquem, ut veluti coram Deo sistatur: quia ubi in rem praesentem ventum est, maiore affectu concipimus preces: sicuti non modo Elisaenus et Paulus, sed Christus ipse hac caeremonia precandi ardorem excitarunt, et commendarunt Dei gratiam. Notandum vero quod promissionem orationi annexit, ne fide vacua sit. Nam qui haesitat, sicuti rite non invocat Deum, ita indignus est qui impetrat: ut habuimus capite primo. Quisquis ergo exaudiri volet, certo apud se statuat non frustra se orare. *Sicuti Iacobus donum illud speciale in medium profert, cuius accessio tantum erat externus ritus.* Unde

colligimus, ne olei quidem legitimum esso usum absque fide. Atqui quum papistis adeo nulla constet certitudo suae unctionis, ut palam sit dono eos carere, illam adulterinam esse patet.

15. *Et si peccata, etc.* Non est hoc additum duntaxat angendi causa, ac si dixisset, maius aliquid Deum aegroto datrum quam corporis sanitatem: verum quia morbi saepissime irrogantur ob peccata, de horum remissione loquens, causam mali sublatum iri significat. Et sane videmus ut David morbo afflictus, dum levationem optat, totus sit in petenda peccatorum venia. Quorsum hoc nisi quia dum culpao suae effectum agnoscit in poenis, non aliud remedium esse iudicat, quam si Dominus peccata imputare desinat? Pleni sunt hac doctrina prophetae, malis levari homines, quum ab iniquitatum reatu solvuntur. Ergo hanc demum et morbis nostris et aliis calamitatibus sciamus aptam esse medicinam, si de placando Deo et obtinenda peccatorum venia solliciti, nos diligenter examinemus.

16. *Confitemini invicem peccata vestra, et orate invicem alii pro aliis, ut salvemini.* Multum valet precatio iusti efficax. 17. *Elias homo erat passionibus similiter obnoxius ut nos, et preicatione precatus est ne plueret, et non pluit semper terram annos tres et sex menses.* 18. *Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra protulit fructum suum.*

16. *Confitemini invicem.* In nonnullis codicibus inseritur illativa particula: neque male quadrat. Nam ut non exprimatur, subaudienda tamen est. Dixerat peccata remitti aegrotis super quos orarint presbyteri: nunc admonet quam utiliter peccata nostra fratribus retegamus: quia scilicet eorum intercessione poterimus veniam consequi. Scio locum hunc a multis exponi de reconciliandis offensis: nam qui redire in gratiam volunt, eos culpam suam agnoscere prius et fateri necesse est. Inde enim fit ut radices agant inimicitiae, imo augeantur, ac fiant irreconciliabiles: quia unusquisque causam suam pertinaciter defendit. Putant ergo multi Jacobum hanc ostendere viam fraternalae reconciliationis, si mutuo agnoscant peccata sua: sed alio respexit, quemadmodum dictum est. Mutuam enim preicationem cum mutua confessione coniungit: quo significat in hoc prodesse confessionem, ut fratrum precibus iuvemur apud Deum. Nam qui necessitatis nostrae concii sunt, ad orandum incitantur, ut nobis subveniant: quos vero latent morbi nostri, ii ad opem nobis ferendam sunt segniores. Mira vero papistarum vel stultitia, vel improbitas, qui susurratoriā suam confessionem hoc testimonio astruere conantur. Nam ex verbis Iacobi inferre promptum esset, soles sacrificios debere confiteri. Quando enim mutua hic vel reciproca (ut crassius loquar) con-

fessio exigitur, non alii certe iubentur confiteri peccata sua, quam qui vicissim ad audiendam alterius confessionem sunt idonei: atqui hoc soli sacrifici sibi vindicant: ergo ad eos solos aleganda est confessio. Sed quum indignae sint eorum ineptiae quibus refutandis occupemur, sufficiat nobis vera et germana expositio quam attuli. Clare enim sonant verba, non alio fine confessionem nobis praecipi, nisi ut qui mala nostra neverint, ad opem ferendam magis sint solliciti.

Multum valet. Ne quis putet hoc fieri sine fructu, dum alii pro nobis orant, utilitatem et effectum orationis praedicat. Nominatim vero dicit preicationem iusti: quia impios Deus non exaudit, nec ad Deum accessus patet, nisi per bonam conscientiam. Non quod in propria dignitate fundatae sint nostrae preces, sed quia fide purgatum cor habere oportet, ut nos in conspectum Dei offeramus. Testatur ergo Iacobus, iustos aut fideles utiliter, nec sine effectu pro nobis precari. Sed quid sibi vult quod addit efficax? Videtur enim hoc esse superfluum: nam si multum prodest oratio, proculdubio est efficax. Quod vetus interpres translavit, assiduam: nimis est coactum. Iacobus enim graeco participio utitur ἐνεργούμενη, quod tantundem valet atque operans. Posset autem sic resolvi oratio, multum prodest, quia est efficax: ut sit argumentum ductum ab illo principio, quod Deus non vult irritas vel otiosas esse fidelium preces. Inde non imerito colligit, multum valere. Sed ego potius ad praesentem circumstantiam restringo: propriè enim preces nostrae ἐνεργούμεναι dici possunt, dum nobis necessitas aliqua obicitur, quae serum orandi affectum excitet. Quotidie oramus pro tota ecclesia, ut peccata illi Deus remittat: sed tunc vere in actu est oratio, quum succurrere contendimus iis qui laborant. Talis porro efficacia in fratrum precibus esse non potest, nisi nos laborare sciant. Ideo haec cause redditio non est generalis: sed ad priorem sententiam specialiter aptari debet.

17. *Elias homo erat.* Innumera huius rei, quam probare vult, exempla exstant in scripturis: sed unum elegit prae aliis illustre. Magnum enim hoc fuit, quod Deus precibus Eliae coelum quodammodo subiecit, ut eius votis obsequeretur. Coelum Elias duobus annis et sesqui clausum suis precibus tenuit: rursum aperuit, ut largam pluviam subito funderet: hinc ergo mirifica patet orationis virtus. Nota est ac celebris historia quae legitur 1. Reg. capite 17 et 18. Tametsi autem diserte illie non traditur Eliam orasse: siccitatem tamen et pluviam eius precibus datam esse colligi facile potest. Caeterum notanda est exempli applicatio. Non dicit Iacobus petendam esse siccitatem a Domino, quia hanc impetraverit Elias: possemus enim inconsiderato zelo

temere ac stulte aemulari prophetam. Ergo tenenda est orandi regula, ut ex fido. In hoc ergo accommodat exemplum, quod si exauditus fuit Elias, nos quoque rite precando exaudiemur. Nam quum sit commune orandi paeceptum et communis promissio: sequitur effectum quoque fore communem. Ne quis autem obiiceret, longe nos distare a gradu Eliae, eum collocat in nostro ordine, quum dicit hominem fuisse mortalem et iisdem nobiscum passionibus obnoxium. Nam ideo minus proficimus ex sanctorum exemplis, quia ipsos fingimus semideos vel heroas, quibus peculiare fuerit cum Deo commercium: ita ex eo quod exauditi sunt, nihil fiduciae concipimus. Ut hanc ethnicam et profanam superstitionem Iacobus executiat, sanatos in carnis infirmitate considerandos esse admonet: ut discamus non eorum meritis, sed orationis efficaciae tribuere quod omnia a Deo impetrarunt. Hinc apparet quam pueriliter nugentur papistae, qui ad sanctorum patrocinium confugere docent, quia exauditi fuerint a Domino. Sic enim colligunt: quia ille obtinuit quod petebat, quamdiu vixit in mundo, nunc optimus erit post mortem nobis patronus. Haec argutia spiritui sancto incognita fuit. Nam exadverso rationatur Iacobus, quia tantum valuerunt eorum preces, debere nos similiter eorum exemplo hodie orare: idque nos non frustra facturos.

19. *Frates mei, si quis inter vos erraverit a veritate, et converterit quispiam eum:* 20. *cognoscat quod qui converterit peccatorem ab errore viae sue, servabit animam a morte, et multitudinem operiet peccatorum.*

20. *Cognoscat.* Dubito annon potius scriptum fuerit γινώσκετε: Ita legendum esset: Cognoscite. Utroque tamen modo stabit idem sensus. Commendat enim nobis Iacobus fratrum correctionem ab effectu, ut maiore studio in eam intenti simus. Nihil praestantius aut magis optabile, quam animam eripere ex morte aeterna: hoc autem facit qui fratrem errantem reducit in viam: ergo tam paeclarum opus minime negligendum est. Cibum dare esurienti, et sitienti potum, videmus quanti Christus aestimet: atqui multo pretiosior est illi animae salus quam corporis vita. Cavendum ergo ne nostra ignavia pereant redemptae a Christo animae, quarum salutem quodammodo in manu nostra ponit Deus. Non quod salutem conferamus ipsi: sed quod Deus ministerio nostro liberat ac servat quod aliqui videbatur exitio propinquum. Aliqui codices habent, animam eius, quod de sensu nihil mutat. Ego tamen diversam lectionem sequi malo, quia plus energiae habet.

Operiet multitudinem peccatorum. Alludit potius

ad dictum Solomonis, quam pro testimonio citet. Solomon dicit, caritatem tegere peccata, quemadmodum odium ea profert (Prov. 10, 12). Nam qui oderunt, libidino sese mutuo infamandi ardent: qui amant, libentor inter se condonant multa: caritas ergo peccata sepelit apud homines. Iacobus hic altius quiddam docet, nempe quod delocantur coram

Deo: ac si diceret, Solomon hunc caritatis fructum praedicat, quod tegat peccata: atqui nulla melior aut magis salutaris tegendi ratio, quam ubi in totum coram Deo abolentur. Hoc autem fit quum peccator nostra admonitione reducitur in viam: ergo hue praecipue et magis sedulo incumbendum est.

COMMENTARIUS

IN

PETRI APOSTOLI EPISTOLAM POSTERIOREM.

34

3

ARGUMENTUM.

De hac epistola quod olim fuisse dubitatum refert Eusebius, ab eius lectione nos avertere non debet. Nam si nudae hominum autoritati stetur, quandoquidem a quibus mota sit haec quaestio, subiectet, non plus illis deferre necesse esset, quam hominibus ignotis. Et postea subiicit, passim sine controversia fuisse receptam. Magis aliquanto me movet quod scribit Hieronymus, quosdam styli diversitate adductos Petrum autorem non putasse. Nam quamvis aliqua notari possit affinitas: fateor tamen manifestum esse discrimin quod diversos scriptores arguat. Sunt et aliae probabiles conjecturae ex quibus colligere liceat, alterius esse potius quam Petri. Interim omnium consensu, adeo nihil habet Petro indignum, ut vim spiritus apostolici et gratiam ubique exprimat. Quod si pro canonica recipitur, Petrum eius autorem fateri oportet: quando non tantum nomen eius inscriptum habet, sed ipse etiam testatur cum Christo se vixisse. Haec autem fictio indigna esset ministro Christi, obtendere alienam personam. Sic igitur constituo, si digna fide censemur epistola, a Petro fuisse profectam: non quod eam scripserit ipse, sed quod unus aliquis ex discipulis, ipsius mandato complexus fuerit quae temporum necessitas exigebat. Nam tunc eum extrema fuisse senectute, verisimile est: morti enim se vicinum esse dicit. Et fieri potest ut, piorum rogatu, hoc sensus sui testimonium sub mortem consignari passus fuerit, quod eo mortuo bonis fulciendis et impiis reprimendis non nihil valeret. Certe quum in omnibus epistolae partibus spiritus Christi maiestas se exserat, eam prorsus repudiare mihi religio est, utcunque genuinam Petri phrasin hic non agnoscam. Caeterum quia de autore non constat, nunc Petri, nunc apostoli nomine promiscue uti mihi permittant. Iam venio ad argumentum, quod breviter tantum indicare sufficiet. Hic scopus est, ut qui semel rectam Christi fidem professi sunt, vocationi suae ad extremum respondeant. Postquam ergo Dei gratiam magnifice extulit, sanctitatem vitae illis commendat: quoniam

Deus plerumque fallacem nominis sui praetextum horrenda excaecatione in hypocritis punire solet: contra autem dona sua auget iis qui pietatis doctrinam vere et ex animo amplexi sunt. Hortatur ergo ut suam vocationem pie vivendo approbent. Et quo plus habeat ponderis haec admonitio, se iam morti vicinum indicat: et simul excusat, se eadem ideo saepius repete, ut qui se mortuo superstites in terra manebunt, altius animis iuxta habeant quae vivus scripsaserit. Quoniam autem totius pietatis fundamentum est evangeli certitudo, quam indubia sit eius veritas, primum ex eo demonstrat, quod ipse omnium, quae illic habentur, oculatus fuerit testis: ac praesertim quod Christum audierit e coelo pronuntiari Dei filium: deinde quod prophetarum oraculis Deus illam testamat ac comprobat esse voluerit. Simul tamen tam a falsis doctoribus qui impia figura spargant, quam a Dei contemptoribus qui totam religionem subsannent, periculum instare praedicit: quo fideles ad cavadum instructi sint ac muniti. Videtur autem hoc consulto dicere, ne sibi tranquillum et aequabilem, atque ab omni certamine remotum doctrinae cursum sub regno Christi promittant. Postea, quasi in tabula, ingenium moresque eorum depingit, qui suis corruptelis christianismum inquinaturi erant. Porro descriptio, quam prosequitur, in nostram aetatem maxime competit: sicuti melius patebit ex comparatione. Stylum enim praecipue stringit in Lucianicos homines, qui ad omnem nequitiam projecti, profanam licentiam ad Dei contemptum inducent: imo spem futurae vitae penitus ludibrio habent: qua hominum colluvie mundum videmus passim hodie refertum. Fideles porro hortatur, non modo ut suspensis erectisque animis Christi adventum semper exspectent: sed etiam ut diem illum quasi praesentem sibi ante oculos statuant: interea vero se Domino impollutos custodiant. In qua doctrina Paulum sibi facit socium ac suffragatorem: atque ut eius scripta ab impiorum calumniis vindicet, omnes, qui alio ipsa detorquent, severe damnat.

CAPUT I.

1. *Simeon Petrus, servus et apostolus Iesu Christi, iis qui aequae pretiosam nobiscum sortiti sunt fidem, per iustitiam Dei nostri et servatoris Iesu Christi, 2. gratia vobis et pax multiplicetur per cognitionem Dei et Iesu Domini nostri. 3. Quemadmodum divina eius potentia omnia nobis quae spectant ad vitam et pietatem dedit, per cognitionem eius qui vocavit nos propria gloria et virtute: 4. quibus et maximae et pretiosae promissiones nobis donatae sunt, ut per haec fieretis divinae consortes naturae, ubi fugeritis corruptionem quae in mundo est in concupiscentia.*

1. *Simeon Petrus.* In hoc epistolae exordio precatio primum locum obtinet: deinde sequitur gratiarum actio qua Iudeos incitat ad gratitudinem, ne obliscantur quae et quanta beneficia iam ex manu Dei acceperint. Cur se Iesu Christi servum et apostolum inscribat, alibi diximus: quia scilicet nemo in ecclesia audiendus, nisi tanquam ex ore Christi loquatur. Porro servi nomen magis generale est, quia omnes Christi ministros complectitur qui publicum aliquod munus in ecclesia sustinent. In apostolatu altior est honoris gradus: significat ergo se non quemvis esse ex grege ministerorum, sed a Domino constitutum esse in ordine apostolico, qui inter reliquos eminebat.

Iis qui aequae pretiosam. Hoc ad commendationem gratiae valet, qua Deus omnes suos electos promiscue dignatus erat. Neque enim hoc vulgare erat donum, quod in unam et eandem fidem omnes vocati fuerant: quum fides praecipuum sit ac summum hominis bonum. Porro aequae pretiosam vocat, non quod in omnibus sit aequalis: sed quia eundem omnes Christum cum eius iustitia, et eandem salutem fide possident. Tametsi ergo dispar est fidei mensura, id non impedit quin omnibus communis sit Dei cognitio et fructus qui inde provenit: ita nobis cum Petro et apostolis vera est fidei societas. Addit, per iustitiam Dei, ut sciant se non propria industria aut virtute fidem esse adeptos, sed habere ex mero Dei dono. Sunt enim res inter se oppositae, iustitia Dei (quo sensu hic capit) et hominis meritum. Nam ideo effectrix

fidei causa vocatur iustitia Dei, quod nemo ad eam sibi conferendam est idoneus. Ita iustitia intelligi debet, non quae inclusa in Deo maneat, sed quae in homines se diffundit: sicuti Rom. 3, 22, Praeterea hanc iustitiam communiter Deo et Christo attribuit, quia ex Deo manat: per Christum autem ad nos usque defluit.

2. *Gratia vobis et pax.* Gratiae nomine paternum erga nos Dei favorem notari certum est. Semel quidem reconciliati sumus Deo per Christi mortem, et fide in huius tanti boni possessionem venimus: sed quia pro fidei nostrae modo percipiens Dei gratiam, dicitur augeri quoad sensum nostrum, dum nobis familiarius innotescit. Additur pax, quia sicuti hoc nostrae beatitudinis initium est ut nos Deus in gratiam recipiat: ita quo magis suum in cordibus nostris amorem confirmat, eo locupletius sua nos benedictione prosequitur, ut nobis bene sit in omnibus ac prospere.

Per agnitionem. Ad verbum est, In agnitione: sed particula èv, valet Per vel Cum. Tametsi uterque sensus contextui quadrare potest: ego tamen priorem libentius amplector. Nam quo quisque magis in Dei cognitione proficit, in eo perinde una cum divini amoris sensu augesceit omne bonorum genus. Ergo quisquis ad plenam beatae vitae frumentum adspirat, hanc quae praescribitur a Petro viam tenere meminerit. Dei et Christi agnitionem simul connectit: quia rite non potest, nisi in Christo, Deus cognosci: iuxta illud: Nemo patrem novit, nisi filius: et cui voluerit filius revelare (Matth. 11, 27).

3. *Quemadmodum divina.* Immensam Dei beatitudinem, quam experti iam erant, commemorat: quo plus in posterum fiduciae concipient. Hoc enim Deo perpetuum est, ut beneficentiae suae cursum ad finem usque prosequatur: nisi dum ipsi nostra infidelitate eum abrumpimus. Nam et illi facultas est inexhausta, et par benefaciendi voluntas. Proinde merito apostolus ex superioribus Dei beneficiis, fideles ad bene sperandum animat. Eodem pertinet verborum amplificatio. Poterat enim simplicius loqui, Quemadmodum omnia nobis largitus est: sed divinae potentiae nomen exprimendo, altius consurgit: quod scilicet copiose explicuerit Deus im-

mensas virtutis suae opes. Caeterum hoc posterius membrum tam ad Christum quam ad patrem referri potest: atque utrumque convenit. *In Christum tamen aptius competit, ac si dixisset gratiam, quae ab ipso in nos diffusa est, specimen esse deitatis: quia humanitus id fieri non potuit.*

Quae ad vitam et pietatem. Nonnulli hic vitam praesentem notari putant, ut pietas sequatur tanquam excellentius donum: ac si duobus testimoniosis probare vellet Petrus quam beneficus sit Deus ac liberalis erga fideles, quod ipsis in lucem edidit, quod illis omnia abunde suppeditat quae ad conservationem terrenae vitae pertinent: deinde quod illos regenuit in spiritualem vitam, dum ipsis pietate ornavit. Verum haec distinctio a Petri mente aliena est: quasi simul ac vitae mentionem fecit, mox pietatem adiungit, quae est veluti eius anima. Tunc enim nos vere Deus vivificat, quum nos refermat in obedientiam suae iustitiae. Ita Petrus hic non de naturalibus Dei donis loquitur, sed tantum ea praedicat, quae electis suis peculiariter supra communem naturae ordinem confert. Quod nati sumus homines, quod sensu et intelligentia praediti, quod vita nostra necessariis subсидiis iuvatur, hoc quidem totum ex Deo est: quia tamen homines, ut maligni sunt et ingrati, promiscua haec (quae vocant) naturae bona in Dei beneficiis non reputant: ideo hic vulgaris humanae vitae conditio non attingitur, sed proprias novae et spiritualis vitae dotes eligit, quae originem suam ducunt ex regno Christi. Quod si in supernaturalibus Dei donis censetur quidquid ad pietatem facit et salutem: discant homines nihil sibi arrogare, sed humiliter petere a Deo quidquid sibi deesse vident: et quidquid rursus boni habent, acceptum illi referre. Nam Petrus hic totam pietatis summam, omniaque salutis adiumenta, divinae Chriti potentiae vindicans, communi hominum naturae adimit: ut ne minimam quidem ullius virtutis guttam nobis relinquat.

Per cognitionem eius. Nunc modum describit quo nos tantorum bonorum Deus facit compotes: nempe quum se nobis patefacit per evangelium. Dei enim cognitio principium est vitae, et primus in pietatem ingressus. Denique nullus spiritualium donorum usus in salutem esse potest, donec evangelii doctrina illuminati Deum cognoscimur. Caeterum huius cognitionis autorem Deum facit: quia nunquam ad eum accedimus, nisi vocati: ergo non ingenii nostri perspicacia, sed Dei vocatio effectrix fidei causa est. Loquitur autem non de externa tantum vocatione, quae per se est inefficax: sed de interiori, quae arcana spiritus virtute constat: quum Deus non tantum hominis voce in auribus personalat, sed intus per spiritum suum corda ad se trahit.

Propria gloria et virtute. Receptior quidem lectio est: Per gloriam: sed quia quidam codices habent ἡδα δέξη, hoc est, propria gloria: atque ita reddidit vetus interpres, hanc lectionem amplecti malui: quia sic melius videtur fluere sententia. Nam Petri consilium est, diserto adscribere uni Deo totam salutis nostrae laudem: ut sciamus nos illi omnia debere. Id autem clarius exprimitur his verbis, Quod nos vocaverit propria gloria et virtute. Altera tamen lectio, licet obscurior, in eundem finem spectat. Docet enim nos ignominia esse opertos et penitus vitiosos, donec nos gloria vestiat Deus, et virtute ornet. Perro hunc vocationis effectum in electis esse significat, ut reparetur in ipsis gloria Dei imago, et reformatur in sanctitatem et iustitiam.

4. *Quibus maxima.* Dubium est an gloriam et virtutem tantum, an vero superiora etiam referat. Tota difficultas inde oritur, quod gloriae et virtuti, quas nobis Deus confert, hoc non convenit. Quod si legamus: Propria gloria et virtute, nihil erit ambiguum nec perplexum. Quaecunque enim nobis a Deo promissa sunt, proprie et merito virtutis eius et gloriae effectus censerit debent. Qnamquam hic quoque variant codices. Nam aliqui habent δι ἐν propter quem: ut ad Christum referatur. Utramvis lectionem eligas, hic tamen sensus manebit, Dei promissiones primum maximi aestimandas: deinde gratuitas esse, quia nobis dono sint oblatae. Excellentiam vero promiseionum inde ostendit, quod nos tandem efficiant naturae divinae consortes: quo nihil praestantius cogitari potest. Cogitandum enim est unde nos Deus in tantum honoris culmen evexit. Scimus quam abiecta sit naturae nostrae conditio: quod ergo Deus ita se nostrum facit ut sua omnia quodammodo nostra sint, huius gratiae amplitudo satis percipi animis non potest. Quare haec una meditatio abunde sufficere nobis debet, ut mundo renuntiantes, toti in coelum feramur. Notemus ergo hunc esse evangelii finem, ut aliquando conformes Deo reddamur: id vero est quasi deificari, ut ita loquamur. Caeterum naturae nomen hic non substantiam, sed qualitatem designat. Manichaei olim nos ex traduce Dei ortos somniabant, et tandem decurso vitae stadio ad originem nostram reverti. Sunt et hodie fanatici homines qui sic in Dei naturam transire nos imaginantur, ut ipsa naturam nostram absorbeat. Sic exponunt quod Paulus dicit (1. Cor. 15, 18), Dcum futurum omnia in omnibus. Eodem quoque locum praesentem trahunt. Atqui nunquam eiusmodi delirium sanctis apostolis in mentem venit: tantum dicere voluerunt, nos omnibus carnis vitiis exutos, sed divinae immortalitatis beataeque gloriae fore particeps, ut simus velut unum cum Deo, quantum modulus noster feret. Haec doctrina non prorsus ignota fuit Platon, qui

passim hoc summum hominis bonum esse definit, Deo fieri penitus conformem. Verum ut errorum nebulis obvolutus erat, postea ad sua commenta delabitur. Nos vero supervacuis speculationibus omissionis, hoc uno contenti simus, ea lege reparari in nobis Dei imaginem in sanctitate et innocentia, ut simus tandem aeternae vitae et gloriae socii, quantum ad plenam beatitudinem necesse est.

Ubi fugeritis. Iam exposuimus hoc esse apostoli consilium, ut proposita coelestis gloriae, ad quam nos Dens invitat, dignitate nos abstrahat a vanitate huius saeculi. Porro naturae divinae mundi corruptionem opponit. Sed hanc non in clementis quae nos circumstant, sed in corde nostro esse ostendit: quia illic regnant vitiosi et pravi affectus, quorum fountem vel radicem voce concupiscentiae notat. *Ergo ita locatur in mundo corruptio, ut sciamus in nobis esse mundum.*

5. *Atque in hoc ipsum omne studium applicantes, subministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam.* 6. *in scientia vero temperantiam, in temperantia autem patientiam, in patientia vero pietatem,* 7. *in pietate autem fraternalm amorem, in fraterno vero amore caritatem.* 8. *Haec enim si vobis adsint, et abunde suppetant, non otiosos neque infructuosos constituent vos in cognitione Domini nostri Iesu Christi.* 9. *Cui enim haec non adsunt, caecus est, manu palpans, purgationis oblitus veterum delictorum.*

5. *Atque in hoc.* Quoniam arduum ac immensa molis opus est corruptionem quae in nobis est exuere: ad eam rem contendere et eniti iubet. Qno significat, non esse hic ignaviae locum, nec lente vel oscitantur obsequendum esse vocanti Deo: sed alaci studio opus esse: ac si diceret: exserite omnem conatum, ac in medium proferte. Id enim valet participium quo utitur.

Subministrate in fide. Ostendit quorsum fideles eniti deceat, nempe ut fidem habeant honestis moribus, prudentia, tolerantia, et caritate ornata. Fidem ergo significat non debere nudam esse vel inanem, sed has esse individuas eius comites. Subministrare in fide, est fidei adiungere. Non tamen hic proprie est gradatio, quantum ad sensum attinet, utcunque verbis appareat. Neque enim tolerantiam ordine sequitur caritas, vel ex ea procedit. Quare ita simpliciter resolvi potest oratio: Date operam ut ad fidem vestram accedant virtus, prudentia, temperantia, et quae sequuntur. Virtutem pro honesta et bene composita vita accipio: neque enim hic est ἐνέργεια, sed ἀρέτη. Scientiam, pro ratione prudenter agendi. Postquam enim generale nomen posuit, praecipuas quasdam homines christiani dotes enumerat. Φιλαδελφία mutuus est inter filios Dei amor. Caritate la-

tius patet, quia totum humanum genus complectitur. Potest tamen hic quaeri, quum Petrus subministrandae virtutis partes nobis assignet, an eatenus extollat vim liberi arbitrii et facultatem. Qui liborum arbitrium statuere volunt in homine, Deo quidem concedunt priorem locum, ut agore in nobis incipiatur: sed fingunt nos simul cooperari, atque ita hoc nostrum esse, quod non irriti sunt et inefficaces Dei motus. Atqui perpetua scripturae doctrina huic delirio reclamat. Palam enim testatur, rectos affectus formari in nobis a Deo, atque ad effectum perduci: testatur etiam profectus omnes nostros ac perseverantiam a solo Deo esse: praeterea nominatim prudentiam, caritatem, patientiam, Dei et spiritus dona esse praedicat. Quare dum haec requirit apostolus, minime asserit nos posse: sed tantum quid debeamus ostendit, et quid fieri oporteat. Piis autem hominibus, ubi infirmitatis propriae conseui, deficere se in officio vident, nihil aliud restat nisi ut ad Dei confugiant auxilium.

8. *Haec enim si vobis adsint.* Tunc, inquit, demum Christum a vobis vere fuisse cognitum probabitis, si virtute, et temperantia, et reliquis dotibus eritis praediti. Est enim res efficax Christi cognitio, et viva radix quae in fructus emergit. Nam quum dicit Haec, vos constituent non otiosos neque infructuosos, falso et inaniter Christi notitia gloriari significat quicunque eam sine caritate, patientia, et similibus donis iactat: quemadmodum et Paulus loquitur ad Ephes. capite 4, 20, Non ita didicistis Christum, si quidem eum audistis, et in eo edocisti estis, quemadmodum est veritas in Christo, deponere veterem hominem qui corrumpitur, etc. Eos enim, qui Christum profitentur absque vitae novitate, nunquam in eius doctrina rite fuisse institutos significat. Nec vero fideles tantum instructos vult esse patientia, pietate, temperantia, caritate: sed continuos horum donorum profectus augmentaque requirit: atque id merito. Longe enim adhuc distamus a meta: quare semper ultra progrediendum, ut in nobis crescant Dei dona.

9. *Cui enim haec non adsunt.* Iam clarus exprimit, alienos prorsus esse a vera intelligentia qui nudam fidem obtendunt. Dicit ergo tanquam caecos in tenebris errare: quia viam non tenent quae nobis evangelii luce monstratur. Hoc quoque addita ratione confirmat: quia tales Christi beneficio a peccato se fuisse purgatos obliti sunt. Atqui, hoc christianismi nostri principium est: sequitur ergo, ne prima quidem fidei rudimenta tenere quibus nullum purae et sanctae vitae studium est. Sumit autem hoc pro confesso Petrus, purgationis suae oblitos esse, qui adhuc in carnis sordibus se volutant. Neque enim in hunc finem sanguis

Christi nobis lavacrum factus est, ut sordibus nostris inquinetur. Ideo vetera delecta nominat, quo intelligit, vitam aliter instituendam esse, ex quo a peccatis mundati sumus. Non quod purus esse quisquam possit ab omni vitio, quamdiu in mundo agit: vel quod mundities, quam consequimur per Christum, unica tantum venia constet: sed quod ab infidelibus differre nos oporteat ex quo Deus nos sibi segregavit. Tametsi ergo quotidie peccamus, et quotidie nobis Deus ignoscit, et Christi sanguis nos a peccatis mundat: non tamen peccatum in nobis regnare debet, quin praevaleat sanctificatio spiritus. Ita enim Paulus 1. Corinth. capite 6, 11, Et haec quidam fuitis, sed abluti estis, etc.

10. *Quamobrem magis, fratres, studete firmam vestram vocationem et electionem facere: haec enim si feceritis, non cadetis unquam.* 11. *Sic enim abunde subministrabitur vobis ingressus in regnum aeternum Domini nostri et servatoris Iesu Christi.* 12. *Itaque non negligam vos semper de iis commonefacere, etiam si noveritis, et confirmati sitis in praesenti veritate.* 13. *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos admonitione:* 14. *quum sciām brevi me depositurum hoc tabernaculum: quemadmodum et Dominus Jesus manifestarit mihi.* 15. *Dabo autem operam ut etiam semper post meum discessum possitis horum habere memoriam.*

10. *Magis, fratres, studete.* Concludit hanc esse unam rationem qua nos a Domino vere electos et non frustra vocatos probemus, si bona conscientia et vitae integritas fidei professioni respondeat. Infert autem plus adhibendum esse studii ac diligentiae, quia prius dixerat, fidem non debere esse sterilem. Nonnulli codices habent bonis operibus: sed hoc de sensu nihil mutat, quia subaudiendum est, etiamsi non exprimatur. *Vocationem priore loco nominat, quae tamen ordine est posterior.* Ratio est, quia electio plus habet momenti. Est autem haec recta orationis dispositio, ut subiiciatur quod praeponderat. Sensus ergo est: *Studete ut re ipsa testatum fiat, vos non frustra vocatos esse, imo electos.* Quamquam hic de vocatione loquitur, ut est effectus ac testimonium electionis. Si quis pro eodem sumere malit, non repugne: quia scriptura interdum discriminat, quod est inter duas istas voces, confundit. Ego tamen quod magis probabile mihi visum est, adduxi. Nunc exoritur quaestio, an vocationis nostrae et electionis stabilitas bonis operibus nitatur. Nam si ita est, sequetur a nobis pendere. Atqui tota scriptura docet, primum in aeterno Dei proposito fundatam esse Dei electionem: deinde vocationem gratuita eius bonitate inchoari et perfici. Sophistae, ut ad nos quod proprium est Dei gratiae transferant, hoc testimonio abuti solent.

Sed nullo negotio refellitur eorum cavillum. Nam si quis intelligat firmam apud homines reddi vocationem, nihil in eo erit absurdum: longius tamen extendere licet, ut se quisque in vocatione sua pie ac sancte vivendo confirmet. Sed hinc perperam colligi dico quod sophistae contendunt: est enim haec probatio non ex causa sumpta, sed potius ex signo vel effectu. Porro hoc non obstat quominus gratuita sit electio: nec facit ut in manu nostra vel arbitrio sit, ratam facere electionem. Sic enim res habet: Deus efficaciter vocat quos ante mundum conditum arcano suo consilio praeordinavit ad vitam: idem perpetuum vocationis tenorem mera gratia prosequitur. Sed quia in hunc finem nos eligit et vocat ut puri simus et immaculati in conspectu suo: vitae puritas non immerito electionis specimen ac documentum vocatur, quo fideles non modo alii testantur se Dei filios, sed se quoque in hac fide confirmant: sic tamen ut alibi statuant solidum fundamentum Quamquam firmitas ista, cuius meminit Petrus, ad conscientiam (meo iudicio) referenda non est: quasi se fideles coram Deo agnoscant electos et vocatos: verum simpliciter de re ipsa accipio, quod vocatio ex vitae sanctitate firma appareat. Posset etiam legi: *Studete ut firma fiat vestra vocatio: verbum enim πολεσθαι medium est: utrumvis tamen legas, non admodum diversus erit sensus.* Summa est, discerni hac nota filios Dei a reprobis, dum pie et sancte vivunt: quia hic divinae electionis scopus est. Unde palam fit quam indigne Deo oblatrent impuri quidam canes, dum gratuitam eius electionem praetextum faciunt omnis licentiae: quasi vero impune ideo peccare fas sit, quia ad iustitiam et sanctitatem praedestinati sumus.

Haec enim si feceritis. Iterum videtur Petrus operum meritis tribuere quod Deus salutis nostrae cursum promovet, atque etiam quod constanter persistamus in eius gratia. Sed facilis est solutio: quia tantum docere voluit, in hypocritis nihil esse solidi: contra autem qui vocationem suam bonis operibus firmam esse comprobant, immunes esse a periculo cadendi: quia stabilis est Dei gratia qua fulciuntur. Hoc modo salutis nostrae stabilitas minime in nobis locatur: ut certe causa eius extra nos est. Verum qui spiritus efficaciam in se sentiunt, eos Petrus bono in posterum animo esse iubet: quia Dominus solidum in ipsis verae et certae vocationis fundamentum iecerit. Medium perseverantiae exponit, quum dicit, *Subministrabitur vobis ingressus*, cuius loquutionis sensus est, Deus novas identidem gratias large suggestendo, ad regnum usque suum vos perducet. Hoc autem ideo additum est, quia tametsi iam a morte in vitam transierimus, spei tamen est ille transitus: quantum vero spectat ad vitae fruitionem, longum iter adhuc nobis restat. Interca multis necessariis adminiculis

destituimus. Quare dubitationi occurrit Petrus, his verbis, Dominus inopiao vestrae satis superque succurret, donec in aeternum eius regnum ingrossi fueritis. Regnum Christi appellat: quia non nisi eo duco et auspice, in coelum contendimus.

12. *Itaque non negligam.* Quia eorum memoriae vel studio diffidere videamus quos saepo commonefacimus de re aliqua, modesto excusat apostolus, quod fidelibus rem notam et penitus eorum animis infixam inculcare tamen non desinat: nempe quia hoc postulet rei gravitas et magnitudo. Vos quidem, inquit, probe tenetis quaenam sit evangelii veritas: nequo vos quasi fluctuantes confirmo, sed iu re tanta monitiones nunquam sunt supervacuae: quare nunquam molestiae esse dovent. Simili etiam excusatione utitur Paulus ad Romanos capite 15, 14, Persuasus sum, inquit, de vobis fratres, quod referti sitis intelligentia, ut possitis alii alias monere. Sed confidentius scripsi vobis, quasi in memoriam reducens. Praesentem veritatem nominat, in cuius possessionem certa fide iam ingressi erant. Fidem ergo ipsorum commendat, quo constantius in ea infixi maneant.

13. *Iustum autem arbitror.* Hic clarius exprimit quam utilis adeoque necessarius sit monitionum usus: quia fideles excitare convenit: alioquin enim obrepit a carne torpor. Utcunque igitur doctrina non indigeant, utiles tamen monitionum stimulos esse dicit: ne securitas et indulgentia (ut fieri solet) quod recte didicerunt obruat, et tandem extinguat. Addit alteram causam cur magis ad hoc sit intentus: quia breve sibi tempus restare neverit. Strenue, inquit, tempore utendum est: Dominus enim mihi manifestavit non diurnam mihi fore vitam in hoc mundo. Hinc colligimus, sic temperandas esse monitiones, ne populus, cui volumus prodesse, sibi iniuriam fieri putet: sic rursus cavendas esse offendiones, ut tamen doctrina liberum cursum habeat, et exhortationes non cessent. Haec autem moderatio apud eos locum habet quibus acrior obiurgatio non convenit: sed qui blande potius iuvandi sunt, quum ad officium sponte sint propensi. Docemur etiam Petri exemplo, quo brevius nobis superest vitae spatium, diligentius ad munus nostrum exsequendum incumbere. Vulgo quidem nobis non datur finem nostrum praescire: sed qui vel aetate sunt proiecta, vel minus firma valetudine, talibus indicis de vitae suaे brevitate admoniti, magis sedulo instare sibi debent, ut mature peragant quod Dominus iniunxit. Imo qui robustissimi sunt, et adhuc in medio aetatis flore, quia tamen non tam diurnum obsequium praestare Deo possunt, quam optandum esset: mortis propinquae memoria accuere se ad eandem sollicitudinem debent: ne bene agendi occasio pigre et segniter ad opus accendentibus effluat. Interea non dubito

quoniam plus autoritatis et ponderis doctrinae suac acquirere voluerit Petrus, quum sibi curae futurum dicit ut post mortem suam quao tunc instabat, harum rerum sint memores. Nam si quis paulo post ex hac vita migraturus, nos alloquitur, oius voces quodammodo vim testamenti habent, maiore que reverentia solent a nobis excipi.

14. *Depositurum hoc tabernaculum.* Ad verbum est: Brevis tabernaculi huius depositio. Hac loquitione, et postea discessus nomino, mortem designat. Quod notare operao pretium est: nam hinc docemur quantum ab interitu mors differat. Porro hinc nimius mortis horror nos consternat: quia nec satis reputamus quam fluida sit et evanida haec vita, nec perpetuum nobis vitae futurae statum proponimus. Quid autem Petrus? mortem pronuntiat exitum esse e mundo, ut alio migremus, nempe ad Dominum: formidolosa igitur esse nobis non debet, ac si pereundum nobis esset quum morimur. Pronuntiat, depositionem esse tabernaculi, quo duntaxat obtegimur ad breve tempus. Non ergo est cur aegre feramus, inde nos abduci. Subest autem tacita antithesis inter caducum tabernaculum et perpetuum domicilium: quam Paulus explicat 2. Corinth. cap. 5, 1. Quod dicit, revelatum sibi esse a Christo, hoc non ad genus mortis, sed ad tempus pertinet. Quomodo autem, si Babylone oraculum accepit de propinqua morte, Romae crucifixus est? Certe nisi maria et terras momento transvolaverit, procul ab Italia mortuum esse constat. Nam quod papistae, ut sibi Petri cadaver vindicent, Babylonios se faciunt, et Romam dicunt a Petro vocari Babylonem, id suo loco refutabitur. Quod de memoria harum rerum post mortem suam habenda dicit, huc pertinet ut posteri a mortuo etiam discant. Neque enim aetatis modo suae rationem habuerunt apostoli, sed nobis etiam prodesse voluerunt. Quare utcunque mortui sint, vivit ac viget eorum doctrina. Et nostrum est ex eorum scriptis proficere, perinde ac si palam essent ipsi nobis ante oculos.

16. *Neque enim fabulas subtiliter excogitatas sequuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi potentiam et adventum: sed spectatores facti eius magnificentiae.* 17. *Accepit enim a Deo patre honorem et gloriam, allata illi a magnifica gloria huiusmodi voce, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* 18. *Et hanc vocem nos audivimus, dum essemus in monte sancto cum illo.*

16. *Neque enim fabulas.* Plurimum animi hoc nobis addit, quum scimus nos in re certa laborare. Itaque ne fideles aerem se verberare putent in suis laboribus, ad praedicandam evangelii certitudinem iam descendit: ac quidquam a se proditum negat, nisi optime compertum ac indubiae fidei. Hinc

quoque animantur ad constantiam, dum certiores de prospero vocationis successu redduntur. Ac primo quidem se oculatum esse testem asserit Petrus: quia gloriam Christi, quam annuntiat, ipse oculis spectaverit. Hanc notitiam captiosis fabulis opponit, quales comminisci astuti homines solent illaqueandis simplicium mentibus. Vetus interpres fictas vertit: Erasmus, arte compositas. Mihi videtur subtile ad fallendum artificium notari. Nam interdum Graecis est verbum *σοφίεσθαι*. Scimus autem quantum studii impendant homines frivolis argutias, tantum quia aliquid delectationis habent. Quare non minus serio applicandae sunt mentes ad veritatem minime fallacem et doctrinam minime nugatoriam, sed quae gloriam filii Dei nobis cum salute nostra patefacit.

Christi potentiam et adventum. Non dubium quin his vocibus evangeli summam comprehendere voluerit: ut certe nihil praeter Christum continet, in quo absconditi sunt omnes sapientiae thesaurei. Duas autem partes distincte ponit: nempe quod exhibitus in carne fuerit Christus; deinde qualis sit virtus eius et efficacia. Sic enim integrum habemus evangelium, ubi eum qui promissus olim fuerat redemptor, scimus e coelo venisse, induisse carnem nostram, versatum esse in mundo, morte esse defunctum, et tandem resurrexisse. Secundo ubi finem horum omnium et fructum percipimus: nempe ut esset Deus nobiscum: ut certum adoptionis nostrae pignus in se exhiberet: ut spiritus sui gratia perfusos a carnis inquinamentis purgaret, ac consecraret Deo in templo: ut ab inferis emersos, in coelum attolleret: ut sacrificio mortis suae expiaret peccata mundi: ut nos patri conciliaret: ut iustitiae ac vitae nobis esset autor. Haec qui tenet, rite in evangelio profecit.

Spectatores facti. Hinc colligimus nequaquam servire Christo, aut similes esse apostolis, qui temere in suggestum prosiliunt, ut de speculationibus sibi ignotis garriant. Hic enim demum legitimus est Dei minister, cui testata est doctrinae, quam tradit, veritas. Non quod omnibus constet eadem certitudinis ratio: nam quod Petrus se praesentem fuisse dicit, quum coelesti oraculo pronuntiatus fuit Christus filius Dei, tres solum tunc aderant: alii nihilominus idonei fuerunt testes: nempe quia tot miraculis intuii erant Christi gloriam, et illustre divinitatis eius specimen in resurrectione habuerant. Nes vero aliter certi quatenus expedit: licet enim non resurrexerit ante oculos nostros Christus, scimus tamen a quibus de manu in manum prodata nobis fuerit eius resurrectio. Et accedit interius conscientiae testimonium: illa inquam spiritus obsignatio quae omnes sensuum probationes longe superat. Verum meminerimus, evangelium initio ex vagis

rumoribus non fuisse conflatum: sed apostolos, eorum, quae viderant, authenticos fuisse praecones.

17. *Accepit enim a Deo patre.* Exemplum unum prae aliis eligit memorabile, in quo Christus coelesti gloria ornatus, conspicuam divinae magnificentiae speciem tribus discipulis praebuit. Tametsi autem non omnes historiae circumstantias recenset Petrus, uno tamen verbo eas designat, quum dicit allatam esse vocem a magnifica gloria. Hic enim sensus est, quod nihil illuc terrenum conspiciebatur: sed coelestis undique maiestas resulgebatur. Preinde colligenda sunt magnificentiae signa quae narrant evangelistae. Atque ita fieri oportuit, quo sanctior esset vocis, quae allata est, autoritas: quemadmodum videmus non semel a Domino fuisse factum. Neque enim quum patribus loquutus est, nudas tantum voces personare in aere voluit: sed additis praesentiae sua symbolis, sua esse oracula testatus est.

Hic est filius meus. Perinde hanc vocem adducit Petrus, ac si sola ad plenam evangelii approbationem sufficeret: idque iure. Nam ubi agnoscitur Christus qualem eum nobis afferat pater, haec ultima est sapientiae nostrae meta. Duo sunt huius sententiae membra. Quod enim dicitur Hic est, magnam habet emphasis: nempe hunc esse illum Messiam qui toties promissus fuerat. Quidquid ergo de Messia in lege et prophetis habetur, hac demonstratione pater in eius personam confert, quem iste elogio commendat. Altero membro pronuntiat Christum esse filium suum, in quo totus amor suus residet ac consistit. Unde sequitur, non aliter nos diligi quam in ipso: nec alibi quaerendum esse Dei amorem. Haec obiter nunc attingere mihi satis est.

18. *In monte sancto.* Montem sanctum appellat, qua ratione terra sancta dicitur, in qua Mosi Deus apparuit. Quocunque enim accedit Dominus, ut est fons omnis sanctitatis, praesentiae suas odore omnia sanctificat. Atque hac loquutione docemur, non modo reverenter Deum excipere ubicunque se ostendit, sed etiam nos ad sanctitatem comparare, simul ac nobis appropinquat: quemadmodum etiam populo mandatum fuit, quum lex promulganda esset in monte Sinai. Et illa est generalis doctrina: Sancti estote, quia ego sanctus, qui in medio vestri habito.

19. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem,* cui benefacitis attendentes, tanquam lucernae apparteni in caliginoso loco, donec illecat dies, et lucifer oriatur in cordibus vestris: 20. *hoc primum cognito quod omnis prophetae scripturae privatae interpretationis non est.* 21. *Neque enim voluntate hominis allata est quondam propheta: sed a spiritu sancto impulsu, loquuti sunt sancti Dei homines.*

19. *Et habemus, etc.* Iam in prophetarum quoque oraculis fundatam esse docet evangeli certitudinem, ne dubitent qui illud amplexi sunt, totos se Christo addicere. Nam qui ambigunt, fieri non potest quin remissiore sint animo. Caeterum quum dicit, habemus, hoc tam ad ipsum et reliquos doctores, quam ad discipulos potest referri. Habant apostoli prophetas tanquam patronos doctrinae suae: fideles queque inde petebant evangeli confirmationem. Ego in hanc partem libentius inclino, quod de tota ecclesia loquatur, sequo unum inter alios constitutus. Quanquam Iudeos proprie designat, quibus familiaris erat prophetarum doctrina. Ideoque vocat eam firmorem, meo saltu iudicio. Nam qui positivi loco comparativum accipiunt, non satis expoundunt totum contextum. Coactus est etiam sensus ille, firmorem esse propheticum sermonem, ex quo re ipsa complevit Deus quae illie de filio suo promiserat. Nam hic simpliciter dupli testimonio probatur evangeli veritas: quod Christus magnifice solenni Dei elogio probatus fuerit: deinde quod omnia prophetarum vaticinia in eundem finem spectent. Sed hoc absurdum prima specie videtur, quod firmior dicitur sermo prophetarum, quam vox sacro ipso Dei ore pronuntiata. Primum eadem est, quae ab initio fuit, verbi Dei autoritas: deinde Christi adventu magis quam prius sancta fuit: quemadmodum in epistola ad Hebreos fusius dictum fuit. Verum non difficilis est huius nodi solutio: quia hic respectum habet gentis sua apostolus quae prophetis assueverat, ut eorum doctrina prorsus extra controversiam esset. Quum ergo apud Iudeos indubium esset, a Domino profectum quidquid prophetae docuerant, non mirum est si dicat Petrus firmorem esse eorum sermonem. Iam vetustas queque ipsa semper aliquid reverentiae secum trahit. Praeterea notandas sunt aliae circumstantiae, quod in vaticiniis, quibus tanto ante praedictum fuerat Christi regnum, nulla subesse poterat suspicio. Non ergo hic quaestio est an plus fidei mereantur prophetae quam evangelium: sed tantum respicit Petrus quantum illis deferrent Iudei qui prophetas pro legitimis Dei ministris indubie habebant: et in eorum schola fuerant a pueritia educati.

Cui beneficis, etc. Hic vero locus aliquanto plus habet difficultatis: quaeritur enim quisnam sit iste dies, cuius meminit Petrus. Quibusdam videtur esse dilucida Christi cognitio, dum plane in evangelio acquiescent homines. Caliginem vero exponunt, dum suspensi adhuc haesitant, necdum evangelii doctrina tanquam αὐτόπτος recipiuntur. Ac si Petrus Iudeos laudaret, qui in lege et prophetis Christum investigant: et hac quasi praeeunte lucerna, ad solem iustitiae Christum contendunt. Quemadmodum laudantur apud Lucam (Act. 17, 11),

qui auditis Pauli concionibus, inquirunt ex scriptura, an ita sit. Verum in hoc sensu primum inest absurditas, quod videri possit usum prophetiarum ad exiguum tempus restringere, ac si perspecta evangeli luco iam supervacuae forent. Si quis excipiat, non sequi hoc necessario, quod particula donec non semper finem denotet: dico, in praecognitionibus non aliter posse accipi. Ambula, donec viam absolveris. Pugna, donec viceris. In his certo loquutionibus videmus aliquod praescribi temporis spatium. Atquo ut concedam non prorsus hoc modo reiici propheticam lectionem: nemo tamen non videt quam frigida sit ista commendatio, utiles esse prophetas, donec patofactus sit nobis Christus: quum eorum doctrina ad finem usque vitae perinde sit necessaria. Deinde memoria tenendum est quosnam alloquatur Petrus. Neque enim rudes ac novitios instituit, qui in primis elementis adhuc subsistant: sed quos prius testatus est eiusdem pretii fidem adeptos esse, et in praesenti veritate confirmatos. Atqui crassa haec ignorantiae caligo in tales non competenter. Scio quid nonnulli obtendant, non fuisse pares omnium progressus: hic ergo specialiter tyrones moneri qui adhuc Christum quaerent. Atqui quum ex contextu palam sit ad eosdem verba fieri, necesse est ut hic locus fidelibus aptetur qui iam Christo nomen dederunt, et qui facti sunt verae lucis participes. Ego itaque hanc caliginem, cuius Petrus meminit, ad totum vitao stadium extendo, ac diem tunc demum nobis illucere interpretor, quum facie ad faciem videbimus quod nunc cernimus per speculum et in acnigmate. Refulget quidem in evangelio sol iustitiae Christus: sed ita ut mentes nostras semper ex parte occupent mortis tenebrae, donec e carnis ergastulo educti, in coelum transferamur. Ille ergo erit diei fulgor, quum nullae ignorantiae nubes aut nebulae liquidum solis conspectum impident. Et certe tantundem absumus a pleno die, quantum a perfectione fides nostra abest. Quare non mirum si praescientis vitae conditio caligo vocetur: quandoquidem ab ea notitia distamus, ad quam nos evangelium invitat. In summa, admonet Petrus, quamdiu peregrinamur in mundo, egere nos prophetarum doctrina, tanquam lucerna directrice: qua extincta, nihil quam in tenebris errare possumus. Neque enim prophetias ab evangelio disiungit, quum illas nobis lucere tradit, ut viam monstrent. Tantum docere vult, totum vitae nostrae cursum debere regi Dei verbo, quia alioquin nos undique obvoluti simus ignorantiae tenebris, et Dominus non aliter nobis luceat, quam dum in eius verbum intuemur quasi lucernam. Nec vero lucernae similitudine utitur, ut tenuem et restrictam lucem significet: sed ut haec duo membra inter se respondeant, nos propria luce destitui, nec viam tenere magis posse, quam qui densa nocte

oppressus erat: Dominum tamen huic malo remedium afferre, dum faem accendit quae in media caligine nos dirigat. Huic tamen expositioni videtur esse minus consentaneum quod de lucifero mox annexit. Neque enim solida cognitio, ad quam tota vita tendimus, diei principium vocari potest. Respondeo, non inter se conferri diei partes: sed totum diem cum suis partibus caligini opponi, quae omnes sensus nostros penitus obrueret, nisi nobis Dominus subveniret verbi sui luce. Insignis est hic locus, unde discimus quomodo nos Deus gubernet. Papistae identidem in ore habent, ecclesiam non posse errare. Interea praeterito verbo, illam regi a spiritu fingunt. Petrus autem contra, in tenebris demersos esse omnes pronuntiat qui non intenti sunt ad verbi lucernam. Ergo nisi sponte in labyrinthum concire te velis, cavendum summopere ne a verbi directione vel tantillum declines. Imo ecclesia non aliter ducem potest Deum sequi, nisi hunc regiminis modum observet. Hac quoque sententia totam hominum sapientiam damnat Petrus, ut aliunde quam ex proprio sensu petere humiliter discamus veram intelligendi regulam. Nam extra verbum nihil hominibus praeter tenebras reliquum facit. Praeterea notatu dignum est quod de scripturae claritate pronuntiat. Falsum enim esset encomium istud, nisi ad monstrandam certo nobis viam scriptura idonea et par esset. Ergo quisquis oculos fidei obedientia aperiet, ipso experimento agnoscat non frustra scripturae impositum fuisse lucerne nomen. Incredulis quidem obscura est, sed qui exitio devoti, sponte caecutiunt. Quare execrabilis est papistarum blasphemia, qui scripturae luce nihil quam oculis perstringi fingunt, ut ab eius lectione simplices absterrent. Sed nihil mirum est superbos homines et perversae confidentiae vente inflatos, eam lucem non videre qua Dominus solos parvulos et humiles dignatur. Eodem elogio David legem Dei commendat, Psalmo 19 et 119.

20. *Hoc primum cognito.* Hic incipit docere Petrus qualiter nos comparatos animis esse deceat, si rite volumus in scriptura proficere. Quamquam potest esse duplex verborum sensus¹⁾, si ἐπιλύσεως legas, ut quidam, quod est impetus: tantum tamen legi ἐπιλύσεως, quod interpretationem significat: atque ita fere omnes accipiunt, quod non debeamus ad scripturam legendam temere irrumpere, proprio sensu confisi. Confirmationem huius dicti sequi putant: quia spiritus, qui per prophetas loquitus est, sit idem unicus sui interpres. Haec expositio veram et piam et uberem doctrinam continent, tunc demum cum fructu legi prophetias, ubi abdicato carnis sensu, spiritus sancti magisterio nos subiici-

mus: impiam vero esse eius profanationem, ubi arroganter acumen nostrum ingerimus ad ipsam intelligendam, quum mysteria Dei contineat carni nostra abscondita, ac sublimes vitae thesauros modulum nostrum longe superantes. Atque id est quod diximus, lucem quae in ea refulget, ad solos humiles pervenire. Porro bis insulsi sunt papistae, dum hinc colligunt, nullam privati hominis interpretationem debere authenticam censer. Nam hoc Petri testimonia abutuntur, ut suis conciliis sumum ius interpretandae scripturae arrogant. In quo sane pueriliter ineptiunt. Nam Petrus interpretationem vocat privatam, non unius cuiusque hominis, ut singulos tantum ab ipsa prohibeat: sed prefanum esse decet quidquid de suo afferunt homines. Ergo ut totus mundus in unum conspiret, cunctaque hominum ingenia simul coalescant, quidquid tamen inde prodibit, privatum erit vel proprium: quia nomen hoc divinae revelationi opponitur, dum spiritu sancto intus illuminati fideles, quidnam verbo suo velit Deus, agnoscunt. Mihi tamen simplicior videtur alter sensus, ut scripturam Petrus non humanitus, vel humano impulsu proditam fuisse dicat. Nunquam enim ad eam legendam bene praeparatus accedes, nisi reverentiam, obsequium, ac docilitatem afferas. Porro iusta reverentia inde nascitur, quum statuimus Deum nobiscum loqui, non homines mortales. In primis ergo iubet Petrus, fidem prophetis haberi, tanquam indubii Dei oraculis: quia non fluxerint ex proprio hominum motu. Eodem spectat quod mox subiicit, quod sancti Dei homines spiritu impulsu, loqui sint: non autem sponte vel suo arbitrio effutierint sua commenta. Summa est, hoc esse rectae intelligentiae initium, dum fidem, quae Deo debetur, tribuimus sanctis eius prophetis. Sanctos Dei homines appellat, qui iniunctum sibi munus fideliter exsequentes, divinam in suo ministerio personam sustinuerint. Impulsos fuisse dicit, non quod mente alienati fuerint (qualem in suis prophetis ἐνθουσιασμὸν fingunt gentiles) sed quia nihil a se ipsis ausi fuerint: tantum obedienter sequuntur spiritum ducem, qui in ipsis ore, tanquam in suo sacrario, regnabat. Prophetiam scripturae intellige, quae in scripturis sacris continetur.

CAPUT II.

1. *Fuerunt autem et falsi prophetae in populo: sicuti et inter vos erunt falsi doctores qui subinducent sectas perditionis: etiam Dominum, qui eos redemit, abnegantes, accersentes sibi celerem interitum.* 2. *Et multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur.* 3. *Et in avaritia fictis sermonibus*

¹⁾ Nam ἐπιλύσις tam motus et impetus Graecis est, quam interpretatio.

de vobis negotiabuntur: quorum iudicium pridem non cessat, et quorum perditio non dormitat.

1. *Fuerunt autem, etc.* Quoniam hoc graviter et periculose infirmas conscientias concutere solet, dum insurgunt falsi doctores qui fidei doctrinam vel corrumpunt, vel lacerant: necesso fuit apostolo, quum fideles hortari vollet ad constantiam, eiusmodi scandalum tollere. Porro hoc argumento solatur eos quibus scribit, et confirmat quod Deus semper hec gevere temptationis ecclesiam suam exercevit: ne forte eorum corda novitas percellat. Non alia, inquit, futura est sub evangelio ecclesiae conditio, quam olim sub lege fuerit: pseudoprophetae veterem ecclesiam turbarunt, idem et nobis exspectandum est. Hoc oportuit diserto testatum esse, quia multi tranquillum sub Christi regno ecclesiae statum sibi fiuebant. Quia enim eius adventu prophetae solidam pacem, summam coelestis sapientiae lucem, plenamque rerum omnium instaurationem promittunt, non putabant ecclesiam amplius ullis certaminibus fore obnoxiam. Meminerimus ergo spiritum Dei hoc semel pronuntiasse, nunquam ab hoc intestino malo immunem fore ecclesiam: ac nobis semper in mentem veniat ista similitudo, communem nobis esse fidei probationem cum patribus, quia eadem sit ratio, nempe ut hoc modo appareat an vere Deum amemus: quemadmodum Deuteronomii cap. 13, 3, scriptum est. Porro hic singula exempla referre necesse non est: satis sit tenere in summa, quod patrum exemplo nobis adversus impias doctrinas pugnandum sit: quod ob dissidia et sectas minime labascere debeat fides nostra: quia inter turbulentas agitationes, quibus Satan toties omnia evertere conatus est, firma nihilominus persistenter Dei veritas. Observa autem non unum notari a Petro tempus, quum dicit, erunt falsi doctores, sed omnes potius aetates comprehendendi. Christianos enim cum veteri populo hic confert. Ideo hanc doctrinam ad tempus nostrum accommodare decet, ne haec tentatio nos frangat, quum insurgere videmus falsos doctores ut Dei veritatem oppugnant. Caeterum ideo nos admonet spiritus Dei, ut intenti simus ad cavendum: atque huc spectat tota descriptio quam mox subiiciet. Quamquam singulas sectas non pinget suis coloribus, sed peculiariter sermonem dirigit in homines profanos qui Dei contemptum inducunt. Generalis quidem est sententia, cavendum esse a falsis doctoribus: sed interea speciem unam elegit unde plus instabat periculi. Quod ex Iudee verbis melius patet, qui idem prorsus argumentum tractat.

Qui subinducent. Hoc verbo Satanae astutiam notat, et impiorum omnium qui sub eodem vexillo militant, quod obliquis anfractibus, et quasi per cuniculos subituri sint. Quo magis advigilare de-

bent pii ut clandestinas quoque eorum fraudes effugiant. Utcunque enim se insinuant, non tamen poterunt sedulo attentos circumveniro. Sectas exitiosas dicit, ut quantam quisque curam salutis suae habet, sectas istas, tanquam maxime noxias pestos exhorreat. Quod pertinet ad ipsum sectarum vel haereseos nomen, non abs re semper infame et exosum fuit inter Dei filios. Vinculum enim sanctae unitatis simplex est Dei veritas: simul atque ab ea disceditur, nihil aliud restat quam horrenda dissipatio.

Etiam Dominum qui illos redemit. Tametsi variis modis abnegatur Christus, eum tamen hic (meo iudicio) attingit Petrus, qui exprimitur apud ludam: nempe dum gratia Dei in lasciviam convertitur. Redemit enim nos Christus, ut populum haberet segregatum ab omnibus mundi inquinamentis, addictum sanctitati et innocentiae. Qui igitur excusso fraeno in omnem licentiam se prouiciunt, non immerito dicuntur Christum abnegare a quo redempti sunt. Proinde ut salva et integra evangelii doctrina apud nos maneat, hoc animis nostris infixum sit, redemptos esse nos a Christo, ut vitae simul et mortis nostrae sit Dominus: itaque nobis hunc finem esse propositum, ut illi vivamus ac moriamur. Iterum celerem illis interitum in-stare dicit, ne alii se illis implacent.

2. Et multi sequentur. Hoc vero non leve est scandalum infirmis, quum vident communi mundi applausu excipi falsas doctrinas, et ingentem hominum numerum abripi, ita ut pauci in pura Christi obedientia maneam. Sic hodie nihil est quod vehementius turbet pias mentes quam talis defectio. Vix enim decimus quisque eorum, qui Christo nomen dederunt, fidei puritatem ad extremum usque retinet: omnes fere ad corruptelas degenerant, atque a magistris licentiae delusi, profanescunt. Ne hoc fidem nostram labefactet, occurret Petrus, et mature praedicit hoc ipsum fore ut impii doctores multos trahant in exitium. Porro hic duplex est lectio, etiam apud Graecos. Alii enim lascivias, alii exitia legunt: sequutus sum tamen quod magis receptum erat.

Per quos via veritatis. Hoc ideo dictum esse interpretor, quia sicuti ornatur religio dum instituuntur homines ad timorem Dei, vitae probitatem, castos mores ac honestos, vel saltem os improbis obstruitur, ne evangelio maledicant: ita quum fraena impune laxantur ad omnem lasciviam, exponitur Christi nomen et doctrina impiorum contumeliis. Alii diversum sensum afferunt, quod falsi isti doctores, tanquam impuri canes, oblaturi sint sanae doctrinae. Sed mihi hoc potius significant Petri verba, datus occasionem hostibus, ut Dei veritati proterve insultent. Utcunque ergo non

exagitent ipsi conviciis christianam professionem, alios tamen ad conviciandum armant.

3. *Fictis sermonibus.* Modis omnibus studet Petrus infensos reddere fideles pravis doctoribus, ut eos acrius a se ac constantius repellant. Hoc maxime odiosum est nos tanquam vilia mancipia venum exponi. Hoc autem fieri testatur, si quis nos a Christi liberatione subducit. Fictos sermones vocat, arte compositos ad fallendum. Ergo nisi quis ita insaniat ut sponte a falsis doctoribus pretio addici velit animae suae salutem, perversis eorum fragmentis aditum omnem paecludat. Eodem quo prius consilio iterum repetit non cessare eorum exitium, ut bonos a societate eorum absterreat. Quando enim propinquuo exitio devoti sunt, quisquis se illis commisceat, nihil potest quam misere perire.

4. *Si enim angelis, qui peccaverant, Deus non pepercit, sed catenis caliginis in Tartarum praecipitos tradidit servandos in iudicium:* 5. et *prisco mundo non pepercit, sed octavum iustitiae paeconem Noe servavit, diluvio in mundum impiorum inducto:* 6. et *civitates Sodomorum et Gomorrhæ in cinerem redactas subversione damnavit, easque statuit exemplum iis qui impie acturi forent:* 7. et *iustum Loth, qui opprimebatur a nefariis per libidinosam conversationem, eripuit.* 8. *Nam oculis et auribus iustus ille, quem habitaret inter ipsos, quotidie animam iustum iniquis illorum operibus excruciatbat.*

4. *Si enim, etc.* Diximus quantopere intersit hoc cognosci, non posse impios, qui ecclesiam pravis dogmatibus corruperunt, Dei vindictam effugere. Hoc itaque tribus maxime insignibus divini iudicii exemplis probat, Quod ne angelis quidem suis pepercit: quod totum mundum semel absumpserit diluvio: quod Sodomam et alias vicinas urbes redigerit in cinerem. Sumit autem pro confesso Petrus quod inter nos indubium esse debet, Deum scilicet esse totius mundi iudicem. Unde sequitur, quas de impiis et sceleratis poenas olim sumpsit, nunc quoque de similibus sumpturum. Neque enim sibi dissimilis esse potest, nec personas accipit, ut idem scelus alteri ignoscat quod vindicavit in uno: sed peraeque iniustitiam odit, ubicunque inventa fuerit. Semper enim tenendum est illud inter Deum et homines discriminem, quod homines quidem inaequiter iudicant: Deus autem perpetuum iudicando tenorem servat. Nam quod electis peccata condonat, id fit quod ea per poenitentiam et fidem abolet. Itaque non aliter reconciliat nos sibi, quam dum nos iustificat. Donec enim sublatum fuerit peccatum, manet semper inter nos et illum dissidii materia. Quod ad angelos spectat, argumentum est a maiori ad minus. Nam quum longe paestan-

tiores essent, non tamen illos sua dignitas eripuit e manu Dei: multo minus ergo evadent homines mortales quicunque eorum impietatem sequuti fuerint. Caeterum quia de lapsu angelorum breviter hic meminit Petrus: tempus vero et modum, aliasque circumstantias non enumerat: sobrie in hac parte philosophari convenit. Sunt curiosi plerique homines qui nullum de his rebus sciscitandi finem faciunt: atqui quum Deus parce duntaxat et quasi obiter eas attigerit in scriptura, hoc ipso nos admonuit ut modica ista notitia simus contenti. Et sane qui magis anxie inquirunt, non aedificationi student, sed vanis speculationibus animos volunt pascere. Quod nobis utile erat, Deus patefecit, diabulos initio creatos esse ut Deo parerent: fuisse vero propria culpa apostatas, quia Dei imperium non tulerint: itaque pravitatem, quae in illis haeret, accidentalem esse, non a natura ut Deo attribui queat. Hoc satis aperte pronuntiat Petrus, quum angelos qui exciderunt, facit hominibus superiores. Apertius etiam Iudas, quum scribit eos non tenuisse suam originem, vel suum principatum. Quibus haec testimonia non satisfaciunt, ii sibi habeant sorbonicam theologiam, quae sic ad satietatem illos de angelis docebit, ut simul cum diabolis usque ad inferos praecipitet.

Catenis caliginis. Hac metaphora significat, tenebris constrictos teneri usque ad diem ultimum. Sumpta est autem haec similitudo a maleficiis, qui postquam damnati sunt, carceris atrocitate dimidium poenae sustinent, donec ad ultimum supplicium trahantur. Hinc colligere licet, non modo quam poenam sustineant reprobi post mortem, sed qualis etiam sit filiorum Dei conditio. Nam in spe certae beatitudinis placide acquiescent, quamvis ea nondum fruantur: sicuti priores horribile ex vindicta sibi parata tormentum sustinent.

5. *Prisco mundo.* Ratio huius loquutionis est quod Deus post submersum humanum genus, quasi novum deintegro mundum considerit. Est hoc quoque argumentum a maiori ad minus. Quomodo enim divinae irae diluvium evaderent scelerati, quo semel absorptus fuit totus orbis? Nam quum dicit octo fuisse servatos, significat multitudinem non fore instar clypei coram Deo, ut malos protegat: sed quotquot peccaverint, poenas datus, sive pauci sint numero, sive multi. Quaeritur autem cur vocet Noe iustitiae paeconem. Quidam intelligunt paeconem iustitiae Dei, qualiter scriptura, Dei iustitiam in eo commendat quod suos tuetur, et a morte erectos restituit in vitam. Ego autem potius paeconem iustitiae vocari interpretor, quia perditum mundum conatus sit ad sanam mentem reducere: neque id doctrina tantum et sanctis exhortationibus, sed quum per continuos centum et viginti annos in exstruenda arca anxie sudaret.

Hoc autem apostoli consilium est, iram Dei adversus reprobos ita nobis sub oculis ponere, ut interea ad sanctorum imitationem nos hortetur.

6. *Civitates Sodomorum.* Hoc divinae ultiōnis adeo memorabile fuit exemplum, ut scriptura, quoties de universali impiorum exitio loquitur, ad hunc typum fero alludat. Ideo dicit Petrus, constitutas esse has urbes in exemplum. Verc quidem hoc de aliis dici potest, sed quiddam singulare notat Petrus, quia haec praecepia sit et viva imago. Imo quia Dominus iram suam adversus impios testatam esse voluerit saeculis omnibus: sicuti quem populum suum ex Aegypto redemit, in hac una gratia perpetuam nobis depinxit ecclesiae salutem. Quod etiam expressit Iudas, poenam ignis aeterni vocans.

8. *Nam oculis et auribus.* Vulgo exponunt, Loth oculis et auribus iustum fuisse, quia omnes eius sensus a sceleribus Sodomae abhorrent. Potest tamen auditus et adspectus alio referri: ut sit sensus: Quum iustus ille ageret inter Sodomitas, visu et auditu exercuiabat animam. Multa enim audire et videre coactum fuisse scimus, quae eius animum misere torquerent. Summa huc redit, sanctum hominem, quum esset vitiorum omnium prodigiis undique obrutus, non tamen a recto cursu deflexisse. Plus autem exprimit Petrus quam antea, nempe quod voluntarios cruciatus iustus Loth subierit: sicuti par est, non parvo dolore affici pios omnes, ubi mundum ruere vident in omne mali genus. Quo magis necesse est, nos propriis peccatis ingemiscere. Atque hoc nominatim posuit apostolus, ne, ubi passim grassatur impietas, vitiorum illecebribus capti et inebrati, una cum aliis nos perdamus: sed hunc dolorem a Domino benedictum praeferamus omnibus mundi delitiis.

9. *Novit Dominus pios ex tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicii puniendos servare:* 10. *praesertim vero eos qui post carnem in concupiscentia pollutionis ambulant, dominationem despiciunt, audaces, praefacti, qui excellentias non verentur probro afficere:* 11. *quum angeli qui sunt robore et potentia maiores, ne ferant adversus illas coram Domino contumeliosum iudicium.*

9. *Novit Dominus.* Hoc primum offendit infirmos, quod quum anxie suspirent fideles, praesenti Dei auxilio non statim levantur: quin potius interdum eos sinit Dominus diuturno taedio et languore veluti contabescere: deinde tum impune lasciviunt mali: et interim silet Deus quasi ad ipsorum scelerata conniveret. Hoc duplex scandalum nunc avertit Petrus. Dominum enim scire testatur quando ex tentatione pios eripere expediat. Quibus verbis admonet, has illi partes relinquendas esse: itaque patienter durandum in temptationibus, nec deficien-

dum esse: si quando suam adversus impios ultiōnem differat. Haec consolatio nobis valde necessaria est. Solet enim obrepere ista cogitatio, Si Dominus suos habero vult integros, cur non omnes scorsum colligit in aliquem terrae angulum, ut se mutuo ad sanitatem incitent? Cur malis eos permisit a quibus inquinentur? Ubi autem Deus hoc sibi munus vindicat iuvandi suos ac protegendi ne in certamine deficiant, animos ad strenuo certandum colligimus. Haec summa est prioris membra, hanc piis omnibus legem praescribi a Domino, ut variis temptationibus probentur: sed de successu bene sperandum esse, quia oiusdem auxilio nunquam destituendi sint.

Iniustos autem. Hoc membro ostendit Deum sic iudicia sua moderari, ut malos ad tempus tolerando, non tamen inultos relinquat. Ita nimiam festinationem corrigit, qua praecipites ferri solemus: praesertim ubi ipsa scelerum atrocitas nos gravius vulnerat. Tunc enim vellemus eodem momento Deum fulminare: si cessat, non videtur amplius esse index mundi. Ergo ne temporalis ista scelerum impunitas nos perturbet, in memoriam reducit Petrus, statutum esse a Domino iudicii diem: ideo reprobos minime poenam effugere, utcunque non statim exigatur. Emphasis est in verbo servandi: ac si diceret, non esse elapsos ex Dei manu, sed teneri occultis vinculis constrictos, ut aliquando in iudicium trahantur. Participium κολαζομένους, quamvis sit praesentis temporis, sic tamen resolvi debet, servari puniendos: vel, ut puniantur. Nam ab ultimi iudicii exspectatione pendere nos iubet, ut in spe et patientia usque ad vitae finem militemus.

10. *Praesertim vero eos, etc.* Hic ad hypothesis descendit, generalem doctrinam suo instituto accommodans. Nam illi negotium erat cum prostitutae nequitiae hominibus: docet ergo fieri non posse quin horribilis vindicta ipsos maneat. Quum enim de omnibus poenas sumpturus sit Deus, quomodo isti evaderent qui belluarum in morem se proiiciunt ad omne flagitium? Ambulare post carnem, est carni addictum esse: sicuti bruta animalia ratione et iudicio non aguntur, sed carnis suae appetitum pro summo duce habent. Per concupiscentiam pollutionis intelligit foedas et effraenes libidines, ubi abiecto honesti studio, excussoque pudore, ad immundiciem feruntur homines. Haec prima nota est quam eis inurit, quod homines sint impuri ac nequitiae dediti. Sequentur aliae notae, quod dominationem despiciant, nec vereantur contumelia et probris afficere homines quos Deus honorifico gradu dignatur. Nam duas istas loquutiones eodem referto. Postquam enim dixit, contemptui illis esse dominationem: huius mali fontem mox indicat, quod audaces sint ac praefacti. Postremo quo magis exaggeret eorum superbiam, dicit eos non

tremere, quum adversus glorias probrose insurgunt. Est enim hoc prodigiosae arrogantiae, pro nihilo ducere gloriam quae in ordinibus a Deo positis refulget. Porro non dubium est quin hoc nomine imperia et magistratus designet. Tametsi enim nullum est legitimum vitac genus quod non sit laude dignum: scimus tamen prae aliis excellere magistratum functionem: quia Dei vices gerunt in gubernando humano genere. Vere igitur gloria est haec potestas in qua Deus ipse eminet. Teneamus nunc quid hoc secundo membro velit apostolus: nempe istos de quibus loquitur, fuisse homines phreneticos, turbarumque et confusionis appetentes. Quia nemo potest ἀναρρέειν mundo inducere, quin ἀταξία inducat: isti autem intrepide probra evombeant in magistratus, ut omnem publici iuris reverentiam tollerent. Hoc autem erat Deum palam suis blasphemias impetrare. Multi hodie quoque eiusmodi turbulenti homines exstiterunt, qui potestatem gladii profanam et illicitam esse iactantes, omnem politiam furiose evertere satagerent. Tales furias excitat Satan, quae evangelii cursum disturbant. Sed praecipue egit nobiscum Dominus, qui non modo ab hoc exitiali veneno cavendum esse admonuit: sed veteri etiam exemplo nos munitivit adversus scandalum. Itaque nimis improbe faciunt papistae, quum seditioses homines nostra doctrina armari criminantur. Quasi vero non idem olim apostolis exprobrari potuerit, qui tamen ab hac culpa longissime aberant.

11. *Quum angeli.* Praecipitem eorum arrogantiam inde ostendit, quod plus sibi licentiae sumere audent quam angeli ipsi. Sed mirum est cur angelos contumeliosum de magistratibus iudicium ferre neget. Quorsum enim sancto ordini adversi essent, cuius autorem sciunt esse Deum? Quorsum in potestates insurgerent, quas norunt in eodem secum esse ministerio? Haec ratio quosdam movit ut de diabolis hoc putarent dictum: sed hoc modo absurditatem minime effugint. Quomodo enim hominibus parcendo, tam sobrius esset Satan, qui omnis in Deum blasphemiae autor est? Deinde eorum opinio Iudee verbis refellitur. De sanctis porro angelis apposite sic loquutus est, si reputamus temporis circumstantiam. Erant enim tunc omnes magistratus fere impii et sanguinarii evangelii hostes. Quare fieri non poterat quin angelis ecclesiae custodibus exosi essent. Sic tamen ab ipsis damnari dicit homines odio et execratione dignos, ut reverentiam deferant potestati divinitus ordinatae. Haec, inquit, in angelis quum sit moderatio, isti intrepide in dissolutas et effraenes blasphemias ruunt.

12. *Isti autem tanquam bruta animalia, naturaliter genita in capturam et perniciem, in quibus nihil intelligunt maledicentes, in sua corruptione peribunt:*

Calvini opera. Vol. LV.

13. *recipientes mercedem iniustitiae: pro voluptate ducentes in diem frui delitiis, labes et maculae delitiantes in erroribus suis, conviventes vobiscum: 14. oculos habentes plenos adulterae, et inquietos ad peccandum, inescantes animas instabiles, cor habentes exercitatum cupiditatibus, execrabilis filii. 15. Qui relicta recta via aberraverunt, sequuti viam Balaam filii Bozor, qui mercedem iniustitiae dilexit: 16. sed redargutus fuit de sua iniquitate: animal subiugale mutum, humana voce loquens, prohibuit prophetae dementiam.*

12. *Isti autem, etc.* Prosequitur quod dicere cooperat de impiis et scelestis illis corruptoribus. Primum autem mores dissolutos et obscenam totius vitae nequitiam taxat: deinde sic audaces et protervos esse dicit, ut scurrili sua garrulitate se insinuant in multorum gratiam. Primum comparat eos brutis animalibus, quae in hoc videntur nata ut se in plagas induant, et ad suum interitum proprio impetu ferantur: ac si diceret, nullis illecebribus inductos, sponte properare ut se in Satanae et mortis laqueos proiciant. Pro eo quod vertimus naturaliter genita, Petrus ad verbum habet naturalia genita: sed ad sensum parum refert, sive alterum ex his duabus ab alio quopiam suppositum fuerit, sive utrumque ponendo, magis exprimere voluerit quod dicebat. Quod addit, maledicentes in quibus nihil intelligunt, pertinet ad superbiam cuius proxime meminiuit. Dicit igitur, ideo petulanter ab aliis contemni omnem excellentiam, quia prorsus obstupuerint, ut nihil a pecudibus differant. Caeterum ubi posui, in perniciem, deinde in corruptione, utroque loco est nomen φθορᾶς, sed varie acceptum. Nam quum perituros dicit in sua corruptione, docet exitiales illis fore suas corruptelas.

13. *Pro voluptate ducentes.* Ac si diceret, felicitatem statuunt in praesentibus delitiis. Scimus in hoc praecellere brutis animalibus homines, quod animum longius circummagunt. Ergo istud indignum est homine, occupari in praesenti sensu. Quod admonet extricandas esse mentes a carnis delitiis, nisi velimus in pecudum ordinem redigi. Quod sequitur, hunc habet sensum, Isti vos ac coetum vestrum foedis maculis adspergunt: nam dum epulantur vobiscum, simili luxuriantur in suis erroribus, amores meretricios et perditam incontinentiam oculis gestuque exprimunt. Erasmus sic reddidit, Convivantes in erroribus suis, insultant vobis. Sed illud nimis coactum est. Posset non inepte ita exponi, vobiscum epulantes, vos petulanter luditrio habent in suis erroribus. Ego tamen quod maxime probabile videbatur, reddidi. Plenos adulterae oculos vocat libidinosos, et qui intempe-

reenter ad piceandum inquieto motu feruntur: sicuti etiam mox exprimit.

14. *Inescantes animas.* Metaphora inescandi, fideles admonet ut sibi eaveant ab occultis et fraudulentis eorum captionibus: nam eorum imposturas hamis comparat qui possent incautos ad interitum rapere. Quum addit, animas instabiles, cauendi rationem demonstrat, si firmas in fide et timore Domini radices egerimus: ac simul indicat, nulla excusatione esso dignos qui so talibus blanditiis inescari sinuunt: quia hoc eorum levitati sit imputandum. Adsit ergo fidei stabilitas, et ab impiorum capturis tuti erimus.

Cor exercitatum cupiditatibus. Erasmus rapinas vertit: et ambigua est græcae vocis significatio. Ego cupiditates malo: quia sicuti prius incontinentiam damnavit in eorum oculis, ita nunc videtur quae in corde latent vitia notare. Ad avaritiam porro hoc restringi non debet. Quod exsecrabilis filios nominat, tam active quam passivo posset exponi: hoc est, qui maledictionem, quounque veniant, secum afferunt, vel qui digni sunt exsecratione. Quoniam autem hactenus recensuit quantum perversae turpisque vitae exemplo noeant: iterum repetit, letale impietatis venenum in doctrina eos spargere, quo simplices interimant. Comparat eos cum Balaam filio Bozor, qui linguam habuit venalem ad maledicendum populo Dei. Atque ut indignos longa refutatione esse ostendat, dicit Balaam reprehensum fuisse ab asina, atque ita convictam fuisse eius amentiam. Sed eadem ratione fideles ab omni eorum societate absterret. Fuit enim horribile illud Dei iudicium, quod asinae prius se manifestavit angelus quam prophetæ: quod asina infensum Deum sentiens, ultra progreedi ausa non est, quin potius pedes retulit, quum propheta coeco avaritiae suae impulsu adversus certam Dei prohibitionem se ingereret. Nam quod illi tandem responsum fuit ut iret: signum divinae indignationis fuit magis quam permissus. Postremo in summum eius dedecus os apertum asinæ fuit, ut illam haberet magistrum qui Dei imperio subiicere se noverat. Atque hoc prodigio ostendere voluit Dominus quam prodigiosa res sit, veritatem in mendacium mutare. Quæritur nunc quo iure Balaam prophetæ titulo insigniatur, quem constat multis pravis superstitionibus fuisse deditum. Respondeo vaticinandi donum sic esse particulare, ut qui alias nec verum Deum colit, nec puram religionem tenet, possit tamen illo esse praeditus. Porro Deus in media idolatria prophetiam ideo interdum extare voluit, quo minus excusationis haberent homines. Nunc si quis summam eorum, quæ dixit Petrus, colligat, videbit non minus nostro saeculo congruere hanc eius admonitionem. Nam passim grassatur haec pestis, quod homines scurrili dicacitate in Dei

et Christi ludibrium abutuntur: imo facetiarum colore omnem religionem subsannant: et quum percedum in morem earni suao sint addicti, fidelibus tamen se permiscent: garriunt aliquid de evangelio, sed interea linguam prostituant in obsequium diaboli, ut totum mundum, quoad in se est, aeterno exitio devoyeant: hac in parte peiores ipso Balaam, quod gratuito maledictiones suas fundunt, quum ille nonnisi mercede illectus, ad maledicendum proruperit.

17. *Ii sunt fontes sine aqua, nebulae quae a turbine aguntur, quibus caligo tenebrarum in aeternum parata est.* 18. *Nam ubi plusquam fastuosa vanitatis verba sonuerint, inescant per concupiscentias carnis lascivis eos, qui vere aufugerant ab iis qui in errore versantur:* 19. *dum libertatem illis promittunt, quum ipsis sint servi corruptionis. A quo enim quis superatus est, huic in servitutem est adductus.*

17. *Fontes sine aqua.* Duabus istis metaphoris docet, eos nihil intus habere, quum magnam speciem ostentent. Fons adspectu suo homines ad se invitat, quia usum aquae promittit tam ad potum, quam alias vitae commoditatis: simul ac apparent nebulae, spem imminentis pluviae faciunt ad terram irrigandam. Dicit ergo istos fontibus esse similes, quia pollent iactantia, acumen aliquod in sententiis, in verbis leporem præ se ferunt: intus tamen aridos esse ac steriles: ideo fallacem esse fontis figuram. Dicit nobulas esse quæ a vento discutiuntur sine pluvia, aut in calamitosam procellam erumpunt. Quo denotat, nihil utilitatis unquam afferre, saepe autem esse valde noxios. Postea iterum denuntiat horribile iudicium Dei, nt hic metus retineat fideles. Quamquam dum tenebrarum caliginem nominat, alludit ad nebulae quæ rem obscurant: ac si diceret, pro momentaneis tenebris quas nunc offundunt, illis multo densiores ac aeternas paratas esse.

18. *Ubi plusquam fastuosa.* Significat verborum ampullis perstrigere simplicium oculos, ut fraudem animadvertere nequeant. Neque enim talibus deliriis mentes capi facile esset, nisi prius essent aliquo artificio obstupefactæ. Sonorum ergo et inflatum orationis genus illis esse dicit, quo in admirationem incantos rapiant. Deinde grandiloquentia illa quam pulmo animae praelargas anhelat (ut inquit Persius¹⁾) tegendis ambagibus valde est apposita. Huiusmodi astutiam in Valentino et similibus olim fuisse, ex libris Irenæi colligere licet. Voces enim prius inauditas excluderant, quarum inani crepitū perculti imperiti, eorum deliriis irretiebantur. Nec secus hodie phrenetici quidam, qui plausibili

¹⁾ Satir. I. 14.

titulo se Libertinos vocant. Nam plenis buccis spiritum et spiritualia crepantes, quasi supra nubes tonarent, multos suis praestigiis fascinant: ut dicas apostolum de his proprie vaticinatum esse. Ioco enim et sannis omnia excipiunt: et quamvis maxime sint insulsi, quia tamen vitiis omnibus indulgent, gratiam in suis nescio quibus facetis inveniunt. Scopus est, ut sublato boni et mali delectu quidvis liceat: ab omni legum subiectione soluti homines, libidini sua obsequantur. Quare haec epistola non parum aetati nostrae prodest.

Inescant per concupiscentias. Eleganter hamis comparat impiorum illecebras, dum quidvis licitum faciunt. Nam ut cupiditates hominum caecae sunt ac famelicae, simul ac oblata est licentia, eam fervido impetu arripiunt: sed paulo post sentitur hamus intus strangulans. Caeterum expendere operae pretium est totam apostoli sententiam. Dicit eos qui re ipsa ab errantium consortio aufugerant, rursus novo erroris genere decipi: nempe dum illis ad omnem intemperantiam habenae laxantur. Quo admonet quam periculose sint istorum insidiae. Illud enim iam erat horribile exemplum, quod caecitas et densae tenebrae totum fere humanum genus occupabant. Hoc itaque duplex quodammodo erat portentum, homines a communi mundi errore liberatos post perceptam Dei lucem in belluiuum stuporem revolvi. Hinc monemur quid maxime nobis cavendum sit, postquam semel illuminati sumus: ne scilicet licentiae praetextu nos alliciat Satan, ut pro carnis libidine lasciviis nos dedamus. Porro ab hoc periculo tuti erunt qui serio incumbent in sanctificationis studium.

19. *Dum libertatem.* A repugnantibus ostendit, falso eos promittere libertatem, quum ipsi peccato se in pessimam servitutem addixerint. Nemo enim dare potest quod non habet. Videtur tamen non satis firma esse ratio: quia accidit interdum ut de Christi beneficiis utiliter concessionetur homines nequam, et a Christo prorsus alieni. Sed notandum est, reprehendi vitiosam doctrinam quae cum vitae impuritate coniuncta erat. Consilium enim apostoli est, occurrere fallaci illecebrae qua stultos inescabant. Dulce est libertatis nomen: eo itaque abutebantur, ut solitus auditor divinac legis metu, in effraenem licentiam se proiiceret: Atqui longo alia est libertas quam nobis peperit Christus, et quam offert quotidie per evangelium. Sic enim nos eximit a legis iugo quatenus nos maledictione obstringit, ut simul a peccati tyrannide, quatenus suis concupiscentiis nos constringit, liberet. Quare ubi dominantur libidines, adeoque ubi caro regnum occupat, minime locum habet libertas Christi. Denuntiat ergo apostolus omnibus piis ne alia libetatem appetant quam quae manumissos a peccato in liberum iustitiae obsequium ipsos adducat. Hinc

colligimus, semper fuisse impuros homines qui nomen libertatis falso obtenderent: atque hanc vetustam fuisse Satanae fraudem: ne miremur hodie eandem a fanaticis hominibus Camarinam moveri. Quod autem papistae hunc adversus nos locum torquent, in eo ridiculam suam impudentiam produnt. Primum enim spurcissimae vitae homines ex suis foetidis popinis et lupanaribus hoc convitium crucant, quod simus corruptionis servi, quorum in vita nullum probrum notare queunt. Deinde quum de libertate christiana nihil tradamus nisi a Christo et apostolis sumptum, et interea carnis mortificationem veraque eius domandae exercitia multo severius exigamus quam illi ipsi qui nos infamant: sua maledicta non tam in nos evomunt, quam in filium Dei quem habemus certum autorem.

A quo enim quis. Sumpta est hacc sententia ex iure militari: sed tamen hoc profanis quoque scriptoribus tritum est, nullam esse magis duram aut miseram servitutem, quam ubi regnant libidines. Quid ergo nobis agendum est, quibus ideo spiritum suum contulit filius Dei, ut non modo emancipemur a peccati imperio, sed carnis etiam et mundi simus victores?

20. *Nam si ii qui aufugerant ab inquinamentis mundi per cognitionem Domini et servatoris Iesu Christi, rursum iisdem impliciti superantur: facta sunt illis postrema peiora prioribus.* 21. *Melius enim ipsis esset non cognovisse viam iustitiae, quam ubi cognoverunt, converti ab eo, quod illis traditum fuit, sancto praecepto.* 22. *Sed accidit illis quod vero proverbio dicitur, canis reversus ad proprium vomitum: et sus lota, ad volutabrum coeni.*

20. *Nam si ii, etc.* Iterum ostendit quam perniciosa sit haec secta quae homines Deo consecratos ad pristinam immundiciem et mundi corruptelas retrahit. Ac mali gravitatem comparatione exagerat: quia non vulgare sit crimen defectio a sancta Dei institutione. Praestaret, inquit, nunquam novisse iustitiae viam. Nam etsi nulla est ignorantiae excusatio: servus tamen qui sciens ac volens contemnit Domini mandata, duplcem poenam mereatur. Huc accedit ingratitudo, quod sponte lucem Dei exstingunt, abiiciunt gratiam sibi datam, excusso iugo contumaciter adversus Deum lasciviant: imo quantum in se est, inviolabile Dei foedus, ac sanctum Christi sanguine, profanant et abrogant. Quo magis intentos esse nos decet ut reverenter et sollicite in cursu vocationis nostrae pergamus. Iam singulas partes proprius expendere operae pretium est. Quum in quinam cuncta mundi nominat, nos in sordibus voluntari, totosque esse pollutos docet, donec mundo renuntiemus. Per cognitionem Christi, non dubium est quin evangelium in-

telligat. Usum eius esse testatur, ut nos a mundi inquinamentis cruat, et procul abducat. Qua ratione paulo post vocat *vinum iustitiae*. Ille ergo demum rite in evangelio profecit, qui probo Christum didicet: Christum autem vere tenet, qui in ipso edocens est exuero veterem hominem, et induco novum: quemadmodum et Paulus admonet ad Ephesios capite 4, 22. Quum dieit, *relicto quo d illis traditum fuerat praeecepto revolvi ad suas pollutiones, primum quam sint inexcusabiles, innuit: deinde admonet, pie recteque vivendi doctrinam, quamvis omnibus communis sit, et promiseo ad omnes pertineat, peculiariter tamen iis tradi quos Deus evangelii sui luce dignatur.* Porro ab evangelio deficere eos pronuntiat, qui mundi inquinamentis se deintegro mancipant. Peccant quidem et fideles: sed quia dominum peccato non permittunt, nou exidunt a Dei gratia: nece deserunt quam semel sunt amplexi sanae doctrinae professionem. Neque enim vietii censentur, quum strenue carni et eius concupiscentiis repugnant.

22. *Sed accedit illis.* Quia multos perturbat hoc exemplum, ubi homines qui se iu Christi obedientiam subiecerant, sine metu et pudore in flagitia proruunt: ut scandalum praeveritat apostolus, hoc ex eorum vitio provenire dicit: quia porci sint et canes. Unde sequitur, nullam culpae partem evangelio posse adscribi. In hunc finem duas citat veteres paroemias, quarum prior habetur apud Solomonem, Proverb. 26, 11. Hoc autem summatim vult Petrus, evangelium esse medicinam quae nos salubri vomitu purgat: sed multos esse canes qui in suam perniciem resorbent quod vomuerant. Item evangelium esse lavaerum quod immunditias omnes nostras abstergit: sed multos esso porcos qui statim a lotione in caenum se provolvant. Interea monentur pii ut sibi ab utroque caveant, nisi velint in canum et porcorum ordine censeri.

CAPUT III.

1. *Hanc iam, dilecti, secundam vobis scribo epistolam, in quibus excito per commonefactionem vestram puram mentem, 2. ut memores sitis verborum quae praedicta sunt a sanctis prophetis, et praecepti nostri, qui sumus apostoli Domini et servatoris. 3. Hoc primum scientes quod venient in extremo dierum illusores, secundum suas ipsorum concupiscentias ambulantes, 4. Ac dicentes: ubi est promissio adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic permanent ab initio creationis.*

No secundam epistolam fastidiani, quasi prima sufficeret, utramque non frustra scriptam esse dicit, quia saepius excitandi sint. Quod ut melius con-

stet, ostendit non fore extra periculum, nisi probo muniti sint: quia certamen habituri sint cum perditis hominibus qui non modo fidei puritatem corruerpent falsis dogmatibus, sed totam fidem, quantum in se erit, funditus evertent. Quum dicit, *excito vestram puram mentem, perinde est ae si dicoret: Volo ad sinceritatem mentis vos exercefacere.* Atque ita debent resolvi verba: *Mentem vestram excito, ut pura ac liquida sit.* Sensus enim est, offuscarci piorum mentes, et quasi rubiginem contrahero, ubi monitiones cessant. Porro hinc simul colligimus, etiam homines doctrinae praeditos, nisi continuis monitionibus excitentur, sopites quodammodo iacero. Nunc appareat qualis sit admonitionum usus, et quantopere nobis sit necessarins. Doctrinam enim semel perceptam suffocat carnis ignavia, et otiosam reddit, nisi eam adinvent monitionum stimuli. Non ergo satis est edocens esse homines, ut teneant quod oportet: sed pios doctores incumbere in hanc secundam partem decet, ut doctrinam auditorum memoriae penitus infigant. Et quia natura ut plurimum novitatis cupidi sunt homines, ideoque ad fastidium propensi, utile nobis est tenero quod hic dicit Petrus: ut non modo libenter sinamus nos ab aliis moneri, sed ut se quisque exerceat, doctrinam assidue memoria repetendo, ut mentes nostrae pura et liquida eius intelligentia niteant.

2. *Ut memores sitis.* His verbis significat, nos in prophetarum scriptis et evangelio satis habere quo excitemur, modo in his meditandis seduli simus quantum decet: quod ergo rubiginem interdum contrahunt mentes nostrae, vel caligine obducuntur, id nostra ignavia fieri. Ergo ut nobis perpetuo Deus illuceat, huic studio nos dedamus: interea fides nostra in testibus adeo certis et idoneis acquiescat. Nam si prophetas et apostoles habemus consentientes nebiscum, imo fidei nostrae ministros, Deum vero autorem, et angelos approbatores: non est quod nos e gradu moveat impiorum conspiratio. Praeceptum apostolorum vocat totam doctrinam qua pios instituerant.

3. *Hoc primum scientes.* Posset participium scientes referri ad apostoli personam, hoc sensu: Ideo labore in vobis excitandis, quia scio quale et quantum vobis periculum ab illusoribus impendeat. Ego tamen malo aliter exponere, ut sit participium loco verbi, ac si dixisset: Scitote hoc in primis. Praedici enim hoc illis oportuit: quia concuti poterant, si repente eiusmodi ludibriis ipsos adorti essent impii. Vult igitur eos scire, ac redi certiores, ut parati sint ad resistendum. Porro iterum ad eam doctrinam revocat fideles, quam cap. secundo attigit. Nam per dies extre mos satis tritum est, regnum Christi designari, iuxta illud Pauli, ut fines saeculorum in nos inciderint, 1. Corinth. 10, 11.

Sensus autem est, quo propius per evangelium offert se Deus mundo, et ad regnum suum homines invitat, futurum etiam contra ut profani homines venenum impietatis suaevit audacius evomant. Illusores vocat communi scripturae more, qui Dei contemptu et sacrilega superbia ingeniosi videri appetunt. Hoc porro malorum est extreum, ubi homines tremendum Dei numen sannis eludere sibi permittunt. Ita loquitur primus psalmus de cathedra derisorum. Sic David Psal. 119, 51, conqueritur se fuisse a superbis derisum, quia legi Dei studebat. Sic Iesaias capite 28, ubi eorum facit mentionem, supinam eorum securitatem una cum stupore deppingit. Proinde meminerimus nihil magis esse timendum, quam hoc certamen ab illusoribus. Qua de re aliquid diximus ad Galatas capite 3. Quia tamen spiritus sanctus venturos praedixit, et simul clypeum in manus porrexit quo possimus eos repellere: nulla nobis excusatio est quin stemus fortiter, quidquid illos machinari contingat.

4. *Ubi est promissio.* Haec est periculosa illusio, quum dubitationem iniiciunt ultimae resurrectionis, qua sublata nullum amplius est evangelium, exinanita est Christi virtus, perit tota religio. Ergo ecclesiae iugulum recta petit Satan, dum fidem adventus Christi convellit. Quorsum enim mortuus est Christus et resurrexit, nisi ut secum aliquando nos a morte redemptos in vitam aeternam colligat? Funditus itaque diruitur pietas, nisi fixa manet resurrectionis fides: ideo hac parte aerius nos oppugnat Satan. Notanda est autem cavilli forma, continuum naturae cursum, qualis ab initio fluere visus est, promissioni Dei opponunt, ac si res essent contrariae, vel minus inter se congruentes. Quum eadem fuerit patrum fides, inquiunt, nihil mutatum fuit ab eorum morte: atqui multa inde saecula praeterisse notum est. Hinc fabulosum esse collidunt, quod de mundi interitu dicitur: quia ex tam longa eius duratione perpetuum fore coniiciunt.

5. *Nam hoc nesciunt volentes, quod coeli iam olim fuerint, et terra ex aqua et per aquam consistens Dei sermone:* 6. *per quae mundus qui tunc erat, aqua inundatus periit.* 7. *Qui autem nunc sunt coeli et terra, eiusdem sermone repositi sunt, et servantur igni in diem iudicii et perditionis impiorum.* 8. *Porro nee hoc unum vos lateat, dilecti, quod unus dies apud Dominum perinde est ut mille anni: et mille anni ut dies unus.*

5. *Nam hoc nesciunt.* Uno tantum argumento refellit illud impiorum cavillum: nempe quod mundus semel aquarum diluvio perierit, quum tamen aquis constaret. Quoniam autem satis nota et celebris historia erat, dicit eos volentes errare, hoc est, sponte. Nam qui ex diurno mundi statu

perpetuitatem eius colligunt, oculos maligne claudunt, ne tam dilucidum iudicium Dei cernant. Mundus certe ex aquis habet originem: chaos enim, ex quo producta est terra, Moyses vocat aquas. Deinde ab aquis sustinebatur: aquis tamen ad eum perdendum usus est Dominus. Undo apparet vim naturae adeo non sufficere fovendo et conservando mundo, ut potius inclusa sit illic interitus materia quoties ita Domino visum fuerit. Semper enim hoc reputandum est, mundum non alia virtute proprie consistere quam verbi Dei: ac proinde inferiores causas inde vim suam mutuari: et prout aguntur, habere diversos affectus. Ita per aquam mundus constabat: sed aqua per se nihil poterat, quin potius suberat Dei verbo, tanquam inferius organum. Ergo simul ac Deo placuit terram perdere, eadem aqua ad mortiferam undationem obsequium suum praestitit. Nunc videmus quantopere errant qui subsistunt in nudis elementis, quasi in ipsis sita esset perpetuitas, ac non potius ad Dei nutum flexibilis esset eorum natura. His paucis verbis abunde refutatur eorum petulantia qui ad Deum oppugnandum physicis rationibus se armant. Historia enim diluvii locuples est testis, solo Dei imperio gubernari totum naturae ordinem. Hoc tamen videtur absurdum, quod dicit mundum periisse diluvio, quum prius meminisset coeli et terrae. Respondco, coelum tunc quoque fuisse submersum, hoc est, regionem aeris quae inter duplices aquas vacua patet. Nam distinctio illa, cuius Moses meminit, confusa erat, et coeli nomen hoc sensu saepe accipitur. Si quis plura desideret, legat Augustinum libro de Civitate Dei 20.

7. *Qui autem nunc sunt coeli.* Hoc non infert tanquam consequens. Neque enim aliud fuit ei propositum quam derisoribus argutiam excutere de perpetuo naturae statu: quales hodie videmus permultos, qui leviter adspersi philosophiae rudimentis, quo se pro magnis philosophis venditent, tantum profanas speculationes venantur. Atqui iam hoc plane ex superioribus evictum est, nihil esse absurdum quum Dominus coelum et terram olim igni assumptum iri pronuntiat: quoniam ignis et aquae una est ratio. Nam et apud veteres hoc tritum fuit, ex his duobus summis principiis nata esse omnia. Quoniam autem cum impiis habebat negotium, de ipsorum exitio nominatim loquitur.

8. *Porro ne hoc unum, etc.* Nunc sermonem adpios convertit, monetque, ubi de Christi adventu agitur, ut oculos sursum tollant. Ita enim fiet ne praeposteris suis votis praescriptum a Deo tempus subiiciant. Nam ideo nimis longa exspectatio videtur, quia oculos habemus defixos in praesentis vitae brevitatem: deinde suppeditando dies, horas, et momenta, taedium augemus. Verum ubi aeternitas regni Dei nobis occurrit, multa saecula instar mo-

menti evanescunt. Huc ergo nos revocat apostolus, ut sciamus non pendere diem resurrectionis ex praesenti temporum fluxu, sed ab aeterno Dei consilio: as si diceret, ideo homines Deum praevertore cipiunt, quia carnis suae sensu tempus metiuntur: natura autem ad impatientiam sunt proelives, ut celeritas quoque illis mora sit: vos ergo mente in celos condescendite, ita nullum erit vobis longum aut breve tempus.

9. *Non tardat Dominus in promissione*, sicuti quidam tarditatem existimant: sed tolerantem se praebet erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad poenitentiam recipere. 10. *Venit autem dies Domini tanquam fur in nocte: in qua coeli in modum procillac transibunt, elementa autem ardore solventur: et terra, quaeque in ea sunt opera ardebunt.* 11. *Quum haec igitur omnia solvantur, quales oportet non esse in sanctis conversationibus et pietatisbus,* 12. *Exspectantes properando adventum dicti Dei, propter quem coeli solventur, et elementa ardore consumentur?* 13. *Novos autem celos et terram novam iuxta promissum eius exspectamus, in quibus habitat iustitia.*

9. *Non tardat Dominus.* Alia ratione nimiam ac praeposteram festinationem compescit: nempe quod Dominus adventum suum ideo differat ut totum humanum genus ad poenitentiam invitet. Semper enim nobis animi pruriunt, et subinde obrepit dubitatio, cur non citius venit. Sed ubi audiimus Dominum saluti nostrae consulere ubi differt, et ideo differre quia nostri curam habet: non est eur de tarditate amplius queramur. Tardus enim is dicitur qui occasionem pigritia effluere sinit: in Deo nihil simile, qui temporum rationem ad salutem nostram optime attemperat. Atque omnino de totius mundi duratione idem quod de cuiusque hominis vita sentiendum est. Deus enim tempus singulis prorogando, sustinet eos quoad resipiscant. Similiter finem mundi ideo non accelerat, ut det omnibus resipisciendi spatium. Haec valde utilis admonitio est, ut tempore reete uti discamus, iustum aliqui ignaviae poenam daturi.

Nolens ullos perire. Mirus hic erga humanum genus amor, quod omnes vult esse salvos, et ultro pereuentes in salutem colligere paratus est. Notandus autem hic ordo, quod paratus est Deus omnes ad poenitentiam recipere, ne quis pereat. His enim verbis obtainendae salutis modus indicatur: proinde quisquis nostrum ad salutem adspirat, discat hae via ingredi. Sed hic quaeri potest, si neminem Deus perire velit, cur tam multi pereunt? Respondeo, non de arcano Dei consilio hic fieri mentionem quo destinati sunt reprobi in suum exitum: sed tantum de voluntate quae nobis in evan-

gelio patet. Omnibus enim promiscue manum illie porrigit Deus, sed eos tantum apprehendit ut ad se ducat quos auto conditum mundum elegit. Caeterum quum verbum χωρίσας apud Graecos saepe etiam neutrum sit: huic loco non minus apto quadraret quod in margine posuit¹⁾), quod Deus velit ad poenitentiam simul venire omnes qui prius vagi et dissipati fuerant.

10. *Veniet autem dies Domini.* Hoc additum est ut semper in excubii sint fideles, nec crastinum sibi promittant. Duobus enim longe diversis vitiis laboramus fere omnes, nimia festinatione et ignavia. Impatientiae cuim rapimur ad diem Christi nunc iam exspectandum: interea ipsum securè procul reiicimus. Quare sicuti antehac apostolus importunum fervorem correxit: ita nunc somnolentiam nobis execut, ut omnibus horis ad Christum exspectandum simus intenti, no diffluamus ut fieri solet. Unde enim fit ut caro sibi indulget, nisi quod de propinquo Christi adventu nulla subit cogitatio? Quod postea sequitur de coeli et terrae incendio non longa expositione indiget, si quidem eius consilium expendamus. Neque enim hic subtiliter de igui et procella, et aliis rebus disputare voluit: sed tantum inde elicere exhortationem, quam mox attexit, nempe ut enitamus nos quoque ad vitae novitatem. Sic enim ratiocinatur, coelum et terram incendio purgatum iri, ut regno Christi respondeant: renovationem itaque in hominibus longe esse magis necessariam. Mali ergo sunt interpres qui in argutis speculationibus multum consumunt operae: quum apostolus totam hanc doctrinam ad pias exhortationes accommodet. Coelum, inquit, et terra nostra causa transibunt: an ergo nos in terra demersos esse convenit, ac non potius sanctam ac piam vitam meditari? Corruptio coeli et terrae igne purgabitur, quum tamen purae sint Dei creaturae: quid ergo nobis agendum qui tot inquinamentis sumus referti? In voce pietatum, plurali numero abusns est loco singulari: nisi pro exercitiis pietatis accipias. De mundi elementis hoc unum dicam, absumptum iri, tantum ut novam qualitatem induant, manente substantia: sicuti ex octavo ad Romanos cap. v. 21, et aliis locis facile colligi potest.

12. *Exspectantes properando.* Ita vertere placuit, tametsi duo sunt participia. Nam quae secundum prius habuimus, nunc in unam sententiam colligit, quod festinanter debeamus quiescere. Haec autem repugnantiae species non parum habet gratiae: ut in proverbio, festina lente. Quum dicit, exspectantes, hoc ad spei tolerantiam refertur, festinationem opponit torpori: utrumque apposite. Nam ut spei propria sunt silentium et quies, ita semper

¹⁾ colligi vel aggregari.

cavendum ne obrepat carnis securitas: ideo in bonis operibus strenue laborandum, et in stadio vocationis nostrae celeriter currendum est. Quem prius diem Christi dixerat (ut etiam passim in scriptura vocari solet) nunc Dei appellat, et merito. Christus enim tunc exsurgit ut restituat patri regnum, quo sit Deus omnia in omnibus.

14. *Quare, dilecti, quum haec exspectetis, studete incontaminati et irreprehensibilcs ab eo inveniri in pace.* 15. *Et Domini nostri tolerantiam salutem existimate: quemadmodum et dilectus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis:* 16. *sicuti in omnibus epistolis, loquens de iis, in quibus sunt quacdam difficulta intellectu, quae indocti et instabiles invertunt (ut et caeteras scripturas) ad suam perniciem.* 17. *Vos igitur, dilecti, praemoniti cavete: ut ne simul nefariorum errore abacti, excidatis a vestra firmitate.* 18. *Crescite autem in gratia et notitia Domini nostri et servatoris Iesu Christi: ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis.*

14. *Quare, etc.* Recte a spe ad effectum vel studium pie vivendi argumentatur. Spes enim viva est et efficax: ideo fieri non potest quin nos ad se rapiat. Ergo qui coelos novos exspectat, novitatem a se ipso incipiet, hucque adspirabit toto studio: qui vero in sordibus suis haerent, eos certum est nihil de regno Dei cogitare, ac nihil sapere quam mundum corruptibilem. Notandum autem quod dicit, inveniri nos debere a Christo irreprehensibiles. Nam hoc verbo significat, dum alios occupat ac detinet mundi respectus, coniiciendos nobis esse oculos in Dominum: et simul quaenam sit vera integritas, ostendit: nempe quae probatur ipsius iudicio, non autem quae apud homines laudem habet. Nomen pacis accipi mihi videtur pro quieto conscientiae statu qui in spe et tolerantia fundatus est. Quod enim tam pauci ad Christi iudicium animos advertunt, inde fit quia dum praecepites feruntur importuna sua cupiditate, simul sunt tumultuosи. Ergo pax ista silentium est pacatae animae quae in Dei verbo acquiescit. Quaeatur quomodo inveniri quispiam possit a Christo irreprehensibilis, quum tot vitiis laboremus omnes: sed Petrus hic scopum tantum demonstrat, ad quem tendere fideles oportet, uteunque eousque non pertingant, donec carne sua exuti, Christo penitus adhaereant.

15. *Domini nostri tolerantiam.* Sumit illud pro confesso, Christum ideo diem adventus sui differre, quia salutis nostrae rationem habeat: inde igitur animat fideles, quod in longiore mora, salutis suac signum habeant. Ita quod taedio frangere alios solet, prudenter retorquet in contrariam partem.

Quemadmodum et dilectus. Facile quum ex mul-

tis locis, tum ex epistola ad Galatas colligere licet, nebulones qui passim oberrabant ad turbandas ecclesias, ut fidem Paulo detraherent, hoc praetextu abusos esse, quod illi minus bene cum reliquis apostolis conveniret. Ergo probabile est, factam a Petro mentionem Pauli esso, ad testandum utriusque consensum: nam eiusmodi calumniae ansam praecidere plusquam necesse fuit. Et tamen dum omnia propius expendo, mibi fit verisimilius hanc epistolam ex Petri sensu ab alio compositam, quam ab eo scriptam esse. Nunquam enim sic loquutus fuisse Petrus: sed mihi sufficit testem habere tum doctrinae ipsius, tum voluntatis, qui nihil proferat dissentaneum ab iis quae dicturus erat ipse.

16. *In quibus sunt quaedam.* Hoc relativum epistolis non convenit: est enim neutrum apud Graecos. Sensus est, In his rebus quarum meminit obscuritatem interdum subesse, ex qua occasionem indocti arripiant in suum exitium errandi. Quibus verbis monemur, sobrie in his rebus tam altis et obscuris philosophandum esse: deinde adversus hoc genus scandali erigimur, ne stultae vel absurdae quorundam speculationes nos perturbent, quibus implicant ac contorquent simplicem doctrinam quae aedificationi servire debuerat. Notemus autem non arceri nos a lectione epistolarum Pauli, quod nonnulla contineant ardua et intellectu difficultia: sed potius nobis commendari, modo sedatam mentem ac docilem afferamus. Leves enim ac volaticos homines damnat Petrus, qui praepostere in exitium suum detorquent quae sunt omnibus utilia. Imo hoc generaliter in tota scriptura fieri dicit: neque tamen inde colligit, abstinentiam ab ea esse, sed tantum corrigenda esse vitia docet quae profectum impediunt: neque id modo, sed etiam letale nobis reddit quod Deus in salutem nostram destinavit. Quaeritur tamen unde ista obscuritas: nam scriptura instar lampadis nobis refulget, certoque gressus nostros dirigit. Respondeo, nihil esse mirum si regni Christi mysteriis obscuritatem Petrus attribuat: praesertim si reputemus quantum sint a sensu carnis abscondita: modum tamen docendi quem tenet Deus, sic temporatum esse, ut conspicuam illie lucem habeant quicunque spiritum sanctum viae ducem sequi non recusant. Multi interea caeci sunt qui impingunt in ipso meridie. Alii superbi qui per devia vagantes, et quamlibet ardua transvolantes, se praecipitant.

17. *Vos igitur dilecti.* Postquam fidelibus ostendit pericula a quibus cavendum erat, nunc concludit, ut moniti sapiant. Sed vigilantia opus esse docet, ne opprimantur. Et certe hostis nostri vafrities, tot ac tam multiplices insidiae quibus nos adoritur, impiorum hominum captiones nullum securitati locum relinquent: ergo agenda sunt excubiae, no ad nos circumvenientes praevaleant

Satanae et impiorum fraudes. Videtur tamen in lubrico locare, et quasi de filo suspendere salutis nostrae certitudinem, quum fidelibus cavendum denuntiat ne a sua firmitate excedant. Quid autem nobis fiet, si cadendi periculo subiaceamus? Respondeo, hanc exhortationem et similes minime hue spectare ut nobis fidei securitatem executant quae in Deum recumbit, sed ut carnis nostrae desidiam corrigant. Qua de re si quis plura desideret, petat ex decimo prioris ad Corinth. cap. Summa haec est, quamdiu carno sumus circumdati, urgendam esse nostram tarditatem: idque apte fieri quum et nostra infirmitas, et discriminum, quae nos circumstant, varietas nobis ponuntur ante oculos: cacterum hinc minime labefactari fiduciam quae Dei promissionibus insistit.

18. *Crescite autem in gratia.* Ad profectum etiam hortatur: quia haec unica est perseverandi ratio, si assidue progredimur, nec resides subsisti-

mus in medio itinere: ac si diceret tutos fore qui in dies proficere student. Nomen gratiae generaliter pro spiritualibus donis accipio quae per Christum consequimur. Sed quoniam pro fidei mensura bonorum Christi sumus participes, gratiae subiicitur cognitio: ac si dixisset, prout crescat fides, sequentia simul esse gratiae augmenta.

Ipsi gloria, etc. Insigne elogium ad divinitatem Christi comprobandum: neque enim hoc nisi soli Deo convenit. *Huc pertinet ad verbum praesentis temporis¹⁾* nunc, ne Christum, quamdiu in mundi militia versamur, fraudemus sua gloria. *Addit mox²⁾*, in diem aeternitatis: ut iam nunc animis concipiamus aeternum eius regnum, quod plenam eius gloriam nobis patefaciet.

1) Dicit

2) Dicit

COMMENTARIUS
IN
EPISTOLAM IUDAE APOSTOLI.



ARGUMENTUM.

Tametsi de hac quoque epistola diversis sententiis inter veteres certatum fuit: quia tamen utilis est lectu, nec quidquam a doctrinae apostolicae puritate alienum continet, iamque olim apud optimos quosque autoritatem obtinuit, eam libenter aliis ad numero. Brevitas porro ipsius longam argumenti tractationem non desiderat: et tota fere summa cum secundo proximae epistolae capite convenit. Quia enim sub christianismi titulo obrepserant impii nebulones, quibus summa voluptas erat, leves et infirmos inducere in profanum Dei contemptum: primum ostendit Iudas, non debere eiusmodi machi-

nis percelli fideles, quibus semper impedita fuerit ecclesia: et tamen ut sibi ab eiusmodi pestibus sedulo caveant, hortatur. Quo autem magis exosos reddat ac detestabiles, severo propinquam Dei vindictam, qualem eorum meretur impietas, illis denuntiat. Iam si reputemus quid nostra bac quoque aetate ab exordio renascentis evangelii molitus sit Satan, et quibus adhuc artibus fidem et Dei timorem subvertere satagat: quae Iudee tempori utilis fuit admonitio, nostro plusquam necessaria est. Sed hoc totum ex epistolae lectione melius disceatur.

1. *Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi, vocatis, qui in Deo patre sanctificati sunt, et in Iesu Christo custoditi,* 2. *misericordia vobis, et pax, et dilectio augeatur.*

1. *Iudas Iesu Christi, etc.* Christi servum se vocat, non qualiter promiseue nomen hoc in omnes pios competit, sed apostolatus sui respectu. Peculiariter enim censemur Christi servi, quibus publicum aliquod munus iniunxit. Scimus autem quorsum hoc titulo se ornare apostoli soleant. Ius ac protestatem docendi temere sibi arrogat quisquis vocatus non est: ergo apostolis testimonium est sua vocatio, quod non private se arbitrio ingerant. Quamquam hoc solum per se non sufficeret, in officio esso constitutos, nisi fideliter in eo se gererent. Et certe utrumque complectitur qui se Dei servum esse praedicat: nempe et sibi functionis, quam exercet, autorem esse Deum, et bona fide se exsequi quod mandatum est. Quia vero hunc titulum plerique mentiuntur, ac se falso iactant esse, a quo longissime absunt, semper videndum an res ipsa professioni respondeat.

Frater Iacobi. Nomen adscripsit quod ecclesiis magis celebre ac notum erat. Etsi enim a nemine mortalium pendet doctrinae fides et autoritas: magnum tamen hoc fidei subsidium est, quum nobis comperta est hominis integritas qui doctoris partes suscepit. Adde quod Iacobi autoritas non quasi privati cuiuspam hominis hic obtenditur: sed quia apud omnes ecclesias unus ex praecipuis Christi apostolis habebatur. Erat autem hic Alphaci filius: quemadmodum alibi dixi. Imo locus hic mihi suffragatur contra Eusebium et alias qui tradunt discipulum nescioquem Obliam cognomine, illum esse eius meminit Lucas Act. 15, 13, et 21, 18, qui prae apostolis in illa ecclesia excelluerit. Atqui non dubium est quin Iudas fratrem suum hic nominet, quia inter apostolos fama eminebat. Ergo eum fuisse probabile est cui praecipuum honorem a reliquis concessum narrat Lucas.

Vocatis qui in Deo. Fideles omnes hoc nomine designat, quia Dominus sibi eos segregavit: sed quia vocatio nihil est quam aeternae electionis effectus, interdum pro ea capit. In hoc loco parum

refert utrovis modo exponas. Gratiam enim Dei procul dubio commendat, qua sibi eos in peculium cooptare dignatus est. Ac homines non praovenire Deum significat, neque unquam ad eum accedere, donec eos traxerit. Eosdem dicit *s a n c t i f i c a t o s i n D e o p a t r e*, quod transferre licet, Per Deum patrem. Ipsam tamen loquendi formam retinui, ut liberum esset iudicium lectoribus. Potest enim et hic esse sensus, Quod in se ipsis profani, in Deo sanctitatem habeant. Porro sanctificandi modus est, quum spiritu suo nos regenerat. Altera lectio, quam sequutus est vulgaris interpres, paulo durior, γῆγαπημένος hoc est dilectis, in Deo patre. Itaque corruptam esse iudicio: et certe in paucis codicibus reperitur. Addit praeterea *c u s t o d i o s e s s e i n C h r i s t o*. Satanae enim semper essemus in mortem expositi, adeoque singulis momentis nos centies quasi obviam praedam raperet, nisi tuti essemus Christi praesidio: quem ideo pater custodem nobis dedit, ut nihil eorum, quae recepit in fidem ac tutelam suam, pereat. Triplex ergo Dei beneficium in omnibus piis hic praedicat Iudas: quod eos sua vocatione fecerit evangelii participes: quod spiritu suo regenererit eos in vitiae novitatem: et quod per Christi manum eos custodierit, ne a salute exciderent.

2. *Misericordia vobis.* Idem fere valet misericordiae nomen, quod gratiae in salutationibus Paulinis. Si quis disserim subtilius habere velit, proprie gratia effectus est misericordiae: quia non alia causa Deus nos in amorem complectitur, nisi quia miseras nostras respicit. *Dilectio*¹⁾ tam Dei erga homines, quam hominum inter se potest intelligi. Si ad Deum referas, sensus erit, ut in illis augescat, et magis in dies sanciatur in eorum cordibus divini amoris fiducia. Illud tamen alterum non male etiam quadrat, ut Deus accendat et confirmet in ipsis caritatem mutuam.

3. *Dilecti, quum omne studium adhiberem ad scribendum vobis de communi salute, necesse habui scribere vobis, ad vos hortandos ut certando adiuvetis eam, quae semel tradita est sanctis, fidem.* 4. *Sub-*

¹⁾ Caritas

ingressi enim sunt quidam homines, olim praescripti in hoc iudicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in lasciviam: et Deum, qui solus est herus, et Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

3. *Quum omne studium.* Σπουδὴν ποιούμενος, verti, Adhibens studium. Ad verbum sonat, facere diligentiam. Porro sententiam hanc multi interpres ita resolvunt, quod vehemens studium Iudam ad scribendum compulerit. Quemadmodum dicere solemus, eos qui serio aliquo affectu ardent, sibi non posse temperare. Ergo necessitas, secundum eos, in eo fuit quod desiderium scribendi non patiebatur Iudam silere. Ego autem potius duo hic membra distineta esse puto, quod quum alioqui satis propensus et sedulo intentus ad scribendum esset, necessitas etiam eum coegerit. Significat ergo se libenter quidem et cupide ad eos scribere: sed tamen necessitate etiam urgeri ut id faciat: quia scilicet (ut in contextu sequitur) oppugnati ab improbis, ad pugnam instruendi erant. Ergo hoc priore loco testatur Iudas, sibi tantae curae esse eorum salutem, ut scribere ultro optarit, et quidem studiose. Deinde ut illorum attentionem excitet, rem simul ita postulasse dicit. Acres enim stimulos admovet necessitas. Nisi praemoniti fuissent quantopere sibi necessaria esset haec cohortatio, poterant ad legendum esse pigri et resides. Quum vero ex praesenti eorum necessitate se scribere praefatur, perinde est ac si classicum caneret executiendo torpori.

De communi salute. Quidam codices addunt, vestra: sed perperam, meo iudicio: nam communem illis secum salutem facit. Atque hoc doctrinae, quae proferenda est, non parum addit ponderis, quum quis ex proprio sensu et experientia loquitur. Futilis enim erit sermo, si de salute apud alios disseramus, cuius nullum ipsi habeamus gustum. Practicum ergo (ut ita loquar) doctorem se profiteretur Iudas, quum in eiusdem salutis consortium, piorum numero se aggregat.

Ad vos hortandos, etc. Ad verbum est: Exhortans vos: sed quum finem consilii sui notet, ita resolvi debet oratio. Quod transtuli, fidem certan do adiuvare, tantundem valet atque In retinenda fide eniti, et contrarios Satanae insultus fortiter sustinere. Monet enim, ut in fide perstent, obeunda esse varia certamina, ac continuam illis militiam instare. Fidem dicit semel traditam, ut ipsam scient hac lege se esse adeptos, ne unquam deficiant vel excidant.

4. *Subingressi.* Tametsi piis semper infestus est Satan, eosque subindo laccassere non desinit: eos tamen quibus scribit, de praesenti necessitate admonet. Nunc, inquit, peculiariter vos aggreditur Satan et laccassit: sumenda igitur arma sunt ad

resistendum. Hinc colligimus, prudenter dispiciendum esse bono et fido pastori, quid praesens ecclesiae usus pestulet, ut hue accommodet suam doctrinam. Verbum παρεσέδυσαν quo utitur, obliquam et furtivam insinuationem notat, qua Satanae ministri incautos decipiunt: noctu enim et dormientibus agricolis lolium suum spargit Satan, ut purum corrumpat Domini semen. Ac simul docet intestinum esse hoc malum. Nam hic quoque Satanae astus est, suscitare ad necendum eos qui ex grege sunt, quo facilius obrepant.

Olim praescripti. Iudicium vocat vel damnationem, vel reprobum sensum quo feruntur ut pietatis doctrinam pervertant: neque enim id quisquam facere potest, nisi suo exitio. Porro baec metaphora inde sumpta est quod aeternum Dei consilium, quo ordinati sunt fideles ad salutem, liber vocatur. Quum autem illos morti aeternae addictos audiunt fideles, cavere sibi debent, ne eodem se involvant exitio. Quamquam simul occurrere periculo voluit Iudas, ne quos rei novitas turbaret vel percelleret. Nam si illi iam olim descripti sunt, sequitur non-nisi certo Dei consilio exerceri ecclesiam.

Dei nostri gratiam, etc. Iam qualis fuerit pestis illa, clarius exprimit. Dicit enim gratia Domini abusos esse, ut ad impuram et profanam peccandi licentiam se et alios prostituerent. Atqui longe in alium finem apparuit Dei gratia: ut scilicet abnegata impietate et terrenis desideriis, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo. Sciamus ergo nihil esse pestilentius hoc hominum genere, qui ex Christi gratia lasciviendi praetextum captant. Quia gratuita Dei misericordia nos salutem consequi docemus, huius criminis nos insimulant papistae. Sed quid verbis refellere eorum impudentiam attinet, quum nos poenitentiam, timorem Dei, vitae novitatem ubique urgeamus: ipsi autem non modo pessimis exemplis totum mundum corrumpant, sed etiam impia sua doctrina veram sanctitatem, et purum Dei cultum tollant e mundo? Quamquam eos de quibus loquitur Iudas, potius existimo libertinis nostris temporis fuisse similes, ut clarissim patet ex contextu.

Deum, qui solus est herus. Vetusti quidam codices habent, Christum, qui solus est Deus ac herus. Et certe in secunda Petri epistola, solius Christi fit mentio, et illie herns vocatur. Christum vero abnegari intelligit, quum ii, qui sanguine illius redempti fuerant, diabolo se rursus mancipantes, incomparabile illud pretium, quantum in se est, irritum faciunt. Ergo ut nos in suo peculio Christus retineat, ideo pro nobis mortuum esse et resurrexisse meminerimus, ut dominetur vitae nostrae ac morti.

5. *Commone faccre autem vos volo, quum istud*

semel noreritis. quod Dominus postquam ex terra Aegypti populum servaverat, postea non credentes perdidit. 6. *Angelos vero qui principatum suum non servaverant, sed reliquerant suum domicilium, in iudicium magnae diei vineulis aeternis sub caligine servavit.* 7. *Quemadmodum Sodoma et Gomorrha, et quae circum erant urbes, quam simili modo scortatae essent, et abiissent post carnem alienam, propositae sunt in exemplar, ignis aeterni iudicium sustinentes.*

5. *Commone facere.* Vel modestiae causa excusat, ne videatur tanquam rudes de rebus incognitis docero: vel certe (quod mihi magis placet) maioris vehementiae causa, se nihil novum aut illis inauditum afferre profitetur: quo plus fidei et autoritatis obtineat quod dicturus est. Ego, inquit, tantum in memoriam vobis revoco quae iam semel dedicistis. Quemadmodum vero scientiam illis tribuit, ut ad cavendum magis sint attenti: ita ne supervacuum esse putent quem erga eos suscipit laborem, illos monitionibus opus habere dicit. Neque enim hic tantum est verbi Dei usus, ut discamus quae nunquam fuimus edocti, sed etiam ut nos excitet ad ea quae iam tenemus, serio meditanda, nec torpere nos in frigida notitia siuat. Summa autem est, postquam a Deo vocati sumus, non securi esse gloriandum eius gratia: sed potius sollicite in eius timore ambulandum. Quia si quis Deo in hunc modum illudat, non impune cessurus sit gratiae eius contemptus. Hoe tribus exemplis demonstrat. Primo enim ultiōnem commemorat quam de incredulis sumpsit Deus, quos virtute sua redemptos in populum cooptaverat. Eadem fere comparatio est apud Paulum, prioris ad Corinth. decimo capite. *Summa est*, quos Deus summis beneficiis ornaverat, quos extulerat in eundem honoris gradum quo nos hodie dignatur: postea severe ultus est. Ergo frustra Dei gratia superbiunt quieunque eius vocationi non respondent. Nomen populi honorifice capitur pro gente sancta et electa: ac si diceret, nihil illis profuisse quod singulari privilegio in foedus assumpti essent. Quum incredulos vocat, fontem designat malorum omnium. Inde enim quaecunque eorum peccata Moses commemorat, quod se Dei verbo regi non sustinebant. Nam ubi fidei subiectio, necesse est ut simul in omnibus vitae partibus constet erga Deum obedientia.

6. *Angelos vero, etc.* Argumentum a maiori ad minus. Angelorum enim conditio praestantior fuit quam nostra: et tamen eorum defectionem horribili exemplo ultus est Deus. Non igitur perfidia nostra ignorat, si a gratia, in quam nos vocavit, descriverimus. Haec certe poena quae coelorum incolis et tam excellentibus ministris Dei inficta fuit, assidue nobis ante oculos versari debet: ne quando in con-

temptum gratiae Dei offeramur, unde praecepites ruamus in exitium. Ἀρχὴ, hoc loco, tam pro origine quam principatu apte sumi potest. Significat enim Iudas, ideo poenas dedisse, quia spreta Dei bonitate, a prima vocatione exciderint. Et statim sequitur expositio, quum dicit, *reliquisse suum domicilium.* Nam non secus ac fieri solet a militibus transfugis, statio, in qua collocati erant, ab illis deserta fuit. Notanda est etiam poenae atrocitas quam exprimit apostolus. Non modo liberi erant spiritus, sed coelestes dominationes: nunc perpetuis vineulis constricti tenentur. Non modo fruebantur gloria Dei luce, sed eius splendor in illis resulgebatur: ut inde, quasi per radios, se ad omnes mundi partes diffunderet: nunc sub caligine demersi sunt. Porro nobis fingendus non est locus quo inclusi sint diaboli. Simpliciter enim docere voluit apostolus quam misera sit eorum conditio, ex quo propter apostasiam sua dignitate privati sunt. Nam quocunque pergent, secum trahunt sua vineula, et suis tenebris obvoluti manent. Interea in magnum diem, extremum eorum supplicium differtur.

7. *Quemadmodum Sodoma et Gomorrha.* Hoc exemplum magis generale est: testatur enim Deum, nullo hominum genere excepto, promiscue poenam sumere de omnibus impiis. Et Iudas ipse postea commemorat, incendium illud, quo perierunt quinque urbes, typum esse ignis aeterni. Ergo Deus tunc insigne documentum statuit, quod usque in finem mundi in timore homines contineret. Unde toties illius fit mentio in scriptura. Imo quoties memorabile aliquod vel tremendum Dei iudicium notare volunt prophetae, sub figura ignis sulphurei illud pingentes, ad Sodomae et Gomorrhæ interitum alludent. Quare non sine causa Iudas proposito eiusmodi speculo, terrorem saeculis omnibus incutit. Quum dicit *vici in as urbēs in similem cum illis modum scortatas esse*, hoc non ad Israelitas et angelos, sed mutuo ad Sodomam et Gomorram refero. Nec obstat quod pronomen τούτοις masculinum est: nam ad incolas potius quam ad loca Iudas respexit. Abire post alienam carnem, posuit pro, abripi ad prodigiosas libidines. Scimus enim Sodomitas communī scortandi licentia non contentos, magis exsecranda et praepostera foeditate pollutos fuisse. Notandum est quod eos subiicit igni aeterno: nam hinc colligimus, formidabile illud spectaculum quod describit Moses, tantum gravioris poenae fuisse imaginem.

8. *Similiter isti quoque somniis delusi, carnem quidem contaminant, dominationem vero reiiciunt, et in glorias maledicta congerunt.* 9. *Atqui Michael archangelus, quando indicio disceptans cum diabolo, disputabat de corpore Mosis, non ausus fuit iudicium*

inferre contumeliae: sed dixit: Incepere te Dominus.
10. *Isti vero quaecunque non noverunt, convitiis incessunt: quaeunque vero naturaliter tanquam bruta animalia sciunt, in iis corrumpuntur.*

8. *Similiter isti, etc.* Similitudo ista praecise urgenda non est, ac si in omnibus eos, quorum meminit, Sodomitis conferret, vel angelis apostatis, vel incredulo populo. Tantum indicat esse vasa irae ad interitum destinata, nec posse Dei manum effugere quin aliquando in ipsis quoque tale documentum statuat. Consilium enim eius est, abstergere pios quibus scribit, ne illorum consortio se involvant. Porro hoc loco incipit illos impostores clarius describere. Ac primum dicit eos velut somniando polluere carnem suam. Quibus verbis stupidam impudentiam notat: ac si diceret projectos esse ad omnem foeditatem, a qua nequissimi etiam abhorrent, nisi somnus pudorem adeoque sensum tollat. Est igitur metaphorica loquutio qua significat ipsos tam esse hebetes, ut sine ulla verecundia ad omnem turpititudinem se prostituant. Notanda autem est antithesis, quum dicit eos carnem contamine: hoc est, quod minus praestantiae habet, dehonestare: et tamen spernere quasi probosum, quod in genere humano maxime excellit. Ex hoc secundo membro apparet, fuisse tumultuosos homines qui anarchiam quaererent, ut soluti legum metu, liberius peccarent. Atque haec duo semper fere coniuncta sunt: ut qui projecti sunt ad nequitiam, simul omnem ordinem abolitum esse cipiunt. Porro tametsi hic erat eorum scopus, absque iugo exultare: apparet tamen ex Iudae verbis, proterve eos et contumeliose de magistratibus loqui solitos. Quemadmodum hodie fanatici homines non tantum fremunt se cohiberi magistratum imperio, sed furiose adversus omnem politiam declamitant: ius gladii profanum esse dicunt et pietati adversum: denique ex ecclesia Dei reges et omnes magistratus superciliosè abdicant. *Glorias* vocat ordines excellentia praeditos, et qui honore supreminent.

9. *Atqui Michael archangelus.* Brevius hoc argumentum Petrus et in genere perstringit, quod angeli qui longe praestant hominibus, non tamen audeant contumeliosum iudicium inferre. Porro quia hanc historiam ex libro apocrypho sumptam putarunt, inde factum est ut minus ponderis haberet epistola. Sed quum Iudae tum multa habuerint ex patrum traditionibus, nihil absurdum esse video si dicamus Iudam retulisse quod iam a multis saeculis fuerat per manus traditum. Scio equidem multas ineptias hoc titulo reecptas fuisse: quemadmodum hodie papistae quaelibet insulsa monachorum deliria in hoc catalogo recensent: sed hoc non obstat quin historias quasdam habuerint scriptis non proditas. Hoc extra controversiam est, Mosem a Domino se-

pultum esso, hoc est, certo Dei consilio occultum fuisse eius sepulcrum. Absconditi autem sepulcri causa nemini obscura est: ne scilicet corpus eius in superstitionis materiam abducerent Iudei. Quid ergo mirum si prophetae corpus divinitus absconditum, Satan in medium proferre conatus est? Angeli autem contra obstiterunt, sicuti eorum ministerium semper Deo promptum est. Et certo videmus Satanam omnibus fere saeculis hanc lapidem movisse, ut corpora serverum Dei totidem stultis hominibus idola essent. Quare ob hoc testimonium, quamvis in scriptura non reperiatur, suspecta nobis esse haec epistola non debet. Quod Michael adversus Satanam disceptans solus inducit, novum non est. Scimus angelorum myriadas praesto semper esse ad Dei obsequium: sed ipse ad res gerendas hunc vel illum cum delectu adhibet, prout placuit. Quod a Michaelie dictum refert Iudas, apud Zachariam (3, 2) quoque habetur, *Incepere te Deus: vel, Compescat Satan.* Est autem comparatio maioris et minoris, ut vocant. Non ausus est Michael atrocious maledicere Satanae (qui tamen reprobus est ac damnatus) quam ut illum Deo cohibendum traderet: isti autem potestates, quas singulari honore ornat Deus, extremis probris incessere non dubitant.

10. *Quaeunque non noverunt.* Significat eos nihil nisi crassum et quasi pecuarium sapere, ideoque non percipere quid honore dignum sit: tamen accedere hanc insanam audaciam, ut damnare non vereantur quae captum eorum superant. Item diverso vitio laborare, quod quum pecudum more ad ea ferantur quae sensibus corporis se ingerunt, in illis nihil servent modestiae: sed se penitus ingurgitent, non secus ac poreus in luti foetorem se provolvit. Adverbium *naturaliter*, rationi et iudicio opponitur. Solus enim naturae impetus in brutis animalibus regnat: ratio autem hominibus moderari debet, et eorum appetitus fraenare.

11. *Vae illis, quoniam viam Cain ingressi sunt: et deceptione mercedis Balaam effusi sunt: et contradictione Core perierunt.* 12. *Hi sunt in fraternis vestris conviviis maculae, inter se convivantes, secure pascentes se ipsis: nubes aqua carentes, quae a ventis circumaguntur: arbores autumni emareidae, infrugiferae, bis emortuae, et eradicatae:* 13. *undae efferatae maris, despumantes sua ipsorum dedecora: stellae erraticae, quibus caligo tenebrarum in aeternum servata est.*

11. *Vae illis, etc.* Mirum est cur eos tam dure insectetur, quum ne adversus Satanam quidem contumeliae iudicium angelo permissum fuisse nuper dixerit. Sed noluit generalem regulam praefigere: tantum Michaclis exemplo breviter ostendit quam intolerabilis sit istorum furor, dum petulanter con-

vitiis proscindunt quod Deus honorat. Licebat certe Michaeli ultimo anathemato fulminare iu Satanam: et videmus quam vehementer insurgant interdum prophetae contra impios: sed quum Michael ab extrema severitate (alioqui licita) abstineat, quam furiosum est erga creaturas gloria excellentes nullum modum tenere? Caeterum quum de illis pronuntiat, non tam illis malum imprecatur, quam praemonet qualis illos exitus maneat. Idque facit nequem incautum secum in perniciem rapiant. Dicit eos imitatores esse Cain, qui Deo ingratus, cultum eius impio et seclerato corde pervertens, ius primogeiturae sibi abdicavit. Dicit instar Baliam mercede fuisse deceptos, quia pietatis doctrinam turpis lucri gratia adulterant. Sed metaphora, qua utitur, aliquanto plus exprimit. Dicit enim effusos esse: quia scilicet instar aquae diffluentis projecta sit eorum intemperies. Tertio dicit eos imitari contradictionem Core: quia scilicet bene compositum ecclesiae statum perturbent.

12. *In fraternis conviviis maculae.* Qui legunt: Inter caritates vestras, non satis germanum sensum (meo iudicio) explicant. Nam ἀγάπης vocat convivia quae inter se agitant fideles, fraternalis unitatis testandae causa. Tales epulas dehonestari dicit ab impuris hominibus, qui dissolute postea se ipsos pascunt. Erat enim illuc summa frugalitas et moderatio. Fas erga non erat, gurgites illuc admitti, qui postea intemperanter abdomen suum alibi replerent. Nonnulli codices habent convivantes vobiscum: quae lectio si magis placeat, sensus erit, illos non dedecori modo esse, sed graves ac modestos, ut qui publicis ecclesiae sumptibus ventrem suum intrepide farcirent. Paulo aliter Petrus, qui eos in erroribus delitiari scribit, et una cum gregi fidelium vesci: ac si diceret, inconsidere facere eos qui tam noxios serpentes alunt: et bis stultos, qui profusae eorum luxuriae indulgent. Atque hodie utinam plus iudicii in quibusdam bonis viris foret, qui dum erga improbos nimis benigni esse appetunt, magnum toti ecclesiae damnum afferunt.

Nubes aqua carentes. Duas similitudines quae habentur apud Petrum, in unam colligit, eodem tamen sensu. Vanam enim ostentationem uterque taxat: quia nebulones isti, quum multa promittant, intus tamen aridi sunt atque inanes. Quemadmodum nubes procellis agitatae spem pluviae faciunt: sed statim evanescunt in nihilum. Petrus addit siccii et vacui fontis similitudinem. Iudas autem plures metaphoras in eundem finem congerit: quod arbores sint emaciatae, quemadmodum autumno defluit arborum vigor: postea vocat arbores infrigeratas, eradicatas, et bis emortuas. Ac si diceret, nihil intus esse succi, ut cunque apparent folia.

13. *Undae effratae maris.* Quorsum hoc additum sit, melius ex Petri verbis colligere licet: nempe quod inflati superbia, magni loco stylo verborum ampullas efflant, vel potius despumant. Interea adeo nihil afferunt spirituale, ut potius homines deliciant ad brutorum animalium stuporem. Tales (ut prius dictum est) hodie sunt fanatici homines qui se Libertinos vocant. Dicas mera eos tonitrua sonare: nam communis sermone spreto, exoticum nescio quod idioma sibi singunt: postquam visi sunt suos discipulos supra coelum rapere, repente in belluinos errores procidunt. Singunt enim innocentiae esse statum, ubi nullum discrimen est turpis et honesti: singunt spiritualem esse vitam, dum extincto metu, securi sibi quisque indulget: nos fieri deos, quia spiritus ex corporibus migrantes Deus absorbeat. Quo maiore studio ac reverentia nobis colenda est scripturae simplicitas, ne argutius quam par est philosophando, non coelo appropinquemus, sed potius in multiplices labyrinthos mergamur. Ideo stellas erraticas vocat, quia evanida lucis specie oculos perstringant.

14. *Prius autem iis vaticinatus est septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis,* 15. *Ut faciat iudicium adversus omnes, et redarguat ex eis omnes impios de factis omnibus impietatis quae impie patrarunt, deque omnibus duris quae loquuti sunt adversus Deum peccatores impii.* 16. *Hi sunt murmuratores, queruli, iuxta concupiscentias suas ambulantes, et os illorum loquitur tumida, admirantes personas, utilitatis gratia.*

14. *Prius autem, etc.* Vaticinium hoc potius ἄγραφον fuisse puto quam ex apocrypho libro adductum. Fieri enim potest dictum hoc memorabile veteres commendarint posteris. Si quis roget, quum passim occurrant in scripturis non absimiles sententiae, cur non ex aliquo propheta scriptum testimonium citaverit: solutio in promptu est, voluisse ab ultima vetustate repeteret quid spiritus de illis pronuntiaverit. Atque hoc verba sonant. Septimum enim ab Adam nominatum dicit, ut vaticinii antiquitatem commendet: quod scilicet iam priore mundo existenter. Quod autem prophetiam hanc dixi ex relatu notam fuisse Iudeis, si quis aliter sentiat, non contendo: sicut nec de epistola quidem, sitne Iudee, an alterius cuiuspiam. Tantum in rebus dubiis quod probabile est, sequor.

Ecce venit. Praeteritum loco futuri, more propheticō. Dicit venturum in sanctorum millibus: sub quibus verbis tam fideles quam angelos designat. Nam ornabunt utrique Christi tribunal

quum ad iudicandum orbem descondet. Millia dicit, quemadmodum et Daniel (7, 10) angulorum myriadas praedicat: ne impiorum multitudo, quasi violentum mare, filios Dei abripiat, dum fore cogitant ut suos aliquando colligat Dominus: quorum pars in coelo habitans nunc oculos nostros fugit, pars sub ingenti paleae cumulo obruta latet. Quae autem reprobis impendet vindicta, electos in metu et sollicitudine continere debet. Loquitur de factis et dictis, quia isti corruptores non tantum scele-rata vita, sed impuro et perverso sermone plurimum nocebant. Durōs autem vocat sermones, ob prae fractam audaciam, qua elati se petulanter ingerunt.

16. *Hic sunt murmuratores.* Quia sibi in pravis cupiditatibus indulgent, simil difficiles sunt ac morosi, ut illis nunquam satisfiat: hiuc fit ut semper obmurmurent ac quaerantur, quantumvis se illis benigne probi homines impendant. Magni loquentiam taxat, quod se ipsos fastuose iacent: sed interea ostendit illiberali esse ingenio, quia serviliter se demittant, lucri gratia. Ac vulgo haec inaequalitas perspicitur in eiusmodi nebulonibus: ubi nemo est qui eorum insolentiam reprimat, vel nullus est respectus qui obstet, intolerabilis eorum est superbìa: adeo imperiose quidvis sibi arrogant. Quos autem metuunt, vel a quibus sperant aliquid commodi, iis sordide blandiuntur. Personas accipit pro externa magnitudine vel potentia.

17. *Vos autem dilecti, memores estis verborum quae predicta sunt ab apostolis Domini nostri Iesu Christi: nempe 18. quod vobis dixerunt, ultimo tempore futuros derisores, qui secundum concupiscentias suarum impiatum ambularent. 19. Hic sunt qui se ipsos segregant, animales, spiritum non habentes.*

17. *Vos autem.* Vetustissimae prophetiae, nunc apostolorum monitiones, quarum recens erat memoria, subiicit. Veum μνήσθητε, non multum refert, Indicativo an hortandi modo legas: manet enim idem sensus, praedictione quam citat munitos, non debere percelli. Tempus ultimum intelligit, quo renovata ecclesiae conditio fixum statum accepit usque in finem mundi. Coepit autem a priore Christi adventu. Derisores vocat, more scripturae, qui impio et profano Dei contemptu inebrinati, in beluinum numinis contemptum prosiliunt: ita ut eos religio contineat amplius in officio: quia nullus haeret futuri iudicii metus in eorum animis, nulla spes aeternae vitæ. Quemadmodum hodie passim Epicureis Dei contemptoribus mundus scatet, qui excussa prorsus omni reverentia, furiose totam pie-tatis doctrinam, quasi fabulosam subsannant.

19. *Qui se ipsos segregant.* Nonnulli codices

Calvini opera. Vol. LV.

graeci participium absolutum habent. Alii addunt ἔαυτοὺς: sed eodem fere sensu. Intelligit enim eos discessionem facero ab ecclesia, quoniam disciplinae ingum ferre nequeant, ut qui carni addicti, a spirituali vita abhorreant. Anima hic spiritui, hoc est, renovationis gratiae opponitur: ideoque vitiosum ingenium significat, quale est in hominibus nondum regenitus. Nam in hac degener natura, quam ab Abraham trahimus, nihil nisi crassum est ac terrenum: ut nulla pars nostri ad Deum adspiret, donec renovati simus eius spiritu.

20. *Vos autem dilecti, sanctissimae vestrae fidei vosmet superstruentes, in spiritu sancto precantes, 21. vosmet in caritate servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. 22. Et hos quidem miseramini, diiudicantes: 23. Illos vero per timorem servate, ex incendio rapientes, odio prosequentes etiam maculatam a carne tunicam. 24. Ei autem qui servare potest vos a peccato immunes, et statuere in conspectu gloriae suae irreprehensibiles cum exultatione, 25. soli sapienti Deo, servatori nostro, gloria et magnificentia, et imperium, et potes-tas, nunc, et in omnia saecula. Amen.*

20. *Vos autem, etc.* Modum ostendit quo omnes Satanae machinas disiicere queant: nempe sic caritatē habentes fidei annexam, quasi in custodia excubent usque ad Christi adventum. Verum, ut creber ac densus in metaphoris, suas hic quoque loquendi formas habet, quae breviter notandae sunt. Iubet primo loco ut se fidei superstruant. Quo significat, retinendum esse fidei fundamentum: sed primam institutionem non sufficere, nisi assidue ad profectum contendant, qui in recta fide sunt iam fundati. Sanctissimam appellat eorum fidem, ut solide in eam recumbant, eiusque firmitudini innixi, nunquam vacillent. Sed quum tota hominis perfectio in fide consistat, absurdum esse videtur quod superstruere aliud aedificium iubet, quasi fides tantum inchoet hominem. Hanc quaestionem solvit apostolus quum statim addit, aedificari homines super fidem, addita caritate. Nisi forsitan ita accipere quispiam malit, homines fidei superstrui, quod in ea proficiunt. Et certe quotidiani fidei progressus efficiunt, ut ipsa in iustum aedificii modum assurgat. Hoc modo praeciperet apostolus, in fide crescendum esse, instandum pre-cibus, et caritate retinendam esse vocationem.

In spiritu sancto precantes. Haec perseverandi ratio, si Dei virtute instructi simus. Ergo quoties de fidei constantia agitur, ad preces confugiendum est. Quia autem perfunctorie vulgo oramus, addit, In spiritu: ac si diceret, Tantam esse pigratiam, tantumque frigus carnis nostrae, ut rite orare nemo queat nisi spiritu Dei excitatus: sic ad diffidentiam

et trepidationem nos osse proclives, ut nemo Deum vocare patrem ausit, nisi illo eodem spiritu dictante. Nam hinc sollicitudo, hinc ardor et vehementia, hinc alacritas, hiue fiducia obtinendi, hinc denique gemitus illi inenarrabiles quorum meminit Paulus ad Romanos 8, 26. Ergo non abs re Iudas docet neminem posse ornre ut oportet, nisi directore spiritu.

21. *Vosmet in caritate servate.* Caritatem velut custodem ac praesidem vitae nostrae statuit: non ut eam opponat Dei gratiao, sed quia hic rectus vocationis nostra cursus est, si pergimus in caritate. Quoniam vero multa nos ad defectionem sollicitant, ut difficile sit nos servare Deo usque in finem integros, ad ultimum diem fideles revocat. Sola onim eius exspectatio sustinere nos debet, ne unquam animos despondeamus. Alioqui singulis momentis deficere necesse erit. Notandum autem quod vitam aeternam non vult sperari, nisi ex Christi misericordia. Nam ita iudex noster futurus est, ut gratuitum redemptionis a se partae beneficium pro iudicandi regula habeat.

22. *Hos quidem miseramini.* Adiungit alteram exhortationem, qualiter se gerere debeant fideles in corrigendis fratribus, ut eos ad Dominum reducant. Varie autem tractandos esse admonet, unumquemque scilicet pro suo ingenio. Nam erga mansuetos et dociles clementia utendum est. Aliorum maior est duritia: ergo terrore subigendi sunt. Haec est diiudicatio eius meminit. Participium διαχρυσμένον, nescio cur Erasmus passive reddere maluerit, quum sit ambiguum: activa autem significatio contextui longe melius quadret. Summa ergo est: Si volamus errantium saluti consulere, considerandam esse cuiusque naturam: ut qui mites sunt ac tractabiles, placide revocentur in viam, tanquam digni misericordia: si quis autem contumax est, severius corrigatur. Et quoniam odiosa fere est asperitas, eam necessitate excusat, quod aliter servari nequeant qui non sponte sequuntur bona consilia. Porro, eleganti metaphora utitur. Nam ubi est incendii periculum, violenter rapere non dubitamus,

quem cupimus habere in colum: neque enim sufficeret innuere digito, vel blande manum porriger. Sic etiam curanda est eorum salus, quia ad Deum, nisi duriter tracti, non venirent. Longe differt vetus interpretatio: quae tamen lectio in multis codicibus graecis invenitur. Arguite diiudicatos, inquit vetus interpres. Sed prior ille sensus melius congruit: et meo iudicio verus est ac genuinus. Servandi verbum, ad homines transfertur: non quod autores sint salutis, sed ministri.

23. *Odio prosequentes.* Locus hic, qui obscurus alioqui videtur, nihil habebit difficultatis, metapora bene explicata. Vult fideles non tantum cavero a vitiorum contactu: sed neque ad eos contagio pertingat, quidquid affine est ac vicinum, fugiendum esse admonet. Quemadmodum si de impudicitia sermo habetur, dicemus tollenda esse omnia libidinum irritamenta. Id etiamnum clarius fiet si impleatur oratio: nempe ut oderimus non carnem modo, sed tunicam, quae eius contactu infecta sit. Nam particula και, ad amplificationem valet. Malum igitur adeo non permittit indulgentia foveri, ut omnes praeparations, omniaque accessoria (ut vocant) potius resecari iubeat.

24. *Ei autem qui servare.* Claudit epistolam, Dei laude: in qua ostendit nihil posse exhortationes nostros, nec studia, nisi ex Dei virtute effectus proveniat. Quaedam exemplaria habent eos. Quam lectionem si recipimus, sensus erit: Vestrum quidem est conari ut salvi fiant: sed Dei solius est hoc praestare. Mihi tamen altera lectio magis placet: in qua etiam est allusio ad superiorem sententiam. Postquam enim fideles hortatus est ad servandum quod perit: ut intelligent conatus omnes fore irritos, nisi Deus operetur: ne ipsos quidem aliter servari posse testatur, nisi Dei virtute. Quamquam in hoc posteriore membro, aliud est verbum, φυλάξαι scilicet, quod custodiam sonat: ita ad remotius illud membrum respiceret, ut dixit: *Vos servare, vel custodite.*

COMMENTAIRE
SUR
L'EPITRE DE IUDE.
1542.



ARGUMENT SUR L'EPITRE DE SAINCT IUDAS.

Il escrit selon que la necessité du temps le requeroit, admonnestant toutes les Eglises en general, lesquelles desia avoyent receu l'Evangile de nostre Seigneur, de se donner garde d'aucuns seducteurs, qui taschoyent de destourner les coeurs des simples gens de la droicte congoissance de Dieu et de sa verité. Et d'autant qu'on peut appercevoir, s'efforçoient d'engendrer un contemnemment de la iustice

de Dieu, pour renverser les commencemens de l'Evangile, qui avoyent esté par les Disciples de Iesus Christ faictz et dressez jusques à lors. Or si une telle admonition a esté pour ce temps là propre et convenable, nous congnoistrons qu'elle nous est aujourd'huy plus que nécessaire, si nous considerons quel est l'estat de l'Eglise, et par quelz ausaulz elle est combatue.

Chapitre seul.

Iudas serviteur de Iesus Christ, et frere de Iaques, aux eleuz, qui sont sanctifiez par Dieu, et gardez par IESUS Christ, misericorde et paix dilection vous soit augmentee.

Il s'appelle serviteur de Iesus Christ, pour declarer par sa vocation, qu'il fait son devoir les enseignant et admonestant de ce qu'ilz ont à faire: afin qu'il ne semble pas vouloir entreprendre plus d'autorité et lieu de parler aux Eglises qu'il ne luy en appartient. Pareillement en ce mot est comprisne une protestation, qu'il ne veult exalter ne son nom ne de creature quelconque, mais de son seul Maistre Iesus. Il allegue le nom de son frere Iaques: afin de se donner plus à congnoistre par ceste enseigne, pour mieux gaigner les coeurs des fideles à escouter sa doctrine, non pas qu'il vuelle prendre ou chercher sa gloire en la chair: mais pour faire servir toutes bonnes creatures à l'honneur de Dieu.

Au commencement il declaire quelz sont les fruitz de l'election eternelle de Dieu en eux qu'il a eternellement preordonnez à salut: C'est qu'ilz sont sanctifiez en communiquant à la saincteté de Dieu, laquelle est espandue sus eux par son Esprit. Et que par Iesus ilz sont conservez. Car c'est nostre Pasteur et guide, auquel nous avons esté commis en garde de par le Pere, afin qu'il nous conserve en sa protection: tellement que le peché, ne la mort, ne le diable, ne nous puisse nuyre.

En cestre priere qu'il fait sont comprisnes toutes les graces que nous povons desirer. Car il y a premierement la misericorde de Dieu, laquelle est sa bonne volonté sur nous, par laquelle nous sommes reconciliez à luy, l'ayant pour Pere, et estans faictz participans de son Royaume comme ses enfans bien aymez. De cela s'ensuit paix, qui signifie toute prosperité, afin que rien de tout ce

qui nous est besoing ne nous defaille. Finalement, pour nous bien gouverner et sainctement avec nostre prochain, est requisite charité, laquelle est nommée la troisiesme. Or il requiert que toutes ces choses soyent multipliées, en nous montrant qu'il nous est bien mestier de croistre tous les iours de nostre vie en nostre Seigneur, iusques à ce que nous auronsachevé nostre course.

Bien aymez pour la solicitude que i'avois de vous escrire pour vostre commun salut, il m'a esté nécessaire de vous escrire: en vous exhortant que vous vous efforciez de perseverer en la Foy, laquelle a esté une fois baillée aux Sainctz.

Combien que ce passage pour sa difficulté puisse recevoir divers sens, toutesfois cestuy cy est le plus certain, comme il appert de la raison incontinent suyvante: C'est que pourtant qu'il voyoit les tentations presentes, il pensoit estre expedient d'y obvier. Le sens doncques sera tel selon nostre intelligence. A cause que i'ay grand'solicitude en mon coeur de vous admonnester de tout ce qui appartient au salut de vous tous, la nécessité requiert maintenant qu'en vous escrivant ie vous exhorte à perseverance: C'est assavoir que vous mettiez toute vostre estude et vous employez de toutes voz forces, pour estre contermez en la Foy, laquelle le Seigneur a une fois baillée aux siens, afin que iamais ilz n'en declinent. Voila comment un serviteur de Dieu doit animer et encourager les fideles à batailler constamment, quand il voit les appareilz du diable pour les opprimer.

Car aucunz hommes se sont mis en avant, lesquelz avoyent esté long temps a preordonnez à telle condamnation, sans pieté, ayant transferez la grace de nostre Dieu en dissolution, et renoncent Dieu le seul dominateur, et nostre Seigneur Iesus Christ.

C'est la raison pourquoy ilz avoient meilleur besoing de bien batailler que iamais, pour ce qu'ilz estoient assailliz par les tentations qui s'ensuyvent. Car ce sont grandes et dangereuses pestes de l'Eglise que gens de perverse vie et faulse doctrine, principalement telz contemteurs de toute religion, comme les descrit icy l'Apostre. Car il leur impose d'avoir converty la grace de Dieu en dissolution: C'est à dire d'avoir abusé de la grace de Dieu, et de la liberté, qu'il a donnée à noz conosciences, à insolence et toute licence de mal faire. D'estre gens sans pieté: C'est à dire ne craignans Dieu. Finalement, ayans renoncé la domination d'un seul Dieu, ne le recongnoissant point pour celuy auquel nous devons servir, et auquel comme iuste Juge fauldra rendre compte de nostre vie. Et ausi d'avoir rejeté le ioug de Christ, lequel par iceluy nous a été constitué Seigneur et Maistre. Il dit d'avantage, qu'ilz avoient long temps auparavant esté predestinez à telle confusion, par ce que nostre Seigneur a preordonné la ruyne certaine à tous ceux qui n'obeiront à son saint Evangile: et a en son iugement éternel déterminé quelle seroit l'issue de leur perversité et malice.

Or ie vous vueil reduire en memoire, pour vous faire scavoir cela une fois, que le Seigneur ayant delivré d'Egypte le peuple, depuis a destruit ceux qui ne croyoyent pas.

Pour les induire à craindre le iugement de Dieu, afin que legierment ne se destournassent de la grace qu'il leur avoit faict, il leur propose l'exemple du peuple d'Israel. Pour la delivrance duquel, combien que nostre Seigneur eust fait de grandes œuvres et miracles, toutesfois il n'a pas laissé de punir sa rebellion et incredulité. Mesmes la vengeance a esté d'autant plus grieve, à cause qu'un tel benefice n'avoit de rien profité envers lui, pour l'entretenir à honnorer Dieu, et le glorifier comme il appertenoit. Les punitions que le Seigneur a faict au desert sont recitées en somme au dixiesme de la premiere aux Corinthiens.

Et les Anges qui n'ont pas gardé leur commencement, mais ont delaissé leur domicile, il les a mis en garde en obscurité et soubz liens éternelz, iusques au iugement du grand Iour.

Comme premierement il a montré que si le Seigneur n'a pas pardonné à son peuple d'Israel, lequel il avoit choisi entre toutes nations de la terre, que non plus ne nous pardonnera il, si nous ensuyvons une mesme iniquité: maintenant il en donne encore une plus grande raison. Car il n'a pas mesme espargné ses propres Anges, incontinent

qu'ilz ont degeneré de la bonne nature en laquelle ilz estoient creez. Mais les a exterminé de son Royaume, les iettant en miserable captivité, iusques à ce que le grand Iour viendra, où ilz recevront leur dernière sentence. Où nous avons mis ce mot Commencement, le mot grec a signification doublement que les autres disent principauté: mais le premier est le plus propre à la matière présente: pour ce qu'il veult admonnester le peuple de ne se desvoyer du droict chemin.

Comme Sodome et Gomorrhe et les cinq villes prochaines d'icelles ayant paillardé en mesme maniere, et s'estant desbourdées à suyvre autre chair, sont laissées pour exemple, ayant receu iugement de feu éternel: aussi pareillement ceux icy estans de resverie eslourdz, souillent leur chair, mesprisent domination, et mesdisent des puissances.

Il veult dire que comme Sodome et Gomorrhe et les villes voisines, pour l'horrible confusion, laquelle est tombée dessus icelles, sont exemple d'un merveilleux iugement de Dieu: ainsi il en adviendra de ceux dont il parle: lesquelz ne sont moins damnables en leurs œuvres. Tellement que leur ruine ne sera en rien moins legiere que celle que nous lisons en Genèse des dictes villes. Par l'autre chair, il entend les cupiditez desordonnées et estranges, dont estoient souilliez ces peuples. Car ilz sortoyent hors des limites de nature pour obeir à leur sensualité brutale. Quand il dit, qu'elles ont receu iugement de feu éternel: il demonstre que le feu subit qui y descendit du ciel, n'estoit sinon une monstre extérieure du feu spirituel, qui iamais ne s'esteindra. On voit en ce passage une partie des faultes de ces mal-heureux personnages, qui corrompoient les Eglises de ce temps là: Car il dit qu'ils estoient eslourdz en songes, signifiant qu'ilz estoient du tout menez et transportez par leur affection charnelle, comme l'esprit du dormant est ravy et trouble par ce qu'il songe, d'autant qu'il n'y a nulle raison qui le retire de sa perturbation. Secondelement, que eux mesmes se souilloyent par abominations lesquelles il a mieulx aymé seulement noter que exprimer. Finalement qu'ilz diffamoyent les puissances et superioritez que le Seigneur a ordonné pour gouverner les choses humaines: voulant introduire une confusion, à fin qu'on ne peult plus discerner entre bien et mal.

Or Michel archange, quand en questionnant disputoit avec le diable du corps de Moyse n'osa iecter iugement dc malediction, ains dict: Que le Seigneur te redargue: Mais ceulz cy des choses qu'ilz ignorent ilz mesdisent: et celles que naturellement comme bestes brutes ilz approuvent.

Il est vray semblable que ceste histoire ait esté amenée de quelque livre de l'Eseriture, lequel toutes-fois nous n'avons aujourd'huy en usaige: Ou bien qu'elle avoit esté baillée entre le peuple iudaïque de main en main tellement que c'estoit une chose vulgaire: Vray est qu'il est escript au Deuteronomie chapitre trentaquatriesme, que Moyse a esté on-sepvely du Seigneur en une vallée de la terre de Moab: et que son sepulcre n'a esté eongneu de nul homme. Ce qu'on iuge avoir esté faiet (comme aussi la chose clairement lo monstre) de peur quo les Iuifz pour l'honneur qu'ilz luy portoient n'abusassent de son corps par idolatrie. Ce doneques que le diable en prenoit combat contre l'Ange de Dieu n'estoit que pour mettre en avant qu'il se pouvoit trouver afin d'induire le peuple d'Israel à l'aderer contre la volonté de Dieu. Maintenant il dict, que en ce combat, iamais Michel ne voulut iecter contre le Diable iugement de malediction: C'est à dire prononcer parole d'exécration contre luy comme le recongnoissant creature de Dieu: ains seulement au nom du Seigneur luy impose silence. Au contraire il dict que en ceulx ey y a telle temerité qu'ilz ne pardonnent à nulle creature combien qu'encores ilz n'y eongnoissent rien à redire: et n'ont plaisir en autres choses sinon en celles que de leur sens naturel sans raison et intelligence ilz comprennent ne plus ne moins que bestes brutes, lesquelles sont du tout menées par leurs affections charnelles d'autant qu'il n'y a en icelles autre sentement. En ce qu'il dict qu'ilz s'y corrompent, il fault noter que en tout ce que l'homme apprehende en sa charnalité, il n'y a que corruption.

Malheur à iceux, car ilz ont suvy la voye de Cain, et selon l'erreur du loyer de Balaam se sont abandonnez, et sont peris en la contradiction de Coré.

Affin que nul ne soit si hardy de se ioindre à eux, il declaire quelle en sera l'issue: ascavoir malediction. Ce qu'il prouve par l'exemple de ceulx desquelz ilz sont imitateurs. Car comme Cain (ainsi qu'il est escrit au second chapitre de Genese) estant en vieux que son frere estoit tant agreable à Dieu le meurtrit, ainsi ces malleureux, desplaisans que les fidelles servent en sainteté et innocence de vie à leur Dieu, en les pervertissant s'esforcent de meurtrir leurs ames.

Item, comme Balaam pour loyer eust été content de renverser les benedictions de Dieu, et perdre le peuple d'Israel (comme nous lisons au douxiesme chapitre des Nombres) pareillement pour leur ventre et voluptez ilz ne demandent que à dissiper l'Eglise de Dieu et la faire tomber et ruyner en malediction, tellement qu'en cela faire ilz sont du tout desbordez

sans mesure ayans coimme la bride laschée à ne garder nul moyen.

Item, comme Coré avec Dathan et Abiron (comme il appert par le seziesme echapitre des Nombres) esleva un tumulto alencontre de Moyse pour le debonter du ministere et office auquel il estoit ordonné de Dieu, en cela se robellant alencontre de Dieu, mesmes: pareillement ceux cy resistent et esmeuvent rebellion contro tous les serviteurs de Dieu et ministros de son Evangile, voiro contre Iesus Christ qui est le principal et le Chef de tous. Or si nul de ceux n'est demeuré impuny, qui n'ait soubstenu une horrible vengeance de Dieu, comme les Eserituros tesmoignent: il ne fault penser que ceux cy puissent non plus eschapper la main de ce grand Iuge.

Iceux sont macules en voz convives, mangeans hardiment, se paissans eux mesmes: nuées sans eauës, agitées çà et là des vens: arbres autumales infructueuses, doublement mortes et descracinées: undes aspres de la mcr escumantes leur propre confusion: estoilles errantes: auxquelz est apprestée obscurité de tenebres éternellement.

Maintenant par diverses similituds il monstre combien il y a en eux de paovreté et malheureté. Et premierement leur remonstre que leurs convives où ilz s'assemblayent, estoient souillez et contaminez par gens ainsi vitieux, pour leur donner à entendre qu'ilz les devoyent reieeter de leur compagnie. Et rend la raison: pour ce qu'ilz ne povoyent dissimuler leur gourmandise en mangeant dissolutelement et sans modestie aucune. En ee point il est à noter que les Chrestiens oultre la sainte Cene avoyent certains convives où ilz s'assembloyent pour entretenir charité: et principally cela faisoyent ilz à cause des indigens, qui en estoient refocillez et soulagez. Parquoy c'estoit une vie damnable en telz garnemens, de n'avoir autre esgard sinon de se repaistre eux mesmes, sans penser des paovres, desquelz on devoit avoir le principal soing.

Oultreplus, il les aecompare aux nuées sans eauë, lesquelles sans propoz troublent l'air, tenant les hommes en suspend pour attendre pluye laquelle n'en sort iamais. Enquoy il demonstre leur vanité. Et adiuste encore l'agitation du vent çà et là: pour exprimer d'avantage leur inconstance et legereté.

Secondement, il les fait semblables aux arbres d'autumne, après la eueillette des fruiciz, lesquelz n'ont plus que les fueilles, et icelles prestes à tomber bientost. Toutesfois il met apres une dissimilitude: c'est que les arbres au printemps recommandent à verdoyer et fruetifier. Mais en ceux cy il n'y a nulle esperance de fruiczt non plus qu'aux

arbres steriles du tout et mesmos doublement sci-chées par diverses gelées ou autre encombrics, et pleinement desracinées.

Tircement, aux undes de la mor, poulsées impotueusement par tempeste. Car comme icelles par leur exume, rendent l'eaue orde et troublée, en mesme sorte ceux-ey en toute leur impetuesité, par laquelle ilz veulent rompre les autres, eux mesmes se ruynent, car elle retombe toute en leur confusion.

Finalement aux planettes errantes. Car comme icelles ne sont fichées en certain lieu comme les autres estoilles, mais ont leurs propres sphères qu'elles circuiscent: aussi ilz n'ont nul arrest; mais sont distraicts en diverses opinions. La conclusion est qu'en la fin une griefve condamnation éternelle les attend.

Aussi sur eux a prophetisé Henoch, septiesme homme depuis Adam, disant: Voicy le Seigneur est venu avecques milliers de ses Sainctz, faire iugement contre tous, et convaincre tous incredules d'entre eux, de toutes les oeuvres de leur impéteté, lesquelles ilz ont iniquement commises, et de toutes mauvaises parolles qu'ilz ont parlé contre lui.

Combien que ceste sentence ne se trouve aujordhuy, neantmoins nous devons prendre ceste sentence bonne et saincte, sans nous tourmenter beaucoup dont elle a été prise. Car possible qu'il n'y a iamais eu certain livre fait par Henoch: mais que voyant la malice des hommes estre venue iusques au sommet, fut contraint de leur denoncer la vengeance prochaine: laquelle denonciation ait été depuis en bruit entre le peuple d'Israel comme digne de memoire. Or l'Apostre dit que convenablement elle peut estre appliquée à ceux ey, lesquelz par dessus les autres, provoquent l'ire de Dieu par l'outrage tant de leurs faits que de leur parolles. Ce iugement de Dieu, duquel il est icy parlé, combien qu'il se commence aucunement en ce monde en toutes punitions que fait Dieu des iniques, toutesfois il ne sera point droictement accompli iusques à la manifestation du Royaume de Jesus Christ au dernier Iour. Car lors il viendra en puissance avec ses anges pour rendre à chascun iustement selon ses oeuvres. Les Anges sont icy nommez par milliers comme en Daniel, au septiesme, et au Psalme soixante et huytiesme. Où nous avons translaté incredule, le mot grec signifie ceulx qui n'ont en leurs coeurs nulle reverence à la maiesté de Dieu.

Iceux sont murmurateurs, quellereux, cheminans selon leurs cupiditez: desquelz la bouche parle choses haultaines, ayans en admiration les apparences à cause du gaing.

Encoro les marque il plus ovidemment et descouvre d'avantaigo leurs vices, afin que personne n'en soit trompé par ignorance. Il les dit murmurateurs: comme ainsi soit que le Chrestien doyvo eviter tous murmures et mauvais rappors, qui peuvent engendrer discors, et inciter desbatz, ou malveillance entre les hommes. Apres il dit qu'ilz sont querelleux. Ce qui procede d'arrogance et impatience d'esprit: quand on ne peut rien endurer de son prochain, que plaintes et querimonies ne vollent tousiours. Le tiers est qu'ilz cheminent selon leurs cupiditez: c'est à dire, qu'ilz sont addonnez aux affections de leur chair, auxquelles le Chrestien doit renoncer pour se accommoder à la volonté de Dieu et celle de son prochain. Apres il met la haultesse en parolles, c'est qu'ilz ne peuvent dissimuler l'orgueil de leur coeur, qu'ilz n'ayent tousiours gloires et vanteries en la bouche pour deprimer les autres par dessoubz eux. Finalement, la flatterie. Car ilz applaudissent à ceux qui ont apparence entre les hommes, pour tirer de leur substance: mesprisants les paovres et humbles, dont ilz ne esperent nulle proye.

Mais vous bienaymez, ayant souvenance des parolles qui vous ont esté predictes par les Apostres de nostre Seigneur Jesus Christ. C'est qu'ilz vous ont dict qu'au dernier temps y aura des moqueurs cheminans selon leurs cupiditez d'impiété.

Afin qu'ilz ne se troublassent point voyant telles pestes porter le nom de Jesus Christ, et que pour cela ilz ne perdissent courage: il leur reduict en memoire comment les Apostres de nostre Seigneur en avoyent adverty les fideles: duquel advertissement ilz povoyent prendre matiere de se consoler et reconforter, pour ne laisser de perseverer en leur vocation. Il appelle (selon la maniere de l'Escriture) le dernier temps depuis qu'on a commencé d'attendre la resurrection et l'advenement dernier du Seigneur, qui est tout le temps du nouveau Testament: pource que toutes choses ont été accomplies: sans qu'il faille attendre nouvelle Prophetie ne revelation jusque à ce que le Seigneur se manifestera aux siens face à face. Il appelle moqueurs ceux qui contemnent tellement les iugemens de Dieu que tout leur est ieu et farce: comme sont ceux qui demandent: Où est le iour du Seigneur? Ce que les Apostres en ont admonesté se peut veoir en partie aux Epistres à Timothée et en la seconde de saint Pierre et autres passages. Combien qu'il parle plus des admonitions faites par parolles: mais il n'y a nulle doubté qu'elles ne ayent esté semblables à celles qu'ilz ont laissé par escrit.

Ieux sont faisans divisions, sensuelz et sans esprit.

Il leur donne encor de rechof nouvelles enseignes pour se garder de ces corrupteurs. Et dit qu'ilz tachent à faire separations qui est le propre des faux prophetes. Car c'est leur but principal de rompre l'union que Iesus Christ a voulu estre entre ses membres. Ce qu'il les appelle sensuelz et sans esprit: se rapporte à ce qu'il en a dit dessus: car il entend, qu'il n'y a rien en eux de la regeneration spirituelle, par laquelle nous entrons au Royaume de Dieu, n'ayans rien que de la nature humaine vitieuse et corrompue.

Mais vous bienaymez, vous edifiens vousmcsmes en vostre tressainte Foy faisant prieres par le saint Esprit, gardez vous en la charité de Dieu, en attendant la misericorde de nostre Seigneur Iesus Christ pour la vie eternelle.

Apres les avoir assez adverty des maulx dont ilz avoient à se donner garde, il leur monstre de quelz remedes ilz doyvent user pour s'en pouvoir garentir. Et premierement les enseigne de s'edifier tousiours de mieux en mieux en la Foy, où ilz avoient desia prins leur fondement: laquelle il appelle tres saintete, leur donnant à entendre que tous ceux qui se tiendront en icelle auront un tres-certain appuy et assurance de salut. Mais pource que cela n'est pas oeuvre d'humaine vertu, il leur commande apres de recourir à Dieu, par lequel, quand nous sommes corroborez en sa vertu, nous ouvrons vertueusement. Or il veult que les prières soient faites parle S. Esprit: pource que nostre sens ne peut atteindre à demander ce qui est selon Dieu, si l'Esprit mesmes de Dieu n'aydoit nostre infirmité: dont il est escript plus amplement aux Romains huytiesme chapitre. Finalement il leur monstre quelle est la fin de ces choses: c'est qu'en esperance et patience ilz attendent la misericorde du Seigneur. Car l'homme charnel ne regardant que les choses presentes, n'estime pas qu'il y ait autre vie ne felicité que celle qui se voit à l'oeil: pourtant il s'envelope en delices de ce monde comme le pourceau se veaultre en la fange. Il est doncq bien besoing que les fideles se incitent à attendre le Iour dernier, où toutes choses seront reduictes en leur droict estat. Il est bien à noter qu'il ne nous propose autre fondement n'y attente de la vie eternelle que par la misericorde du Seigneur: afin que toute dignité de noz œuvres soit abbatue, et toute gloire donnée à sa bonté.

Et recevez les uns en pitié, les iugeant: les autres sauvez les par crainte, les retirant du feu: hais-sant aussi vestement de la chair contaminé.

D'avantage il los enseigne que ce n'est pas assez de s'estre retire soymesmes de la voye de mort et perdition pour servir purement et saintement à Dieu, si ou ne tache aussi de gaigner les autres qu'on voit estre desvoyez, et de les edifier en nostre Seigneur. Pourtant il les exhorte de tellement fouyr et eviter ceste perverse nation qu'ilz mettent peine de les reduire en meilleure vie et ce en diverses manieres, selon qu'ilz verront estre expedient. Car les uns veulent estre menez par douleur et benignité: les aultres par plus grande severité et rigueur, à quoy il nous fault estre prudens pour nous accommoder à une telle diversité d'esprit. Il dict doncques que envers eculx que nous verrons estre plus dociles, nous moderions tellement l'asperité de condamuer, que les traictions avec misericorde, au contraire que nous estonnions eculx qui sont endurcis, par crainte du jugement de Dieu. Car il fault user envers eulx comme si on tiroit quelqu'un d'un feu ia embrasé: ce qui ne se fait sans effort violent. Ce pendant il veult que nous prenions desplaisir aux vices qui sont alentour d'eulx: lesquelz il appelle robe, selon commun usaige de l'Escriture: pouree que l'homme en est environné comme de ses habillemens.

Or à celuy qui les peult garder sans offence, et les constituer devant sa gloire inculpables avec liesse, qui est Dieu seul sage, nostre Sauveur, gloire et hautesse, domination et puissance soit maintenant et en tous siecles. Amen.

Comme il a commencé son Epistre par prières, reconnoissant Dieu estre eeluy dont il failloit demander tout bien: aussi maintenant il magnifie sa grandeur comme celle qui est seulement digne d'estre magnifiée. Entremeslans comment le principal que nous pouvons faire pour le salut, c'est de les recommander à Dieu: lequel seul a la puissance de les eonvertir à soy pour les amender: afin que sans offence ilz puissent comparoistre devant sa maiesté et siege iudicial avec ioie et liesse laquelle sera lors espadue sur tous ses serviteurs, comme il est escript. Or il veult que toute gloire et hautesse soit rendue à Dieu: non pas qu'il ne les ait sans nous, et mesme contre le vouloir de ses ennemis: mais pour ce que nous devons tous desirer que tout le monde le reconnoisse tel qu'il est, pour luy rendre louenge à luy deuement appartenante.



Verlag von C

Schwetschke und Sohn in Braunschweig.

Theologischer Jahresbericht.

Unter Mitwirkung von
reyer, Ehlers, Furrer, Hasenclever, Kind, Kohl-
esche, Lüdemann, Marbach, Mehlhorn, Siegfried,
Spitta, Werner, Woltersdorf,

herausgegeben von
fessor Dr. H. Holtzmann.

Inhaltend die Litteratur der Jahre 1888—1894.
scheint ein Band von 4 Abteilungen.
1 à 12 Mark, Band 12—13 à 14 Mark.
en und zwar: 1. Exegese, 2. Historische Theo-
ische Theologie, 4. Praktische Theologie und
e Kunst sind auch einzeln zu beziehen.

Der tliche Gräberschmuck.

Ein Beitrag zur lichen Archäologie

von
r. Adolf Hasenclever,
Pastor in Braunschweig.

Preis 5 Mark.

Aus und Kunst des Christentums.

Abhandlungen
rung für gebildete Gemeindeglieder.

Von
Past. Dr. Adolf Hasenclever.

Erste Reihe.
geb. 3 Mk., Liebhaber-Ausgabe 5 Mk.

matisches Christentum. gen eines deutschen Idealisten.

Von
D. Otto Dreyer,
Oberkirchenrat.
ierte Auflage. — Preis 2 Mark.


andlungen.

*Ieux sont faisans divisions,
esprit.*

Il leur donne encor de rec
soignes pour se garder de ces co
qu'ilz tacheut à faire separations
des faux prophotes. Car c'est leu
rompre l'union que Iesus Christ a
ses membres. Ce qu'il les appell
esprit: se rapporte à ce qu'il en
il entend, qu'il n'y a rien en eux
spirituelle, par laquelle nous ent
de Dieu, n'ayans rien que de la
viteuse et corrompue.

*Mais vous bienaymez, vous et
en vostre tressainte Foy faisant pi
Esprit, gardez vous en la charité
dant la misericorde de nostre Seig
pour la vie éternelle.*

Apres les avoir assez aderty
ilz avoient à se donner gardc, i
quelz remedes ilz doyvent user
garentir. Et premierement les en
tousiours de mieux en mieux e
avoient desia prins leur fondei
appelle tres saincte, leur donnan
tous ceux qui se tiendront en icel
certain appuy et asseurance de sa
que cela n'est pas oeuvre d'hum
commande apres de recourir à
quand nous sommes corroborez e
ouvrions vertueusement. Or il ve
soyent faictes parle S. Esprit: p
sens ne peut atteindre à dema
selon Dieu, si l'Esprit mesmes
nostre infirmité: dout il est escrip
aux Romains huytiesme chapitr
leur monstre quelle est la fin de
qu'en esperance et patience ilz at
corde du Seigneur. Car l'homm
gardant que les choses presentes,
y ait autre vie ne felicité que ce
l'oeil: pourtant il s'envelope en de
comme le pourceau se veaultre
est doncq bien besoing que les fid
attendre le Iour dernier, où tout
reduictes en leur droit estat. Il
qu'il ne nous propose autre fonde
de la vie éternelle que par la
Seigneur: afin que toute dignité
soit abbatue, et toute gloire donne



**PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET**

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BX	Calvin, Jean
9420	Ioannis Calvin Opera
A2	quae supersunt omnia
1882	
v.55	

Verlag von C

Schwetschke und Sohn in Braunschweig.

Lehrbuch
der

Evangel.-Protestantischen Dogmatik

von

† D. Richard Adelbert Lipsius.

Dritte, bedeutend umgearbeitete Auflage.

Mit einem Verzeichniss der literarischen Veröffentlichungen des Verfassers.

Preis 12,80 Mk.

Die Hauptpunkte der christlichen Glaubenslehre

im Umrisse dargestellt

von

Rich. Adelb. Lipsius.

Zweite Auflage. Preis 1 Mark.

Luthers Lehre von der Buße.

Von

Rich. Adelb. Lipsius.

Preis 5 Mark.

Die edessenische Abgar-Sage.

Von

Rich. Adelb. Lipsius.

Preis 2,40 Mark.

Die

Apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden.

Ein Beitrag zur altchristlichen Literaturgeschichte
von

R. A. Lipsius.

Erster Band. — Preis 15 Mark.

Zweiter Band, 1. Hälfte Preis 16 M. 2. Hälfte Preis 11 M.
Ergänzungs- und Registerband Preis 8 M.

Zu beziehen durch alle Buchhandlungen.

Theologischer Jahresbericht.

Unter Mitwirkung von

Baur, Böhringer, Dreyer, Ehlers, Furrer, Hasenclever, Kind, Kohl-Schmidt, Krüger, Loesche, Lüdemann, Marbach, Mehlhorn, Siegfried, Spitta, Werner, Woltersdorf,

herausgegeben von

Professor Dr. H. Holtzmann.

Band 8—14. Enthaltend die Litteratur der Jahre 1888—1894.

Jedes Jahr erscheint ein Band von 4 Abteilungen.

Band 8—11 à 12 Mark, Band 12—13 à 14 Mark.

Die vier Abteilungen und zwar: 1. Exegese, 2. Historische Theologie, 3. Systematische Theologie, 4. Praktische Theologie und Kirchliche Kunst sind auch einzeln zu beziehen.

Der

altchristliche Gräberschmuck.

Ein Beitrag

zur

christlichen Archäologie

von

Dr. Adolf Hasenclever,
Pastor in Braunschweig.

Preis 5 Mark.

Aus

Geschichte und Kunst des Christentums.

Abhandlungen
zur Belehrung für gebildete Gemeindeglieder.

Von

Past. Dr. Adolf Hasenclever.

Erste Reihe.

2 Mk., geb. 3 Mk., Liebhaber-Ausgabe 5 Mk.

Undogmatisches Christentum.

Betrachtungen eines deutschen Idealisten.

Von

D. Otto Dreyer,
Oberkirchenrat.

Vierte Auflage. — Preis 2 Mark.

Verlag von C. A. Schwetschke und Sohn in Braunschweig.

Die Geschichte
der
Heiligen Schriften
Alten Testaments
entworfen
von
Eduard Reuss.

Zweite vermehrte und verbesserte Auflage.
Preis 15 M.

Die Geschichte
der
Heiligen Schriften
Neuen Testaments
entworfen von
Eduard Reuss.

Sechste vermehrte und verbesserte Ausgabe. — Preis 12 M.

H I O B.
Von
Eduard Reuss. Gebunden 3 Mk.

Das alte Testament
übersetzt, eingeleitet und erläutert
von
Professor D. Eduard Reuss,
herausgegeben aus dem Nachlaß des Verfassers
von
Lie. Erichson, Director des Theolog. Studienseits und weil. Pfarrer Lie. Dr. Horst
in Straßburg.

Preis: broschiert 50 Mk., gebunden 60 Mk.
Ist auch in Lieferungen à Mk. 1,30 zu beziehen.

- Die Ausgabe des Werkes erfolgte nach folgendem Plane:
1. Band: Allgemeine Einleitung zur Bibel.
Geschichte der Israeliten von der Eroberung Palästina's bis zur Zerstörung Jerusalems.
Die Geschichtsbücher. (Richter, Samuelis, Könige.)
 2. Band: Die Propheten.
 3. Band: Die heilige Geschichte und das Gesetz. (Pentateuch und Joshua.)
 4. Band: Die Kirchenchronik von Jerusalem (Chronik, Esra, Nehemia.) Band 5/4.
 5. Band: Die hebräische Poesie. (Psalter, Klagelieder, Hohes Lied.)
 6. Band: Religions- und Moralphilosophie. (Hoch, das Salomonische Spruchbuch, der Prediger, die Weisheit Jesu's des Sohnes Sirachs, das Buch der Weisheit Salomo's, lehrreiche Erzählungen und andere erbauliche Schriften aus den letzten Zeiten des vorchristlichen Judentums. [Jona, Tobia, Susanna, die Pagen des Darius, Baruch, das Gebet Manasse's].)
 7. Band: Die politische und volksmäßige Literatur. Ruth 1. und 2. Makkabäer, Daniel, — Esther, Judith, 3. Makkabäer, Bel und die Schlange, Episiel des Jeremia. — Anhang: Sachregister.

Reden
an
Theologie Studirende
im akademischen Kreise gehalten
von
Eduard Reuss.

Zweite Auflage. — Preis 3 M.

Bibliotheca novi testamenti graeci
cuuius
editiones ab initio typographiae ad nostram aetatem
impressus
quotquot reperiri potuerunt
collegit digessit illustravit
Eduard Reuss.
Geheftet Preis 6 Mk.

Religionsphilosophie.

Von
weil. Professor L. W. E. Rauwenhoff.
Übersetzt und herausgegeben von
Lic. Dr. J. R. Hanne.
2. (wohlfeile) Ausgabe. Preis 6 Mark.

Geschichte
der
Christlichen Religionsphilosophie
seit der Reformation.

Von
Professor G. Ch. B. Pünjer.
In zwei Bänden. — Preis 20 Mark.

Grundriss der Religionsphilosophie.
Von
Professor G. Ch. B. Pünjer.
Preis 1,60 M.

Calvini, Ioa., in novum testamentum commentarii. Ex Calvinis operum collectione Brunsvicensi separatis editi. Vol. I. Harmoniae evangel. 2 partes. 1891. (X, 1217 S.) 8°. 6 Mk.
Calvini, J., Institutio religionis Christianae. Ad fidem editionum principum et authenticarum additis prolegomenis literariis et annotationibus criticis triplici forma ediderunt G. Baum, E. Cunitz, E. Reuss. Editio interata ex operibus Calvini separatis recusa 2 vol. 24 Mark.

Zu beziehen durch alle Buchhandlungen.